

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

IVDICII VNIVERSITATIS ET CLERI COLONIENSIS, ADuersus calumnias Philippi Melanthonis, Martini Buceri, Oldendorpij, & eorum asseclarum, defensio: cum diligenti explicatione materiarum controuersarum.

Authore F. Euerhardo Billick, Theologo, fratrum Carmelitici instituti, per inferiorem Germaniam Prouinciale.




Non est in ore eorum ueritas, Cor eorum uanum est, Sepulchrum patens est guttur eorum, Linguis suis dolose agebant,

IVDICA ILLOS DEVS.

Ex [illegible]

Coloniæ excudebat Iaspar Gennepæus. Cum gratia & Priuilegio Cæsareæ ac Catholicæ Maiest.

Anno Christi. M. D. XLV.



8-18-E-62

AMPLISSIMIS CLARISSIMISQVE VIRIS CONſulibus, totiꝙ Senatui inclytæ urbis Coloniæ Agrippinæ, F. Euerhardus Billick, Theologus, fratrum Carmelitarũ inferioris Germanię Prouincialis, in Domino ſalutem & pacem.



I uiueret hodie pambularetꝙ ſicut olim Prouincias Euãgelij docendi gratia, Paulus ille doctor gentiũ in fide & ueritate p̄dicãs, abſentes uero epiſtolis datis erudiens, atque huc ad uos ueſtrumꝙ populũ ampliſſ. uiri, pro ſolicitudine quam erga omnes Chriſti Eccleſias gerebat ſcripturus, uellet fluctuantibus ubiꝙ fere omnibus, uos in religiõe & officio ſacro ſanctę fidei

noſtræ ad deum epiſtola aliqua continere, præceptionibusq́ Eccleſiaſticis inſtituere, audita hac, quæ nũc toti orbi perſpecta eſt, in eadẽ Chriſti fide ueſtra conſtantia, nõ alio profecto, nec inferiori uos dignaretur encomio, q̃ quo Romanos ſuos in epiſtolæ illius exordio celebrat, ita ſcribẽs: Gratias ago deo meo pro omnibus uobis, quia fides ueſtra annunciatur in uniuerſo mundo. idq́ ut opinor tanto potiori per hanc tempeſtatem ueſtro merito, quãto prę Romanis quibus omnia modo in trãquillo ſunt, fidei calore aduerſus undiq́ circũlatrantes, inſidiantesq́ hęreticos omnia ueſtra ſtudia, omnesq́ curas huc potiſſimũ cõuertitis, quo uobis ueſtrisq́ ciuibus maneat auita illa, & priſca Eccleſiæ catholicę fides om̃ibus modis illabefactata, ſic conſulitis in medium, ſic curatis, ſic obitis omnia, ſic populi multitudinem pro roſtris frequẽter in contionem uocatam, de Cęſareæ Maieſtatis uoluntate, propoſitis eiuſdem edictis facitis certiorem. Sic populum eundem authoritate, prudentiaq́ ueſtra, in officio retinetis: reſpuẽtibus, ſiue incolis, ſiue peregrinis in eiuſdem fidei catholicæ ſocietate uobiſcũ permanere, nouasq́ turbas moliẽtibus, ciuitate, immunitateq́ omni interdicitis. Sic ſubmiſſos & cuniculis rẽagentes, exteros prædicantes, non probatos, ut oportet abarcetis. Sic quod S. Petri, ſancti Iacobi, ſancti Mauricij, & quã Lyſekirchẽ uocãt, eccleſię parochiales nu-

les nuper factum probe meminerunt, uerisimilem aliquam hæreseos suspitionem de se præbentes, a concionibus statim submouetis. Sic hęretica tabe uenenatos aduersariorum libros, unde fere solent etiam pij minus aduersus hæresim instructi toxicum haurire, neq; cudi in ciuitate uestra, neq; diuendi, graui trãsgressoribus indicta mulcta pmittitis. Sic occulta insidiatorum conuenticula, quibus sanctissimis pietatis uestræ conatibus clam obuiari posset, magna solertia uestigatis, disijcitisq;, ne qua Catilinaria conspiratio alicunde in supremam reipublicę uestrę perniciem erumpat. Sic Clerum ipsum (quod uix fiat cuiq; credibile) ueteris Religionis conseruandæ studio anteceditis, eumq; sui admonetis officij. Sic publicis ad Deum & sanctos eius, supplicationibus pacem & tranquillitatem iubetis Ecclesiæ poscere. Quam uos arbitror animorum integritatem atque constantiam una cum fide ipsa, ab uberibus pene maternis, singulari dei beneficio suxisse. Neq; enim noua sunt aut nupera hæc pietatis uestrę studia. Ita enim & maiores uestri, uiri grauissimi prudẽtissimiq;, de republica Christiana præclare semper meriti sunt. Testantur hoc priscæ pietatis infinita fere monimenta, ad nostram usq; ætatẽ tota urbe pdurantia: sed cũ primis Sinodus illa Agrippinensis, omnium totius Belgicæ & Aquitanicæ, primæ quoq; & secundæ Germaniæ episcoporum, sub

Imperatore Constantio, ante annos circiter mille du centos, maioribus uestris procurãtibus promouentibusq́, ut in Synodi ipsius actis alijsq́ ꝓbatis historijs proditũ est, congregata aduersus impium Euphratan, pseudoepiscopũ, hęreseos Arianę labe contaminatũ, q in deitatem dñi ac dei nostri Iesu Christi, ueritus nõ erat blasphemare. In qua tum fides, constantia, & prudentia maiorum uestrorũ insigniter enituit. Fides in cõfessione sanctiss. Trinitatis, & eius doctrinæ quã a maioribus acceptã, sancta synodus Nycęna, sub Constantino magno, Constantij patre nuꝑ asseruerat. Cõstantiæ erat quod nõ sunt passi, ab eo qui non modo episcopali authoritate, uerumetiã Cæsaris eadem labe infecti cõsensu fulciebat̃, se transferri in aliud Euange liũ, aut religionẽ aliã quã Catholica Ecclesia ꝓbaret. Prudentię uero, q̃d gliscenti malo, censuerunt in tempore occurrendũ esse, legittima synodo, quã & datis ad uicinos episcopos literis, impetrarũt. Pulchrũ sane fuit exemplũ istud, ęternaq́ memoria dignum. Sed & populus Romanus ꝑ eam tempestatem simile pietatis suę specimen ædidit. Cum relegasset ẽm Constantius Liberium Romanum pontificem, conatibus suis fortiter obsistentẽ, apud Thracas in exiliũ, surrogassetq́ in eius locum Felicem, Catholicum quidem & ortho doxum incorruptæ fidei uirũ, ignauũ tamen, ut qui fa miliariter cum Arianis conuersaretur, nec uitaret, quos oppugnare debuerat: nemo omniũ ciuiũ Roma

norũ in Ecclesiã in qua ille esset, ingrediebat, ita ut ꝑpetuo, se in Ecclesia solũ conspiceret. Quod cũ Imperatori nunciatũ fuisset, Matronis Romanis ꝓ reditu Liberij supplicãtibus, reuocatus est ab exilio, his legibus, ut Felice socio in pontificatu uteret: quod ipsum quoq; deo dilecti populi clamor auertit. Statim enim sublatis uocibus exclamarũt: Vnus deus, unus Christus, unus pastor & episcopus. Quibus auditis cessit Cõstantius pietati, quã opprimere nõ poterat, restitutusq; est Liberius. Felix uero nulla hæresi, sed cõuersatione sola pollutus, cedere alio cogebat: adeo exhorruit prisca illa fideliũ integritas, nõ hæreticos modo, uerũ eos etiã, q̊s hæretica cõuersatio polluisset. Possem de hoc Samosatenorũ & Edessenorum ciuiũ non inferiora gesta cõmemorare, qui p̄fectis sibi Arianis episcopis, se ab eorum omnibus commercijs, haud secus ac a lupis, unanimiter subtraxerunt: atque interim nihilominus quæ boni pastoris erant, ipsę inter se oues diligenter exequebantur. Sed hęc alias. Romanã prædicasse in fide constantiam, quorum estis progenies, in præsens sufficiat. Si quam habuit enim Roma post Christi receptam fidem, sua maiestate & laude dignam Coloniam, in quam & gentem & religionẽ apostolicam transfunderet, uos profecto, uos eratis, qui studueritis semper nulla in re unquam a progenitorũ uirtute degenerare. Testes sunt uobis multorũ summorũ

ſummorũ pontificum,& huius quoq; Pauli tertij plane apoſtolicę de hoc literæ. Teſtis eſt & Imperator, ut glorioſiſſimus, ita pijſſimus Carolus Quintus. Pręcipue uero, pignus illud ſingulare & unicum, quo ſolo rata ſunt uobis quæ rata inuiolataq; habere publico conſenſu decreueritis, Sigillũ (inquã) ueſtrũ primariũ, referens ipſum apoſtolorũ principem Petrũ, cum inſcriptione circulari. S. Colonia, ſanctæ Romanæ Eccleſię fidelis filia. Digna prorſus ueſtra fide inſcriptio. Multæ & magnæ in Germanijs urbes, epiſcopis ſuis reclamantibus, ultro cõceſſerunt in ſectas: uos imminentes impendẽteſq; ſectarios auerſamini. Illę nec ui retinentur in religione: uos nulla fraude, nullaq; perſuaſione abduci uos ſinitis. Quãtis inſidijs hoc hominum genus uos circũuenire ſategerit, non ęſt mihi in præſens ſcribere tutũ, ſed tamẽ qui uel parũ nouerũt aſtus, uigilias, ſolertiã, & curas aduerſariorũ, poſſunt qualemcunq; eius rei coniecturã facere. Atq; inter hęc quod circumſpectũ, q̃d pium, quod prudentem decet Magiſtratum, & fidẽ cuſtodiſtis ueſtrã, & omniũ gentium cõmercijs in rebus ciuilibus eſtis uſi, tantum cauiſtis, ne contagionem religio acciperet. Laudantur Spartani, quod in ſuã ciuitatẽ peregrinas merces, ſoli uoluptati natas, quibus effęminarentur ciues, nõ ſinebant inuehi: ob hanc legẽ Lycurgum ſuũ laudibus in cœlum uſq; attollunt. Quanto uos uero maiori laude

digni

digni censeamini, qui ne quid corruptiõis animorum & fidei, ciuitati uestræ inueheretur, prudentius multo cauetis. Quos non seruastis in religiõis officio ciues? Vnũ surripuerunt uobis fraterculũ, quẽ excusso Monachali sago, pulchra reformatione, lepidæ Byrsæ alligarunt. Egregiã uero laudẽ & spolia ampla tulerũt. Quos admisistis animarũ corruptores? Aut ubi synecerius uerbũ dei p̃dicatur? Vbi maior ad ip̃m audiẽdũ populi frequentia conspicitur? Vbi minus opus est stipe conducere auditores, aut pragmaticos qui declamatoribus adplaudant? Vbi plus pietatis, minusq; uiget superstitionis? Vbi liberalior in pauperes eleemosynarum largitio? Non hic peculatorum arculę, quas p̃postera pietate in fraudẽ tam donare uolentium, q̃ egentium erexerunt, pauperes a stipe abigunt. Nõ uetatur inops in opulentiorẽ spectare, Non opulentus pauperi pro sua deuotione stipẽ, aut alioqui peritura esculenta pro sua deuotiõe largiri. Hic uox illa Christi exauditur, Omni petẽti te tribue. Felices pauperes q̃bus urbs tota, q̃ late patet, p xenodochio est. Felix populus, cui & pietatis, & ciuiliũ rerũ estis authores. Felix Clerus, uestrũ patrociniũ nactus. Mirentur alij urbis amplitudinẽ, magnificas ciuium ędes, opificũ cõtubernia, p̃clarum Rheni littus, porticus, fora, mœnia, turres. Ego pietatẽ uestrã mirabor: hęc est æterna laude celebranda. quam si uiderent hodie Basilius ille

B magnus

magnus, Nazianzenus, Chrysost. Hiero. aliiq; scti patres, uerę pietatis encomiastæ, uelut aggerem hæreticis obiectã, quibus non attollerent pconijs? quibus nõ ducerent laudibus dignã? Sic estis inter laudatos laudatissimi, inter religiosos religiosissimi, inter prudentes prudẽtissimi, inter constantes constãtissimi. Proinde uiri clarissimi, nõ est ut frigidus laudator rebus istis quæ toti orbi modo pspectiores sunt, q̃ ut clariores a me reddi possint, diutius immorer. Bñ uobis pcantur idcirco, quotquot uspiam sunt terrarum Catholicæ pietatis studiosi, Deo pro uobis gratias agentes. In uos tanquam in suam metropolim suspiciunt uicina quęq; oppida: nec illa mõ, sed & plures Germaniæ urbes, in qbus noua iã hęreseos tyrãnide, ciues, uelut in Babylone captiui opprimuntur, qui stantibus uobis sperant aliquando meliora: labentibus (quod Deus auertat) actum de religione putabunt. Publica Germaniæ salus uestram in fide constantiam requirit: quæ sicut optimos quosque, uel retinet in fide, uel bñ sperare iubet, sic hæresiarchis illis hoĩm seductoribus, metũ incutit & formidinẽ. sciunt q̃ fragiles & infirmæ sint eis suæ res, sciunt nõdum confirmatã sibi quã inuaserũt tyrannidẽ, turrim Babel, oĩm cõfusionum parentem, construere se experiuntur. Verẽtur ne persentiscãt Principes, Magistratus, & populi, sua tantum esse commenta, quę pro syncero uerbo dei il-
lis

lis hactenus uenditarunt, uerentur ne speciosis illis titulis quibus sua ornãt, detractis, appareant eorũ fraudes, sophistica, & imposturæ, quibus homines demẽtarunt. Ridicule nimisq́ꝫ inepte iactant, grandioribusq́ꝫ literis sibi inscribunt: Verbum domini manet in ęternũ. quasi hoc quadrare possit in ipsorũ doctrinam, qua nihil inconstantius esse, nihil æque cũ uerbo dei pugnare, ante hoc biennium insignis urbis uestræ Academia & Clerus, breuissima Iudicij sui methodo, perspicuum fecerunt, idq́ꝫ in uno tantũ libello, quem ad uos Bucerus tanq̃ probatissimum transmiserat, expendendo dijudicandoq́ꝫ: unde cõijcere licet, quales sint eorum libri reliqui. Quod quidem Iudicium Philippus Melanth. Martinus Bucerus, & Iohannes Oldẽdorpius grauiter insectati, expugnare nõ potuerũt. Quod ipsi uos facile dijudicabitis, lecta tm̃ hac nostra defensione: quã uobis ob p̃cipua uestra in Christianã religionẽ merita, ut ęquũ erat, ab indigena fieri, uolui nuncupare. Vbi primũ aduersus nouas & ueteres hęreses, cõditionẽ explico, in qua homo nascitur. Deinde q̃d conferat ei regeneratio in Christũ. De potẽtia q̃q́ꝫ & impotentia naturæ humanæ ante & post regenerationẽ. Quibus subieci inq̃sitionẽ de efficacia baptismi aduersariorũ, in fide Ecclesiæ non baptizantiũ: quã illi quidem nunq̃ dissoluent, nisi caput damnent & alpha suarum assertionum. Sic enim exorsus est Lutherus

primum suũ dogma: Hæretica est, sed usitata sentẽtia, Sacramenta nouæ legis dare gratiã ex opere operato. Satis magnã stragem edo, si hac inquisitiõe arcem illã expugnauero. Accessit postremo, catholica assertio de ueneratione & inuocatione sanctorum: quã tamen libro secundo animus est latius prosequi, cum cæteris quæ non poterant uolumine uno comprӕhendi. Nullum obijcio hic aduersarijs authorẽ, qui nõ ante annos mille scripserit, quo uel sic appareat doctrinæ nostræ antiquitas. Quod si & eos qui ab annis mille ad hanc usq; ætatẽ scripserunt contra ipsos in aciem statuere uoluissem, uix oculis exercitum tantũ potuissent submittere. Tandem igitur amplissimi clarissimiq; uiri, ne sperate de nobis aliud, q̃ quod fidem, pietatem, constantiamq; uestram deceat: prodeant qui uolẽt in certamen, non experiẽtur ignauos pro fide, pro aris, pro patria pietate milites. Terga non dabimus, sicut abnegatores quidã Christi & Ecclesiæ eius, sed frontẽ obijciemus ipsam, in petra Christo duratam, cui innixi non timemus ne inferorum quidem portas. Deus opt. Max. uos uestrumq; populum, ac totam ciuitatẽ in sacrosancta sua fide, ueteriq; pietate & religione ad nominis sui splendorem in perpetuum conseruet.

Valete, xvi. Calend. Aprilis. Anno 1545.

8-18-E-62

IVDICII VNIVERSITATIS ET CLERI COLONIENSIS, aduerſus calumnias Philippi Melanthonis, Martini Buceri, Oldendorpij, & eorum aſſeclarũ, defenſio, cum diligenti explicatione materiarum controuerſarum.



MAIORES noſtri, quorum ſtudio, diligẽtia & labore Eccleſia ſancta Catholica a Chriſto fundata, ab apoſtolis uero plãtata hucuſq; propagata eſt atq; in fide retenta, quoties hæreſim aliquam dolo ſerpentis antiqui in Eccleſiam irrepſiſſe animaduerterunt, arrepto ſtatim gladio ſpiritus, quod eſt uerbũ Dei, pro caſtris fidelium, ꝑ domo Dei & ipſius legibus ſeſe murũ atq; uallum aduerſarijs obijcere non dubitabant: nihil enim tam indignum pietate ſua cenſebant, quã pietatẽ ipſam non protinus tueri ac defendere: memores illius quod tam ſtrenua, tanq; graui obteſtatione doctor ille gentium in fide & ueritate, apoſtolus Paulus extremo curſus ſui tempore a Timotheo ſuo exigit, ſcribens in epiſtola poſteriori: Teſtificor coram Deo, & IESV CHRISTO, qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos, per aduentum ipſius, & regnum eius, prædica uerbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patiẽtia & doctrina: erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & a ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur: Tu uero uigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ &c. quæ profecto tremenda eſt obteſtatio, ſi non parum eſt admoneri per omnipoten

tem Deum, per filium eius dominum Iesum Christum, per iudicium & regnum eius &c. quæ omnia Apostolus pro grege dominico solicitus Timotheo, quem successorem destinauerat cogitanda proponit. Nimirum intelligebãt patres illi iam ad se, qui ita Timotheo succedere debebant sicut ille Paulo, obtestatiõem illam pertinere, sibique dictum, & eorum singulis, Testificor corã deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, prædica, insta, argue, &cæt. potissimum uero ubi cernerent adesse tempus de quo ibidem prædixerat, quando sanam doctrinam non sustinerent homines. Nihil enim æque iuuat conatus hæreticorum atque negligentia & taciturnitas, eorum, ad quos pertinet & uera docere, & doctrinam aduersus oppugnatores sedulo tueri. Ad quorum exemplum cum celebris Academia, & Clerus Agrippinensis Coloniæ, eodem quo Patres illi consilio, uolentes uenienti occurrere morbo, Iudicium suum plane orthodoxum atque catholicum, tam simpliciter quàm Christianissime pronunciassent, aduersus libellum Martini Buceri, non magnum quidem, sed tamẽ infandis hæresibus respersum, quẽ pro defensione uocationis suæ ad Bonnam, doctrinæque ibidem prædicatæ euulgauerat. Mox quidam ueritatis & sanæ doctrinę secundum apostolicum uaticinium prorsus impatientes, ubi errorem suum agnoscere & emendare debuerant, in furorem uersi, Iudicium illud quod tanquam morbo pharmacum erat adhibitum, omnium conuiciorum genere dilacerare, insectarique sunt adorti. In quibus fuere Philippus Melanthon, Martinus Bucerus, Iohannes Oldendorpius, Iohannes Draconites, Iohannes Meynertzhagius, olim Franciscanus, nunc Cæsarius, alienorum scriptorum suppilator: & nescio qui alij prurientium aurium magistri. Obtinent autem primas Bucerus & Melanthon: quorum hic rethoricatur magis quã rem attingat, ille nihil aliud quàm sophisticatur, cęteri sicut catuli solent Molossis suis collatrant tantummodo. Ob id risu nobis & miseratione digniores uisi, quàm confutatione. Quanquam autem poteramus latratus eorum omnium aure surda præterire, ac contemnere, & non dignari rabiosos & insanos scriptores ullo responso, maxime cum sit cuiuis uel mediocriter in sacris uersato luce magis

gis perspicuum, eos rodere Iudicium illud, non conuellere, aut expugnare, atque adeo nullam respondendi necessitatem nobis imponere. Tamen ne uideantur sibi, tot latratibus aliquid praestitisse, aut longius progrediatur non retusa impietas, non inutile putaui futurum, ut & Iudicium illud à calumnijs perfidorum uindicaretur, & uera orthodoxaque Ecclesiae fides hoc ipso Iudicio exposita, pluribus assereretur, defendereturque. Caeterum diu sperauerain doctum aliquem, qui nullis negotijs impediretur, quales habet Colonia plurimos (qui si uellent, possent facillime quod res exigere uidetur, praestare) ultro hoc opere assumpturum, dignisque modis, & haereticos homines, & causam Ecclesiae tractaturum. Quando autem elapso iam integro anno, neminem uideam qui prodeat, aut uelit cum impudentibus & mendacibus impostoribus agere, aut sentinam hanc exhaurire, ipse tandem, licet frequentius cogerer domi abesse, assiduisque insuper occupationibus grauarer, rem inuocato DEO, sum aggressus. Quod mihi licere ob id existimo, quod simul concilio Delectorum, qui Iudicium oppugnatum conscripserunt, admotus fuerim, cõsiliorum eorum omnium particeps.

Propositum authoris.

Nec arbitreris optime lector, me conflictum hunc molestum sane & insuauem, aliam ob causam assumere, nisi pro Christi gloria illustranda, pro domo eius quae est Ecclesia, in qua uiuit, regnat & imperat, & domus eius thesauris, quae sunt salutifera CHRISTI sacramenta, doctrina item coelestis praeceptorum, & credendorum, traditiõis Apostolicae, sacri Canonis, caeremoniae & cultus Dei, quę omnia aduersarij diripere certant, ab iniuria perfidorum uindicandis, pro salute animarum omnium, ad confirmandos animos piorum, ad stabiliendos pedes lubriciter nutantium, reuocandosque ab errore, quos haeretici misere seduxerunt. Quae solae & certae causae, (quid libet etiam de nobis homines maleuoli calumniaturi sint) me ad scribendum impulerunt.

Nec expecto pro hoc labore pręmiũ ab hominibus ullũ, nõ pecunias, non honores, non gloriolas uanas: sed tantum non leuia pericula, multum laborum & sumptuum, inuidiam malorum, calumnias, maledictiones, obtrectationes, quae omnia propter eum qui di

xit,& pater meus q est in cœlis reddet uobis.& pfero libēter,& contemno. Et ne nomen quidem adscripsissem,contētus Deo nos esse cognitos,si licuisset absq; praua suspitione reticere,& non usqueadeo aduersarij calumniarentur,nos timere lucē, quærere tenebras, subterfugere certamen,& metus,scilicet esse, non humilitatis, quod à nominum ostentatione abstinemus: Cum simus monachi,nō gloriosi thrasones: Christiani,non sophistæ: ueritatis,non uanitatis sectatores,& in eum intenti,qui suos cognoscit,& uocat ex nomine, q dixit: Gaudete quia nomina uestra scripta sunt in libro uitæ, cui soli cupimus operam nostram cum primis commendatam. Si non meretur hic animus reprehensionem,si studium istud pium est & Christiano homine dignū, si sunt damnatæ & perniciosæ hæreses quas impugno,denique si per nouitia ista dogmata,Ecclesia grauiter periclitatur,faue Christiane & pie lector,conatibus meis,& noli aut odiose criminari,aut temere iudicare,quæ uel non intelligis, uel palato tuo desipiunt. Non est enim cuiuis homini idem sapor. Suauis est plurimis panis mendacij:quē noli à nobis expectare, nec enim porrigimus,sed tantum ueritatem, malis quidem & peruersis hominibus amaram, at bonis lacte & melle suauiorem, auroque & topazio cariorem.

Ordo libri. Primum igitur statuemus Iudicium ipsum, quod succinctas quidem & breues,sed uerissimas sententias continet. Cui mox aduersariorum respōsionem supponemus, quo ueritas per contradictiones clarius cognoscatur & elucescat. Quæ utrisque extra causam dicuntur,qualia sunt in Philippo plurima parerga, aut sunt eiusmodi quæ æque à nobis dici poterant,ut nihil faciant contra nos,non fuit uisum operepretium inserere. Sed ea tantum quæ ad præsentem controuersiam proprie pertinent, in quibus sese obijciunt nobis. Tantum in Philippo responsionis ordinem transposuimus, quod necesse erat facere ut suo quoque contradictiones loco statuerentur. Philippus enim,ut non sequitur Iudicij,quod oppugnandū susceperat,ordinem,ita nullum ordinem seruat: studiose ut opinor, uidelicet,ne lector responsionem facile conferat cum Iudicio. Ita solēt gladiatores quando non feriunt, edere spectacula quædam, & huc

illuc gladios artificiose sine uerbere circũrotare. Bucerus maiore ua fricię, quo & plebem facilius seduceret, peritioribusq; imponeret, & nobis plus faceret negotĳ, lingua Teuthonica, promissa responsione Latina, scripsit: quã diu ut redderet expectauimus, sed incassum, suo more fefellit nos. Ita factum est ut non potuerimus eius responsionem confutare, nisi quæ Teuthonice dixisset simul uerteremus, quod molestissimum nobis erat: non ob id solum quod difficile erat in transferendo aduersario effugere calumniam, sed præcipue quod non ducebam hæreticæ contentioni tantum opere impendendum. Sed pro ueritatis defensione respondendum erat, quacunq; tandem ille lingua scripsisset. Iccirco saltem illa quæ ad rem conferre uidebantur, cæteris omissis, transtulimus, ea fide quam ne ipse quidem calumnietur. Collatis ad hunc modum pugnantibus locis, subiungitur nostra excussio, ad normam uerbi Dei, & scripturam sanctis uiris diuinitus olim (ut ait Apostolus) inspiratam, quæ utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. ĳ. Timot. iĳ. Omnibus enim his partibus scripturæ nobis in hac discussione est opus. Ad docendum quidem in fide eos qui amore ueritatis tenentur: ad arguendum uero & conuincendum errorum & hæresum magistros: ad corripiendum prauæ uitæ instituta: deniq; ad erudiendum, per legem præceptorum & cõsiliorum ad opera iustitiæ. Cur uero? Vt sit perfectus, inquit, homo dei ad omne opus bonum instructus. Ecce scopum totius cœlestis doctrinæ, ecce illud propter quod Christus factus est magister noster, propter quod descendit in has scholas, ut doceret nos uias suas. Quas? Vt sine timore (inquit Lucas) de manibus inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate, & iustitia coram ipso, omnibus diebus uitæ nostræ. *Scopus doctrinæ cœlestis, opera bona.*
A quo scopo, Deus bone, ꝗ̃ procul abducunt aduersarĳ. quos illi nobis peccatorum horrores, formidinesq; obĳciunt. quos adhuc narrant bonorum operum hypocrises. Huc ergo toto spectabimus opusculo, omnemq; cogitationem & sensus nostros uelut in captiuitatem redactos, uertemus in obsequium fidei & bonorum operum,

ut nihil prætérq̃ doctrinæ purioris aquam horto Ecclesiæ rigando inferamus.

In præfationes Buceri & Philippi Melanthonis.

Priusquã uero rẽ aggrediamur occurrendũ nobis est criminationibus, conuicijs & maledictis, quibus Philippus & Bucerus passim in suis responsionibus, præcipue uero in præfationibus, Iudicium illud infamant: ne culpam uideamur taciturnitate agnoscere.

Philippus tragice ac grauiter uociferatur *Colonienses dicere tantũ conuitiorũ, quantũ nõ una nauis uehat, aduersus doctrinã uerã, aduersus tot Ecclesias dei, aduersus Respublicas quæ præbẽt hospitiũ, ut ait, eorũ Ecclesiis. Proinde libellũ cẽset insulsum, maledicũ, petulantẽ, scurrilẽ, obscœnũ, criminari, calũniari, conuiciari, damnare bonos & innocentes Euangelij prædicatores: tráducitq́; eius authores quasi obruant ueram Dei inuocationem, defendant idola & uiciosos cultus: & idolomania iterum atq; iterũ insanis uocibus clamat. Eadem fere omnia facit Bucerus, faciũt & alij, & atrociter in Iudiciũ illud inuehũtur.*

Heretici maledici. Verum nos talia ab ipsis expectabamus. Nouimus mores & ingenium hominum, neq; nunc primum eorum furor & maledicentia fit nobis comperta. Antea Lutherus sic insaniebat & ferebatur in Romanum Pontificem, in Cæsarem, in Reges, in Episcopos, & omnes ordines Ecclesiæ: a tali præceptore instituti, quid agerent aliud? Nimirum ad eam aspirant perfectionem, ut sint sicut eorum magister: cui parem in maledicendo hic sol nunq̃ uidit.

Primum igitur quod queruntur nos dicere conuitia aduersus doctrinam ueram, puto nunq̃ demonstraturos, & tam est a uero alie-

num

num,quàm ſunt ipſi mēdacijs obruti. At illud quod dicūt nos pronunciare aduerſus tot Eccleſias dei,& reſpublicas quæ præbent Eccleſijs eorum hoſpitium, Teſtis nobis eſt deus,teſtis etiam hæc conſcientia, quæ diſſimulare non nouit, nos nihil aduerſus quenquam piorum hominum ſcripſiſſe, qualibet in republica uerſentur: neq; enim cum Magiſtratibus aut Principibus rerumpublicarū de ciuilibus nobis eſt cōtentio:ſed cum hæreticis luctamur,iſtos perſtringimus,& quot eā profeſſionem ad eliminandā ſanctorū patrū doctrinā & Eccleſiā dei peruertendā aſſumūt. Nec Eccleſias inſectamur ullas dei,ſed hæreticorū:imo non Eccleſias,ſed conciliabula impiorum,ſynagogas Sathanæ & Antichriſti. Vna eſt enī catholica & ſancta Eccleſia dei,extra quā,quotquot ſunt collectiones,concilia ſunt impiorum & cathedræ peſtilentiæ. Neq; Chriſtiani nominis ueritas,neq; pietatis ueſtigiū ullum uigerent in nobis,ſi ne impio quidem diceremus,Impius es. Non enim debent(uel ipſo Philippo teſte)pij blaſphemias malorum diſſimulare aut ferre ut lupi tam licenter,tamque impune graſſentur in ouilia Chriſti.

Contra quos agatur hoc libro.

Iam qui nobis multitudinem ſuarum Eccleſiarū iactant & obijciunt,an putant nos prorſum extinctos,& non reſtare nobis in catholica illa adhuc integras ullas Eccleſias? Gratia Deo per dominum Ieſum CHRISTVM catholicæ Eccleſiæ ſuæ ædificatorē, cuſtodem,& protectorem, qui ſanctam Colonieſi. Eccleſiam in ſua fide & Religione,inter tot diſcrimina, & præſertim lupis immiſſis, ſeruauit conſtantem, cum cæteris per totum orbem diffuſis Chriſtiani nominis Eccleſijs. Etſi enim aduerſarij Nothas quaſdam contra ueras in Germania erexerint, reſtant tamen adhuc & in iſtarū medio reliquiæ plurimæ nondum extinctæ, quæ fidem à maioribus acceptam, uelut in captiuitate Babylonica fideliter cuſtodiunt. Sunt & aliæ in maxima Germaniæ parte,etiamnum intactæ & florentes Eccleſiæ, quæ lupos hactenus à caulis ſuis fortiter prohibuerunt. Quid memorem Italicas, Hiſpaniarum, Galliarum, Britanniarum,tot Inſularum,Aethiopum,Indorum,Maurorum, Orientis & Occidentis infinitas & beatas Eccleſias? ad quas ſentinæ iſtius fœtor nondum peruenit.

Quis

Quis neget aũt (nisi insanus hæreticus) has ipsas quæ à finibus terrarum usq; ad fines in eiusdem fidei professione (diuersitate morum non obstante) consentiunt, catholicam Christi ecclesiam constituere? Si enim catholica quærenda est, in multis non in paucis quærenda est. At si nos et numero plures, & fide ueteri, religioneq; probatiores habemus Ecclesias dei, cur qui nos uetant uera loqui aduersus paucas, sibi permittunt aduersus & plures, & potiores proterue blaterare, & suas nænias falsas & impias impudenter ingerere? Cur aduersum ueteres & ab apostolorum tempore durantes insurgunt, qui non ferunt ut nouicijs istis cõtradicatur? Scilicet istis omnia licent, nobis nihil nisi ut muti & insensibiles feramus nos à lupis strangulari & suffocari. Indignum facinus. Quid enim uolunt? quid isti sibi arrogant? Quicquid liuoris in buccam uenit cõtra sanctam Ecclesiam catholicam, petulanter expuunt: & nobis non permittunt eius defensionem, non ut abstergamus eorum uirulentas aspergines? Non ergo contẽdimus cum Magistratibus aut Rebuspublicis Christianis, non cum ulla Ecclesia dei, sed pro Ecclesia catholica pugnamus, ferimur contra authores sectarum, perniciosas hæreses taxamus, & uitia quæ isti conuitia esse nostra interpretantur.

Quæ Ecclesia catholica

Sed quæ tandem sunt conuitia de quibus queruntur? an quod mendaces, impostores, seductores, hæreticos, falsarios, sacrilegos, & incestuosos appellauimus? Vtinam non essent: vtinam digna esset querela, libẽter sustineremus nos esse falsos: cũ tot nominibus proh dolor non nisi uera loqui ipsis efficiẽtibus possimus. Nec pulchriora aderant quæ rebus turpissimis inderentur nomina. Nunquam nobis fabæ dicuntur nuces aut ficus, sed ficus ficus, fabas fabas, ligones ligones appellamus. Conferantur appellationes cum rebus uestris, si non sunt facta uestra nostris uocibus atrociora, erimus uani & falsi, & petulantes, & conuitiosi, & criminatores, ut libet: quales esse nondum per uos possumus.

Sunt qui mollissimis appellationibus palpent hæreticos, forte laudis aliquid etiam ab aduersarijs uenantur: lenis est Pighius, Alphonsus adblanditur, & nuper quidam egregie & docte contra

eos differens, posteriori æditione rhetores facit, quasi de eloquentia sit certamen, aut oratoris boni officio, quos rectiori nomine prius appellauerat hæreticos. Non hic disceptatur contra Cicerones, Quintilianos, Eumenios, Libanios de rhetoricę præceptis, sed cōtra hæreticos, quos non est nouum esse literatos. Literatissimi fuerunt & eloquentes Paulus Antiochenus Originis pręceptor, Marcion, Tacianus, Aerius, Apollinaris, Iulianus item & Celestius, cum quibus B. Augustinus luctatus est, & alij plurimi: quanto eloquentiores, tanto magis perniciosi. Non enim literæ, sed fides facit Christianum. Quod si hos appellant patres hæreticos, perfidos, corruptores & pestes animarum: Cur non & istos proprijs & aptis describimus figuris? An sunt isti illis meliores? aut minus male de Ecclesia meriti? Quid queruntur igitur? non pudet esse, & pudet appellari? Quid rumpuntur?

Heretici eloquentes, sed non fideles.

Si expostulandum est, quāto iustius querantur catholici, atrociora longe nullis suis meritis ab eis perpessi, quos & flagitijs suis incessunt & maledictis? Quod si quis uelit euidenter cognoscere, dispiciat tantum utriusq; morem, & quid utriq; ab alteris passi regerant contra. Quando uertunt hæretici ædes catholicorum Christo sacratas in horrea, monasteria in stabula, altaria subuertunt, proterūt imagines sacras, picturas abradunt, uasa aurea, argenteaq;, & omnē ornatum, ministerijs diuinis consecratum, diripiunt, omniaq; prophanant: Catholici hos tales non iniuria, ut opinor, appellant sacrilegos: idem enim leges, idem canones, idem facit consensus totius orbis, fecit idem omnibus seculis Ecclesia dei. Contra uero quādo Catholici deo templa sua consecrant, construunt altaria, uitas sanctorum patrum describūnt picturis, statuunt sanctis post egregia pro Christo certamina imagines, seu trophæa quędam uictorię, uenerenturq; easdem ob memoriam martyris (quem represētāt) aut ossa & reliquias deo dignas exosculantur, Idolomania, Idolomania insanis uocibus hæretici exclamant. Quo iure? quæ leges permittunt? quę scriptura cogit? quæ est offensio? Quid mali commisere in hęreticos Catholici? quod est peccatum eorum qui deum in sanctis quanto possunt pietatis studio uenerantur, laudant & prę-

 dicant

dicant? Cur quod sacra scriptura in Ethnicos, in falsos deos tonat, in sanctos dei, in Christianę pietatis studiosos, inuidia maleuolētiaq; pleni detorquent? Cur ex uirgine matre Dianam, ex Petro nobis Apollinē, ex Paulo Martē, ex cultoribus eorum Druydas, & Vestas & flamines & Salios & idololatras pręter causam faciunt? à quibus hoc iudicium patribus acceperunt? quę ratio nisi libido huc impellit? Si nouicij sunt mores isti, & non ab initio nascentis ecclesiæ ad hæc usq; tempora, ubicunq; terrarum Christi nomen inuocatum ē, durauerunt, si est inuentum nostrū, nos inuadant: Si uero sancti patres morem illum & docuerunt & seruauerunt, si demonstrarunt eum esse uoluntati dei & scripturis consentaneum, quur nobis potius quàm illis dentem infigunt? Quando sacrosancta redemptoris nostri sacramenta honorate tractamus, ueneramur & colimus: quādo baptismatis fontē in nomine domini consecramus, cruce signamus infātes, ungimus quos ungit spiritus, aut alia diuina mysteria peragimus, ritu quem patres tradiderunt, rebusq; externis exprimimus, insaniunt aduersum nos, & maledicunt benedictionibus nostris, irascū tur quod paruulos nostros non uel ad puteum, uel ad Rhenū, uel Albim lauandos deferimus. Quo iure? Quo patrum exemplo aut scripturę testimonio? Contra uero quando ipsi cæremonias bonas eliminant, sacramentis dei suam detrahunt maiestatem, & uel indigne tractant mysteria, uel abrogant: quando concordiæ fastidio ab Ecclesiæ unitate, sanctissimisq; patrum traditionibus impie recedunt, schismaticos eos & impios & sectarios appellant Catholici, dicat quis an iniuria? cum idipsum faciant leges, Canones, apostoli, patres, denique & sacræ scripturæ.

Vtri ergo, Catholici an hæretici sint petulantes, conuitiosi, maledici aut scurriles, sepositis paulisper affectibus, rationeq; in mentem reuocata, iudicent qui utriusq; partis scripta legerunt. Non paramus dictis excusatiōnem, quæ rebus ipsis respondent, imo rerum atrocitate superātur. Quamuis enim Colonienses imitati sanctos apostolos, qui aduersarios ueritatis, subinde pseudo apostolos, operarios subdolos, transfigurantes se in apostolos Christi, ministros sathanę, inimicos crucis Christi, canes, lupos, & similibus ad hoc aptis nominibus

minibus appellitent, nostri quoq; temporis hæreticos uoluerunt similiter describere, nondum tamen Ecclesię istis authoribus afflictæ ac uastatæ dolores, nondum crudelitatem factorum, dignis & iustis uocibus sunt assecuti: ijsdem enim eulogijs, nec atrocioribus, insignes istos perstrinxerunt, quibus apostoli, quibus patres, quibus Canones & leges, quibus denique ipsa euangelia uulgares quosque hæreticos incessunt. Quis autem propterea uel maledicos censeat Colonienses uel conuitiosos magis q̃ Apostolum ipsum? Qui ueritati resistebant, audierunt à Christo, Vos ex patre diabolo estis. An erat hoc conuitium? Sic absq; ullo conuitio eosdem illos appellat Euangelium genimina uiperarum, generationem prauam & adulteram, lupos rapaces: Paulus canes appellat, Iohannes Antichristos, Iudas apostolus nubes sine aqua quæ à uentis circunferuntur, & impios, qui dei nostri gratiam transferant in luxuriam. Irenæus aduersus hæreses libro tertio de Iohanne apostolo refert, quod cum uidisset Cerinthum in balneo fugerit inde non lotus, dicens, quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus ueritatis. Idem refert Polycarpum Iohannis apostoli discipulum, Marcioni occurrenti sibi & dicenti: Cognosce nos, respondisse: Cognosco te primogenitum Sathanæ. Hilarius Arianos pestes, diabolos, Sathanas & Antichristos appellat. Et si uis nosse quanta libertate in summos monarchas hæresis illius propugnatores elatus sit, lege scriptum eius in Constantium imperatorem: Et leuia tibi uidebuntur, quæ Colonienses in futiles istos homines, maioraque ausos dixerunt, ubi & temeritatem & petulantiam sic refellit. Non est (inquit) istud temeritas, sed fides: neque inconsideratio, sed ratio: neque furor sed fiducia &c.

Vide ergo Lector sanctos illos patres non ioco lusisse cum hereticis, nec adulatos, nec adblanditos: sed quod in nobis isti accusant, seueriter insectatos. Quid ni enim? latrunculos, fures, publicæ monetæ falsarios, plagiarios, homicidas, crucibus, gladijs, flammis, persequimur: & magnos istos animarum occisores palpabimus? Non uilis monetæ, sed doctrinæ sacræ fal-

ſarios, plagiarios: non qui liberos hominum, ſed qui Eccleſiæ filios diabolo uendunt: non fures, ſed ſacrilegos. Congerunt in nos maledicta & conuitia, ſed arte conficta ſine ueris criminibus: Sunt enim uerborum artifices. Nos uero nullo artificio ipſam nudam, ipſam irrefragabilem ueritatem abſq; conuitijs proferimus. An conuitium eſt, latronem appellare latronem? Conuitia erunt ſi purgabunt crimina. Nulla hæreſis tantam permiſit malorum licentiam, nulla peccatores tã reddidit ſecuros, nulla tantam inuexit impietatem, nulla adeo prophanauit ſacra omnia, aut cultum dei adeo uaſtauit. Superiorum temporum hæretici ſi iſtis conferantur, pij uidebuntur. Siquidem promotores pietatis uideri uolebant: quam iſti explodunt & irrident. Teſtantur hęc facta nunquam ſatis deploranda, teſtantur euerſa tot monaſteria & templa, ueræ pietatis quondam officinę, nunc horrea, ſi non proſtibula. Teſtantur aut contaminata aut abrogata fidei noſtrę ſacramenta, cęremonię irriſę, contemptus ſanctorum, quę ſecuta eſt barbara impietas. Teſtantur ueterum donaria & uaſa diuini miniſterij templis ſacrilege ablata, teſtantur & inceſta monachorum, monacharumq; connubia. Negent iſta ſi poſſint. Sed non negant, & peccatum ſuum ſicut Sodoma prędicauerunt, noluerunt erubeſcere. Eſt ne aliquid adhuc bonorum morum in Eccleſia quod intactum reliquerunt? Et his talibus ſcilicet, adblandiemur? uolunt ut arrideamus tantis flagitijs? Arrideant qui poſſunt, ego non poſſum. Nec ero propterea aut maledicus, aut petulans, aut conuiciosus aut ſcurrilis magis quàm ſancti patres, quorum zelum libero ſpiritu imitabor, & uerax ero, & conſtans, & fidelis impiorum inſectator, Chriſtiq; domini noſtri quantũ uiribus ualebo impiger ſeruus. Si quicq̃ affingunt Catholici hęreticis, ſi non congruunt in eos appellationes, ſi aſperius aut aliter quàm patres de eis conſtituerunt, ſi noua, ſi ſua inuenta, pręter ſcripturarum conſuetudinem effulminant, fatebimur hęreticos bono iure de nobis queri, & conuitioſos & maledicos, & mendaces nos habendos. Verum ſunt omnia noſtra dicta meritis eorum longe inferiora. Ea enim, quis aſſequatur? quæ lingua formare, quod ingenium excogitare poterit, tot talesq; maledictionũ

ledictionum, execrationum, fulgurum, conuitiorum, calumniarum, irrisionum, sophismatū, imposturarum, traductionum, & sycophantarum formas, quot & quales sunt illis in promptu: quibus si noxios, si male meritos impeteret, ferendum fortassis esset. Nunc uero perstringunt etiam sanctę & doctrinę & uitę ac de Republica Christiana optime meritos uiros, receptos (ut Hilarij uerbis utar) iam in ęternam requiem, patres nostros lacessunt, & in decreta eorū peruerse irrumpunt: Quod fecisse deliciarum & uoluptatis loco habēt. Nobis uero contra, omnia ab ipsis per uim extorta, quiscimus nihil temere nobis aduersum eos excidisse: q̄d fecimus, necessitate adacti fecimus, quo res ut sunt nobis describerentur, seruata interim cū seueritate apostolica modestia. Si dolet appellatio, cur nō dolet res? nihil interāmus aduersarijs, quod non ipsi sibi consciscunt, ac re ipsa prestent. Negent esse quod appellauimus si possunt, purgent scelera: sunt leges sacrosanctę, sunt canones Ecclesiastici toto orbe recepti, nec recens introducti, verum à maioribus nostris ante annos plus mille, tantum non adorati, sunt iudicia & tribunalia quibus causa discerni & iudicari queat: Ad hęc sistamur, figamus utriq; pedes. Qui nocentes, quiq; innocentes, non nos, aut aduersarij constituamus, sed iudicent leges.

Obsecro te candide Lector, ut boni consulas quod preter mores & mansuetudinem nostram, amarulētior fui, seueriusq; nęnias, quas poteram contemnere, sum insectatus. Enimuero semel erat criminationibus occurrendū: maledicentias, petulantias, & id genus calumnias semel refellendas existimaui. Non utiq; quod magni faciā, si maledicus me uocet maledicum, petulans petulantem, conuitiosus conuitiosum: Stultum etiam (si libet) & insanum uocet, sicut Iudicij scriptorem Philippus quasi bene saginatum monachum taxat. Scio maledicta non esse regerenda, scio quod scriptum est: Si patremfamilias uocauerunt Beelzebub, quanto magis uos domesticos eius? Et rursum, Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos mentientes, *Matth. 5.* propter me, &c. Verum culpam cognoscere non poteram, aut cōcedere aduersarijs, quod causam suam iniquam uoluerunt hac in re

facere causæ nostræ parem. Et cum sint ipsi maledici, nos quoque eodem uicio notare, ac crimina, quibus à plantis ad uerticem usque inuoluti sunt, transferre & in Catholicos.

Videntur mihi homines isti, similes latronibus, pacatam aliquam ciuitatem prædationis causa inuadentibus, qui (ubi ciues pro sui defensione ad arma concurrerint) culpent non se, sed ciues, quærantur sibi uim inferri, cum potius inferant: ciues esse pacis impatientes, cum ipsi inferant bellum: ciues offendere, cum ipsi insiliant, pacatosque perturbent & inuadant: ciues quærere spolia, cum ipsi prædatim uenerint: Cum ciues ad arma necessitas, hostes libido impulerit & rapacitas. Non aliter profecto genus istud scriptorum facit, lędunt, & se lædi sine causa queruntur: inuadunt, maledicunt, conuiciantur, criminantur, atque ubi repelluntur, queruntur se peti, se inuadi: quum nos ad ueritatis & Ecclesiæ defensiõem necessitas, illos ad oppugnationem sola extimulauerit libido. Sed de hoc satis.

Iam quod uocant librum insulsum, ferimus, nec propterea eis irascimur: probe enim sciebamus, uetusta, sana, uera, & catholica, palato eorum non admodum arrisura: quibus grata & amica est uanitas, nouitas, libido. Sed nec institutum nostrum est eis uel mulcere aures, uel palato eorum seruire.

Quod autem scurrilem, & obscœnum uocant, uellem designassent loca: cum non nisi grauissime de rebus magnis uoluerimus censere. Sed prudenter Philippus, Contumeliosas, inquit, appellationes & Plautina uerba additis, q̃ non recitabo: legant hæ delitiæ in libris uestris. Philippus non uult prodere locũ, tanta est hominis uerecundia: Pulchrum est artificium istud. non prodit enim, quia pudet, imo quia non reperiet usquam. Siquidem nos neque Plautinum aliquid, neque comicum, neque tragicum, neque rethoricum affectauimus, sed tradendi ueritati, quæ fucis & arte nihil opus habet quam simplicissime dedimus operam.

Multa in præfationibus eorum, ut quod tam magnifice prædicant & iactant puritatē doctrinæ suorũ, quid spectauerint, q̃d quæsierint, quid præclare egerint, aliaque tam uana, & à ueritate remota quam non b̃n ueterē Ecclesiã prodigiosis calumnijs traducunt. Item

quod

quod Philippus captet beneuolentiam Academiæ Coloniensis,cui se fatetur nonnihil debere: ubi possem ego parricidalem eius ingratitudinem narrare,consulto prætereo,quod aut sint parerga,& nihil ad rem, aut in processu discussionis satis confutabuntur cum reliquis calumnijs,quibus nos aiunt supprimere ueram doctrinam, obscurare lucem euangelicam,miscere religiones, ueram inuocationem obruere. Non pudet enim tam impudenter mentiri perfrictæ frontis homines. Proinde de doctrina cum ipsis primum agemus,& quid illi,quid item nos,doceamus,cum sacris scripturis conferemus,efficiemusq; (quantum gratia dei nos adiuuerit) ut Lector Christianus & candidus clare uidere queat ac discernere,utri nostrũ ueriora doceant,utri euangelium illustrent aut obscurent,aut à uera dei inuocatione homines abducant.

IVDICIVM DEPVTATORVM per Vniuersitatem & secundariũ Clerum Coloniensem de libro Martini Buceri,quẽ Germanice quidẽ, sed Heluetiorum lingua,atque adeo Vniuersitati & Clero uix satis intelligibili, scripsit,de doctrina & uocatione sua ad Bonnam. Additur interdum,ubi res uidetur exigere,breuis & succincta ratio Iudicij istius,ut ne quis putet Vniuersitatem & Clerum sine causa, & non magis zelo Christi(quem testatum uolunt,se nulla alia ratione huc commotos q̃ pro eiusdem Christi dei nostri gloria, & orthodoxa fide asserenda) Bucero contradicere. Iudicium.

Ortodoxus

TAm prauo ingenio aut tam iniquo erga Vniuersitatem & Clerum Coloniensem affectum animo arbitrabar fore neminem, qui ea quæ in causa sacrosanctæ fidei nostræ, cuius puritate acquiritur, corruptione amittitur uita æterna, graues illi tam illustrium ordinum atq; dignitatum uiri, iuxta pietate ac eruditione præclari, quorum multis in rebus probitas atq; integritas, longe lateq; spectata est, de doctrina & uocatione Martini Buceri censuissent, de alio crederet animo profecta, q̃ qui cupiat Christi dei nostri gloriam cum primis illustratam, ac religionem in qua extra omnem dubitationem saluari sperant, ab omni uindicatam errore, id quod præfaciuncula sua delecti protestati sunt. Ea est enim Vniuersitatis huius & Cleri in Religione ac fide Christiana perpetua constantia, quæ in nullius gratiam a uero deflecti possit, ea pietas ac studium tale, quod suspitionem aliquam de se sinistram non admittat, ea dignitas, grauitas, uitæq; & morum integritas, cui nemo nisi corruptissimus, ac maleuolentissimus detraxerit: is deniq; animorum candor, qui in calumniam rapi non possit; ut nihil minus sperauerim q̃ prodituros qui secus atq; illi intenderunt, studium eorum interpretarentur, aut raperent in diuersum. Verum quãdo ab impijs (ut in sacris dicitur) progredietur impietas pfrictæ frontis homo Martinus Bucerus, non est ueritus tam sanctum eorum propositum ac studium, suggillatione nepharia commaculare, fingitq; Delectos non æquis animis tulisse, quod mandatum & gloriã dei Christiq; potestatem, ipse uidelicet extollat, quod ab Ecclesiæ ministris probitatem seuerius exigat, & officia Religiosiorumq; puriorem meditetur Reformationem: atq; hac ratione extimulatos ad cõscribendum istud eorum Iudicium aduersus suam, quam uult esse purissimam doctrinam. Quæ sane ingens est calumnia, non nisi de pessimo & iniquissimo pectore excogitata. Vtinam autem hæc urgeret Bucerus, facile conueniret inter Vniuersitatem illã Clerumq;, & ipsum. Adeo uero non reformat Monasteria, ut potius excindi omnia uelit, ipse Monasterij sui desertor: adeo probitatem & officia ab Ecclesię ministris nõ exigit, ut Canones iam fere omnes ipse exlex impie conuulserit, Ecclesiæq; ministros coniugiorum, culina-

Bucerus calũniatur Colonienses.

Veræ causæ quur Colonienses Bucero se obiecerint.

rum

rum secularium & prophanarũ rerum uelit esse seruos, Christi gloriam & potestatem, adeo non quærit, ut sacramentorum eius quædam falsis doctrinis contaminet, quædam spoliet uiribus, alia aufe- rat, pulcherrimosq; cultus ac cæremonias quibus adoratur & colitur Deus, tanquam stercora proculcet. Quod autem de mandatis Dei iactat, quale est? Ille ne extollit ea? nihil profecto minus. Siquidē iusticiarijs istis uel sola fides sufficit, idcirco bonorum operum mandata ad iustificationem ac salutem consequendam putant non admodum conferre.

Confer autem lector Christiane doctrinam & mores istorum cum decalogo præceptorum diuinorum, & facile apparebit quàm uere iactent se præcepta Dei extollere. Quid enim de primo præcepto, quod est dilectionis Dei & fidei glorientur, qui fidem catholicam impugnant? Quid de secundo, qui uota Deo sacrata, quæ nihil aliud sunt quàm iuramenta quędam, uiolare docent & rumpere? qui uerbum DEI, sacras inquam scripturas, pro libidine adulterant, corrumpunt & peruerse exponunt; cum uel nomen dei cor firmandæ ueritati frustra ac temere adhibere, crimē sit periurij. Vbi cultus diuinus & ceremoniæ ab Ecclesia auferuntur, ubi neq; Christi dei & redemptoris nostri natiuitas, neq; passio, neq; resurrectio festo aliquo die exhibetur; quæ habetur ratio præcepti de sacrificando sabbato? Volo scire parentes quomodo honorent, qui recalcitrant Ecclesiæ quæ nos genuit, qui sanctis patribus cum Christo regnantibus, qui Episcopis & legittimis Pastoribus, quos ille Ecclesiarum uoluit esse præsides, adeo non auscultant, ut etiam contumelia frequentius afficiant? Incestuosa ac quouis adulterio sceleratiora miscent coniugia, pudoremq; Deo consecratum per libidinem soluunt, & uidentur sibi non mœchari? Templa Dei sacrilege despoliant. Census Ecclesiarum aut ad se pertrahunt, aut alio conuertunt quam uoluere fundatores. & uidentur sibi mandata illa, Non furtum facies, Non concupisces rem alienam, recte exegisse? Quando patres infideliter in testes allegant, (id quod eis familiare est) ubi mandatum illud, Nō falsum testimonium dices? Iam tot animarum myriades crudeliter in Orcum miserunt, turbas rusticorum in mutuam cædem concitarunt.

Decalogum quo exigunt Lutherani.
I. Diliges dominũ deũ tuũ
II. Non peierabis.
III. Sabbatũ sanctifica.
Honora patrē & matrē
Non mœchaberis.
Non furtum facies.
Nō dices falsum testimonium.
Non occides.

runt, seditionibus omnia impleuerunt: & uidentur sibi tot cedium authores, mandatum illud, Non occides, non pternisse? In tot sponsas Christi lasciuos oculos coniecerunt, quot uel (ne uouerent) prohibuerunt, uel è Monasterijs ut fugerent solicitarunt. Cupiditate quoq; insatiabili totius Ecclesiæ inhiant opibus: & putant se concupiscētiæ egregie restitisse? putāt mandatū illud, Nō cōcupisces uxorem proximi tui, nō domū, non agrū, nec uniuersa q̄ illius sunt: qui Christi depereunt sponsam, quibus nōdum sufficiunt tot Ecclesiarū direptarum opes, se strēnue urgere? Ah bone uir, hæc piorum oim est querela. Hæc fuit Vniuersitatis huius & Cleri iusta ira, iustaque pro deo & mādatis eius indignatio: corruptelas & imposturas istas deus odit, nec diutius finet latere. Iam plus nimio grassati estis, falsa pietatis specie homines incautos dementastis, nequiter transfigurati in angelos lucis. Hic est dolor Vniuersitatis & Cleri: hinc pro deo contempto, pro laborante eius Ecclesia, pro salute proximi pereuntis, se uobis obiecerunt: hac ad scribendum, non qua tu uis ratione Bucer, impulsi sunt. Cessent igit perfidi causas nobis assignare indignas, cessent nequiter piorum studia traducere. Nos iam face euangelicam, doctrinis, placitis & moribus eorum (prestante deo) admouebimus, quo in luce, quo prætextu remoto, quærant uel talpis cæciores quique ea discernere. Ergo ad Iudicium nunc properamus.

Non concupisces uxorē proximi tui.

Non concupisces rem proximi tui.

Iudicium.



Nitio negari non debet, quin Martinus Bucerus multa tradat in hoc libro fidei orthodoxæ cōsona & catholica, qualia sunt: De summa & sanctissima Trinitate. De Christi humanitate & diuinitate. De creatione rerum, & restitutiōe per Christum facta. De causa peccati, quodq; uoluntatē malam, non Deum accusare oporteat quando peccatur. Quod asserit infirmitates corporis omemq; ad-

uersita-

uersitatem extenuare concupiscentiæ neruos. Item in operatione boni cum gratia dei simul bonæ uoluntatis arbitrium requiri. Quod per ministerium sacramentorum gratia dei nobis conferatur cum omnibus bonis fructibus. De remuneratione item bonorum operum. De ministerio angelorum. Quod sancti intercedunt pro nobis, & exaudiuntur. Quod sacerdos est minister publicus, & Ecclesię nomine officium peragit. Item, prędicandum esse euangelium purum, nec esse alienos audiendos, & alia pleraque, quæ in præsens nihil opus est recitare. Verum hæc omnia uel ante exortum Bucerum docuit, multoque melius tradidit Ecclesia. Nec est quod Bucero quisquam pro hac doctrina debeat: sed contra Bucerus debet Ecclesię, a qua accepit & didicit. Atque utinam in cæteris quoque suis dogmatis, Ecclesiæ sanctę catholicæ iudicium, fidē, & doctrinam deuotus sequeretur, & non cōuelleret atque tam misere dilaniaret, quæ ipsum genuit, & libenter resipiscentem ac redeuntē in gremium suum rursus reciperet: sed illę inflexibilis est & rigidus, utpote, multo iam tēpore in hæresi obstinatus, nec molitur aliud quam ut plures in eandem secum hæresim attrahat. Proinde satis apparet ideo ipsum hæc suæ doctrinæ admiscere, ut simplices quosque & imprudentes hac tam præclara ueritatis specie, ad reliqua similiter credenda adducat. Ad quod efficiendum ar- *Concilium Buceri.*

te insuper alia utitur, & personam sibi assumit catholici & euangelici prędicantis, qui pręter gloriam Christi & animarum salutē nihil quærat amplius, qui pro ampliando regno Dei oībus omnia fiat, paratus omnia subire & pro ueritatis ac pietatis assertione sustinere. Sui dogmatis puritatem mirifice iactat, aliorum uitia reprehendit, diuersum a se sentientes ꝓuocat ad certamen disputationis, permittit cuiuis de causa cognoscere, discernere, & dijudicare. Atqui isti sunt uermiculi quibus incauti pisces solent inescari, & trahi in nassam. Cæterum deterso fuco, si legatur liber Christiano ueritatis tenace ac deum timente animo, apparebit statim ingens errorum cumulus, in quibus sunt multi scandalosi & piarum aurium offensiui, quidam grauioris mali suspitione turgidi, plerique uero plane hæretici ac damnati: quos tamen ipse pro catholicis dogmatis uidetur asserere. Quorū omnium pars bona ordine hic sequitur.

Philippus Melanthon *Quod author scripti Coloniensis nobis obijcit, accipere nos ab Ecclesia ueras sententias, id plane & libenter fateor & prædico. Nulla enim noua dogmata gignimus, sed ueterem & puram Ecclesiæ doctrinam quantū deus concedit, illustrare studemus. Samson inquit, Nisi arassetis mea uitula, nō inuenissetis: ita semper clamamus doctricem Ecclesiam, inde usq; ab initio sonantē uocem dei audiendam esse. Sed quur inquiunt, cum multa ab Ec-*

clesia

clesia sumenda esse fateamini, nō sumitis omnia? cur quædam conuellitis? Responsio uera est. Nullum Ecclesiæ dogma conuellimus, sed recētes errores qui in Ecclesiam contra Euangelium & purioris Ecclesiæ iudicia irrepserunt, taxamus. Deniq; ut Coloniensibus uerbis utar, non Ecclesiæ, sed Cleri secundarij, hoc est, nothi & degenerantis, falsas opiniones reprehendimus.

Ita Philippe, nos à recti tenore nec latum digitum in cuiusuis gratiam uel odium discedimus, & quod æquum est de uestris quoq; scriptis statuimus: in quibus quæ catholicæ sunt fidei, libēter agnoscimus, secernimusq; ab ijs, q̄ Ecclesia Catholica damnat. Sic edocti sumus à patribus sanctis. Ita enim D. August. lib. de unico baptismo contra Petilianum: Per maiores nostros traditam nobis apostolicam regulam sequentes, si quid recti etiam in peruersis inuenerimus, eorum peruersitate correcta, illud quod rectum est minime uiolamus, ut in uno homine ex his quæ uera tenet, etiam falsa emēdentur, non ex falsis conuictis etiā uera destruantur. Et paulo infra: Absit ait, ut ego sic detestor iniquitatem tuam, ut Christi abnegem ueritatem, quam in te inuenio, ad tuam damnationem. Absit ut sic te corrigam, ut illud unde te corrigo destruam: nisi forte debeo destruere uerum quod inuenio in anima hæreticorum. *Ortodoxus.* *Mala tantū in hæreticis damnant Catholici.*

Quorsum autem quod res est & dissimulari non potest, negas nos noua gignere dogmata, aut ullum Ecclesiæ dogma conuellere, ueterem uero & puram Ecclesiæ doctrinam illustrare, ac recentes errores quæ cōtra Euangeliū & purioris Ecclesiæ iudicia irrepserūt, taxare? Vtinā Philippe sint uobis omnia uestra ab Ecclesia accepta: quod si esset, & uobis & nobis doctrinæ purioris consensum absque offensione cōgratularemur. Nunc aūt quædā ab Ecclesia, quædam à damnatis & olim sepultis hæreticis, mutuati estis, nonnihil uero de ingenio uestro nouiter estis commenti. Quando enim unquam docuit Ecclesia de peccato originis, de baptismo, de Eucharistia, de *Hæretici nouorū dogmatum fabricatores.*



 pœnitentia

pœnitentia,& reliquis sacramentis,de cœlibatu,de consilijs,& præceptis dei,de Ecclesia & eius authoritate,de Missa,de perpetuo sacrificio,de cultu diuino,de meritis bonorum operum,de inuocatione sanctorum,de Imaginibus,qualia uos traditis? Sunt & alia infinita in quibus ab omni Ecclesia dissentitis,quæq; Ecclesia non semel damnauit,uti manifestũ nobis in sequentibus fiet,ut nihil opus sit commentari uos eadẽ cum Ecclesia docere. Nugæ sunt enim & uana mẽdacia. Interim hic uide Lector q̃ tenellas & ueri impatiẽtes aures habeant hæretici:quod in eis Ecclesiæ quædam dogmata agnoscimus,queruntur sibi obijci,quasi conuicium apud istos sit cum Ecclesia sentire,aut uera docere:forte pudet ab Ecclesia accepisse aliqd.

Quis clerus secundarius. Pari nescio impudentia an malicia Philippus appellationem Secundarij Cleri suggillat, *Non Ecclesiæ* (inquit) *sed Cleri Secundarij,hoc est,nothi & degenerantis falsas opiniones repræhendimus.* Quasi non sit Clerus Secundarius Ecclesiæ pars quædam uera, propter hanc cognominationem,quod appellatur Secundarius. Qui fiet autem ut Cleri opiniones reprehendantur absque reprehẽsiõe opinionũ Ecclesiæ? Cum nihil probet Clerus quod non ipsa probat Ecclesia. Nihil tueatur nisi ab Ecclesia traditum,nihil damnet nisi prius damnatum. Non enim suas priuatas ullas, sed publicas ac receptas Ecclesiæ sententias tuetur. Quod enim tradiderũt apostoli,quod eorum successores commendatum acceperunt,atq; in posteros transmiserunt, quod sancti patres,Irenæus,Cyprianus,Athanasius, Hilarius,Gregorius, Basilius, Chrysostomus,Epyphanius,Hieronymus, Ambrosius,Augustinus, & cæteri Ecclesiæ doctores ac luminaria,(quos tu sicut noctua lucẽ odisti, & una nobiscum carpis) docuerunt,hoc recipit & sectatur. Proinde ne puta Philippe cum uno tantum Ecclesiæ Coloniensis Clero tibi negocium esse. Non hos,sed Patres illos,sed ueritatem,sed ipsam Ecclesiam Catholicam oppugnas: quã sicut Colonienses pro uirili sua,ita debent quotquot Christo nomen dederũt(modo uelint esse & haberi quod dicuntur Christiani)una cũ ipsis tueri ac defendere. Noli sperare defuturos aliquando qui tibi resistant. Ecclesiam

expugnare

expugnare non potes: quæ dum erit, erunt qui pro fide & pietate certēt. Hactenus cesserūt uobis qui ad defectionē erāt alioqui forte ꝓcliues. At non ita sancta Coloniēsis Ecclesia, quam beatissimi præsules, Maternus, Seuerinus, Euergislus, Cunibertus, Agilolphus, Herebertus, Bruno, Anno, & alij patres sanctissimi, in Christo genuerunt & instituerunt, quorum patrocinijs & oratione apud deū modo custoditur, iuuatur, protegitur, & aduersus hæreticorum garrulā uanitatem durat inconcussa.

Iam quod interpretatur Philippus secundarios, hoc est, nothos & degenerantes, suo more facit, tam candide solet & patres & scripturas sacras exponere. Verum hanc tam insignem contumeliā in causa religionis propter Christum ab hæreticis & mendacibus patiēter ferimus. Legimus apud ueteres Matrices & originales Ecclesias, ut in Tertull. lib. de Præscript. hæreticorum, quibus respondent Ecclesiæ filiorum, quas sobolem apostolicarum appellat. Habes apud eundem lib. de uelandis uirginibus, Apostolicas Ecclesias & posteras. Ad quem modum Iustinianus quoq; imperator in Nouel. const. tertia, Vt determinatus sit numerus Clericorum, & Clerum distinguit in Clerum sacro sanctæ Maioris Ecclesiæ, quem nos Primariū appellamus, & Clerum cęterarum Ecclesiarum, quem dicimus Secundariū. Hunc ordinē Lector pro dignitate sicut oportet constitutū, Philippus nobis uitio uertit, ac nostrā traducit humilitatem: uidelicet hęc sunt crimina q̄ uult reformata: exigit ut simus qualis sunt ipsi, gens in qua nullus est ordo, sed ubi sempiternus horror habitat. Hic quid faceret si dignam aliquam reprehensione culpam in nobis reperiret? Si cupit autem nosse, qui legitimi & qui Nothi sint Ecclesiæ filij, legat S. August. cōtra Donatistas lib. ij. ubi legitimos ostēdit eos esse, q uita & doctrina unitatē Catholicæ Ecclesiæ referūt & sectantur, cū Abel, Enoch, Noe, Abrahā, Moyse, Prophetis, Apostolis, Martyribus & populo dei: Nothos uero, qui Ecclesiæ unitatē aperta dissentione proscindunt, cum Cain, Cham, Hismaele, Esau, Dathan, Abiron, Chore, Iuda, Pseudoapostolis, Symone mago, hęreticis & pseudochristianis. Nunc iudica lector, utri sint nothi: nos q Ecclesiæ doctrinam defendimus, an illi qui oppugnant?

Qui nothi aut legitimi Ecclesiæ filij.

Error Buceri de pc̄tō origi nali contra gratiam bap tismi. Concupiscentiam, quę reliqua est post baptismum facit esse peccatum seu iniustitiam, atq; adeo contendit, baptizatis perpetua pœnitentia perpetuaq; ignoscentia ac remissione peccati originalis opus esse. Neque enim fatetur per baptismum peccatum illud semel auferri, sed tantū intuitu Christi baptizatis non imputari ad dānationem, si tamē peccato rursus nō seruiant.

Censura. Quo dicto manifeste extenuat gratiam baptismi & meritum sanguinis Christi. Casum uero primi parentis per quem originale peccatum primum contraximus, facit grauiorē restauratione, quam Christus sua morte nobis conquisiuit. Aliter Augustinus & catholice ad Bonifacium scribit: Dicimus baptisma dare indulgentiam omnium peccatorum, & auferre crimina, nō radere: nec ut omnium peccatorum radices, in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. sic Apostolus ad Rom. viij. Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, q non scd̄m carnem ambulāt.

Ortodoxus Melanthon relinquit Iudicium istud intactū. Quod si facit consciētia ueritatis, cui nolit amplius reluctari, spes bona est & alia multa sententia meliori aliquando correcturum. At Bucerus agnitam sibi ueritatem ptinaci (ut solet) studio ac nequiter oppugnat: quod ipsum ut hic, ita sequentibus non paucis locis faciemus lectori perspicuum. Itaq; responsurus ad censuram, *Cōfitetur se quidē de reliquijs peccati originalis ita sentire, sicut in Iudicio recitatur. Ac multis modis conatur astruere originalem*

illam

illam concupiſcentiam in regeneratis ueram eſſe iniquitatem & peccatum uerum, æterna damnatione dignum, non tamen imputari propter Chriſtum. Negat autem ſe propterea extenuare gratiam baptiſmi, aut peccatum Adæ facere maius redemptione Chriſti: quæ cum ex hac aſſertione conſequantur, obijciuntur ipſi in cenſura Delectorũ. Ergo propoſitione retenta, ac denuo aſſerta, negat abſurdarum ſententiarum conſequentiam quæ ſuam doctrinam poterat infirmare. Verum nos defenſione eius pau- Ortodoxus. cis ac fideliter recitata, & hanc eius aſſertionem defenſione ipſa cõfutata, cõuincemus falſitatis & conſequentię oſtendemus neceſſitatẽ. *Pro defenſione ſua nihil non pertentat, allegat apoſtolum* Buc. defenſio. *Paulum, deinde conſuit rationes. Ad poſtremũ facit & patres ſecum ſentire. Paulum allegat ad Rom. 6. dicentẽ: Non ergo regnet peccatum in corpore ueſtro, neque exhibeatis membra ueſtra arma iniquitatis peccato, peccatũ ueſtri non dominabitur. Item Rom. 7. Si autem quod nolo illud facio, conſentio legi quoniam bona eſt: nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatũ. Item & illud, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? In quibus Apoſtoli uerbis contendit Bucerus peccati nomine ſignificari peccati originalis reliquias in renatis ſeu carnis concupiſcentiam, idq; ſecundum expoſitionem (ut ait) ſanctorum patrum, Amb. Hilarij, Auguſt. atq; hinc tandẽ conclu-*

dit uere esse peccatum quod Paulus peccatum appellaret. Idē efficere conatur per rationes, ut quia talis cōcupiscētia nihil aliud q̄ reluctatur legi dei, concupiscit aduersus spūm, contēnit uerbū dei, deū creatorē suū neq; agnoscēs et querātur neq; uere amās. Cui miseriæ oēs sctī se experiantur subiectos. Quis aūt eiuscemodi nō cēseat (exclamat) esse uere iniquitates & peccata? Allegat August. lib. 3 contra Iulianū, ubi ait, Cōcupiscētia carnis aduersus quā bonus cōcupiscit spūs & peccatū est, qa inest illi inobedientia cōtra dominatū mētis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobediētis, & peccati causa est, defectiōe consentiētis, uel cōtagione nascētis. Itē Tractatu 41. in Ioh. Nō ergo regnet peccatū in uestro mortali corpore ad obediendū desiderijs eius, neq; exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato: nō ait non sit, sed nō regnet, quandiu uiuis, peccatum necesse est esse in mēbris tuis. Citat eundem libro 5. capite 3. loco iam allegato contra Iulianum in hanc sententiam: Si circumspectus esses, uideres utiq; ueram esse iniquitatem quod inferiora hominis, superioribus præstantioribusq; eius partibus reluctentur. Ac item libro secundo dicētem, quod hac de causa B. Ambrosius appellauerit hunc morbum iniquitatem. Hæc omnia Bucerus pro sui dogmatis defensione. Verum quàm perperam quanq; infideliter, uidebis infra. Nam puto me opere facturum precium, si quod res uidetur exigere, prius Ecclesiasticam de originali peccato doctrinam explicuero quàm ista refellam.

Orthodoxus.

Preterirem

Prætereirem aût difficilẽ illam & uix paucis intelligibilem disputationem de peccato Originali, nisi aduersarij huic superstruerent tã ingentes hęreses, ac totum hominem abducerent in desperationem. Non est em̃ doctrina ista exiguus quidam articulus, sed precipuum membrum aut uerius corpus doctrinę aduersariorũ. Homines peruersi dati in reprobum sensum, nihil cogitant, nihil somniant, nihil loquuntur nisi iras, terrores, iudicia, formidines, odia, meras mortes, meras dãnationes, & tanq̃ ab inferno prodeant in terras, omnes sensus monstrosis formis in horrificas quasdam perturbationes cõuertunt, nimirũ suis moribus suaq; doctrina aptas & congruas meditationes, quæ omnia cum euangelio gratiæ dei & liberatione p Christum factæ, ex diametro pugnant. Enimuero Euangeliũ nunciat pacem cum deo, parit consolationem, dulcedinem & suauitatem in spiritu sancto: atq; hanc ipsam animorum suorũ deprauationem, in peccatum Originale totum reijciunt, quasi Originale peccatum, etiam in regeneratis omnia de se peccata transfundat, semper uiuat, semp duret, nunq̃ extinguatur, nunq̃ cesset peccare, nec fere aliter loquũtur, quàm si sint mali actus nostri omnes originales. Atq; ita à uoluntate sua praua, culpam in naturę necessitatẽ reijciunt, deo & operibus eius non paruã iniuriã irrogantes, & in spiritum sanctũ cõtumeliosi, cui tã parum tribuũt uiriũ quàm fuco rebus turpibus superinducta, qui turpitudinem non auferat, sed abscondat tantum.

Horrida Hæreticorũ doctrina.

Euangelium consolationẽ affert.

Doctrina Ecclesiastica de peccato Originali



Ancti patres sanctis scripturis innixi semp docuerũt, sempq; credidit Ecclesia dei, primũ hominẽ Adã cum esu fructus uetiti mandatum dei in paradiso fuisset trãsgressus, statim cum omni sua posteritate amisisse rectitudinẽ & felicitatem in quibus erat constitutus: incidisse autem in contrarias calamitates & deprauationes, quæ in omnem eius progeniem, ipsa propagatione profluerent.

Originalis peccati mala.

Numerãtur aût in scripturis sacris istæ precipuę. Prima, Peccatũ præuaricatiõis seu inobedientiæ, quo à deo auersus, ad diabolũ autẽ cõuersus, gratiã & iustitiã acceptã amisit: irã uero & indignationẽ dei incurrit, factus immundus, contagiosus, fœdus, indignus, odibilis,

Primum peccatum inobedientiæ.

dānabilis, reus, quę oīa ita transmissa sunt in progeniē ab eo succedentē, ut simul cum ipso facta sit, eiusdē pręuaricatiōis rea circundata corpore peccati. Hinc nascimur ab Adā oēs filij irę, peccatores & immundi. Non proprio aliquo nostro peccato: nihil eñ nascentes boni aut mali peregeramus. Sed illo peccato q̄d pertransijt in oēs, quod singuli in natiuitate, licet ignari & nesciētes cōtraximus. Hoc nimirū est unicum illud transgressionis & inobedientiæ peccatū, de q̄ Apostolus Rom. v. Per unū hominē peccatū intrauit in mundū, in quo oēs peccauerunt. Itē, unius delictū in oēs homines in condēnationem. Et cū multa sint in mundo peccata, ne ignoremus, quod nam inter oñia hęreditaria successiōe in nos deriuatū esset, apertius ibidē dicit Apostolus: Per unius inobedientiā, peccatores constituti sunt multi. Inobedientia itaq; est unicū illud pc̄m̄, in Adā quidē qui ipsum pegit, actuale. In nobis uero filijs eius p transmissionē hęreditarium, dictum originale: quod cū origine contrahat. Non quidē q̄ actus ille transierit in nos, aut in nobis hæserit pmanseritq;, sed actus illius pc̄m̄, i. culpa, reatus, macula, auersio à iustitia, imo turpitudo iusticiæ cōtraria, quæ hęsit permansitq; in posteritate.

2. *Mors.* Secunda. Damnatio illa pro transgressione mandati, uoce deī pręnunciata & constituta. Genes. ij. De ligno scientiæ boni & malī ne cōmedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Hoc est chyrographum illud diuini decreti contrarium nobis, quo omnes æternę morti obligabamur: Non habet enim chyrographum illud reditum ad uitā. Sed morieris (inquit) non utiq; temporalis uitę denegato spacio: ipsum enim concedebatur, nec statim post esum Adam in corpore mortuus est, sed futuri temporis uerbum (morieris) ut spatium temporale corpori concedit, ita infinitum & æternum à se relinquit, & animæ mortem complectitur. Hinc omnes ab Adam geniti, sunt filij mortis, hęredes damnationis, serui diaboli. Vnde Apostolus: Peccatum per unum hominem intrauit in mundum, & per peccatum mors: ubi aliud peccatum, aliud est mors. Sic alibi idem ille Apostolus: Stipendia peccati mors. Et iterum, peccatum regnauit in mortem. Hinc princeps tenebrarum qui habebat mortis imperium cœpit dominari in hominem,

nem,

homine, qui libertate amissa, factus est seruus eius, cuius perfecerat uoluntatem, atque inde est ut corpus nostrũ factum sit corpus mortis, & cui lex peccati & mortis dominetur.

Tertia. Concupiscentia menti rebellis quæ prauitas in paradiso inchoata, fixit radices in carne, in qua manet, atq; in omnẽ transfunditur posteritatem. Antea erant omnia in homine sana, & in ea constituta rectitudine, qua uires inferiores superioribus parerent, habebat perfectam obedientiam & trãquillitatem in seipso: quodcunque uoluisset mens, huic & sensus, & affectus inferiores absq; repugnantia acquiescebãt. Non carebat quidem passionibus, ira, odio, tristitia, gaudio, cupiditate, sed his poterat uti recte: irasci diabolo, amare deum, odio habere peccata, gaudere in domino, cupere optima. Erant enim affectus isti adhuc incorrupti, & plena in eis libertas. At ubi concupiscentia menti hominis semel obluctata, per inobedientiam præualuit (peccauit enim Adam cõtra suam ipsius mentem & iudicium, non ignorans Deum aut eius mandatum, sed sciẽs & uolens: quæ erat perfecta rebellio) occupauit deinceps in carne habitationem & possessionem, ut carne ex carne procreata, & ipsa simul carni inhærens propagatione transiret in omnes. Non incorrupta qualis erat antea, sed praua & præuaricatrix, peccato inobedientiæ & prœuaricatiõis (per quam est & ipsa peccatum) obducta instructaq;. Sublata autem per regenerationem inobedientiæ & præuaricationis culpa, non restituitur quidem ad plenum suæ integritati & incorruptioni priori, manet enim deprauata nonnihil & rebellis, sed tamen considerata nuda & sola, qualis est uoluntate mala non accedente noxa caret peccato. Atq; hinc est colluctatio illa interior, qua caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, ut non quęcũque uelit spiritus, eadem faciamus. Hinc debilitatę sunt totius naturæ uires: intelligentia, memoria, ratio, uoluntas, liberum arbitrium, iniectaq; homini magna difficultas, per quam est tardus ad intelligendum superiora, pronior ad inferiora. ut dicat Apostolus: Animalis homo non percipit ea q̃ sunt spiritus Dei. Sensus quoque corporei corrupti sunt: uisus, gustus, uis olfaciẽdi, uis audiẽdi & sensatio, ut multa sint animalia quæ hominem hoc uel illo sensu non

III. Virium deprauatio.

Increatus Deus & omnis eius creatura, peccatum illud persequuntur. Statim enim ut contractum est, absque temporis interuallo, sequuta est damnatio mortis, repugnantia ab internis, repugnantia ab externis. Nunc quid doceant aduersarij.

In quo doctrina aduersariorum de peccato originali cum Ecclesiastica doctrina conueniat aut dissideat.

ADam esu fructus uetiti cum omni sua posteritate amisisse felicitatem æternam, ac mala plurima temporalia incidisse, sic ut nos fatetur. Verum quæ mala & quanta, non per omnia eadem nobiscum tradunt.

Primo ubi nos unicum præuaricationis peccatum docemus, atque hoc esse solum & uere originale: isti originalis peccati pomeria latissime porrigũt, & quicquid fere est uitiorum in hominibus, totum congerunt in culpam originalem. Non modo inobedientiam, sed & ignorãtiam dei, incredulitatem, diffidẽtiam, desperare gratiam, odiũ & contemptum dei, uacare metu, irasci deo, odisse iudicium eius, fugere deum iudicãtem, habere fiduciam rerum præsentiũ, amorem carnalium, securitatem, qualia plurima enumerant, omnia fere actualia prauæ uoluntatis crimina, quæ ita contendunt nobis esse hæreditarie congenita, ac si natura in regeneratis nequeat aliud. *Aduersarij plurima peccata asseuerant originalia esse, inter quæ plane actualia numerant.*

Secundo de damnatione mortis æternæ quam incurrit Adam cum tota posteritate sentiunt nobiscum.

De concupiscẽtiæ uero corruptione, quam tertio loco posuimus, plurimum discrepant. Confitẽtur quidem quod

nos,

nos concupiscẽtiam corruptam, totius naturæ uires debilitatas, atq; hinc enasci fructus malos. Cæterum contendunt eam (quod nemo catholicorum dixerit) esse sua natura seu essentia peccatum, imo ipsissimũ originis peccatũ, ac rem sua natura dignam morte æterna. Docet autem Ecclesiastica doctrina, Concupiscentiam residere in regeneratis per Baptismum absque ullo peccato, quanquam non absque uitio. Quod sit fomes quidem uitiorum mentis imperio repugnans. Et siquidẽ accedente uoluntate uincat mentis seu rationis iudicium, parere fructus malos, non tamen hæreditarios, sed temporales, seu actuales. Si uincatur autem, ualere ad coronam. *Nec satis sibi constant aduersarij, modo enim solas potẽtias, dicunt esse originales, modo actus numerant cum potẽtijs. At istud durissimum est, quod fomitis seu concupiscentiæ nomine, quam dicunt originalem comprahendunt simul horrenda & detestãda crimina, quæ nulla natura humana in se agnoscit. Verba ponam Philippi in Apologia, ne quis cauilletur me affingere eis res tam prodigiosas.*

Orthodoxus.

Quod si contenderint (inquit) aduersarij, quo nomine catholicos significant, fomitem esse ἀδιάφορον reclamabunt, non solum multæ sentẽtiæ scripturæ, sed plane tota Ecclesia. Quis enim unquam ausus est dicere hæc esse ἀδιάφορα, etiam si perfectus consensus non accederet, dubitare de ira Dei, de gratia Dei, de uerbo Dei, irasci iudicijs dei, indignari quod deus non eripit statim ex afflictionibus, fremere quod impij meliore fortuna utuntur quam boni, incitari ira, libidine, cupiditates gloriæ, opum, &c. Et hæc agno-

Fomes quid sit Philippo.

Vide quõ confundant originale actualibus.

agnoscunt in se homines pij (ut apparet) in Psalmis & prohetis. Sed in scholis transtulerunt huc ex philosophia prorsus alienas sententias, quod propter passiones nec boni nec mali sumus, nec laudemur, nec uituperemur. Itẽ nihil esse peccatum nisi uoluntarium. Quæ omnia Philippus, tãta constantia ac si iam receptum sit, omnia illa esse originalia, & fomitis nomine significari. Verum sic fiet, ut qui dixerit fomitem esse nobis hæreditarie congenitum, dixerit simul, nos tantis criminibus tota uita subiacere. Quod tam remotum ẽ à sacra scriptura, ab Ecclesiæ doctrina, à uera theologia, à philosophia naturali, ab omni disciplina, deniq; & à totius naturæ humanæ sensu, ut crediderim alicunde ab inferis tale dogma in desperatos & torui aspectus homines dimanasse. Nec poterã mihi persuadere hanc esse multorum sectariorum opinionem, sed Philippum arbitrabar (ut est in iudicando hebes, temerarius & arrogans) solius eloquentiæ fiducia tam stolide præunciare, de rebus sibi non intellectis, donec eadem Bucerus Sophista defenderet, Philippo longe acutior. Sed de his postea, nunc tantum sententiam retulimus aduersariorum. Ortodoxus.

Quarto de miseria & tẽporali afflictione quandiu uiuitur nihil discrepat.

De remedio peccati originalis Ecclesiastica doctrina.



VNa est totius Ecclesię Catholicę de curatiõe morbi illius originalis, quẽ uolentes nolẽtes oẽs incurrimus, doctrina. Non potuisse homini lapso mederi, nisi unicũ medicũ & saluatorem nostrũ dñm Iesum Christũ, oĩs peccati expertẽ. Siquidẽ homo iacebat circũseptus peccato prępuaricationis, acceperat damnationem mortis æternæ, repugnantiam in se & extra se, undique experiebatur. In quancunq; uero formam se transformaret, non poterat eo euadere sanctitatis, ut crimen illud purificaret: non eo potentiæ, ut mortem superaret: non eo moderationis & temperantiæ, ut lites posset componere æternas. Nec eo *Solus Christus qui est Adam secũdus, prioris Adæ peccatũ diluit.*

felicitatis,qua miserias temporales effugeret. Sed quantūcunq; suis adniteretur uiribus,in deterius indies prolabebatur. Vnde conditor hominis deus,ne periret in æternū,quem ad similitudinē suam formauerat,quem serpens dolo per fœminam circumuenerat, nouum formauit Adam,qui ueteris Adæ piacula expiaret,mortē sua morte interimeret,ac damnum omne lapsu prioris Adæ acceptum, tandē restauraret. Hinc quemadmodum primus Adam prodijt de terra terrestris,sic secundus descendit de cœlo cœlestis, & factus est primus Adam in animam uiuentem. Secundus in spiritum uiuificantē.

Quatuor ergo casibus, q̄s gradatim recensui à primo in quartū totidem remedijs consuluit.

Christi obedientia,inobedientiam Adæ expiauit.

Primo,Peccato inobedientiæ totius mali fonti,obedientiam filij sui opposuit, qui factus est ei obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,ut obediētia inobedientiam deleret,offensionem irati dei tolleret,inimicitijs in carne sua extinctis,atq; ita nos deo rursus cōciliaret. Ideo sicut prioris Adam generatio nos huic peccato reddidit obnoxios,ita regeneratio quæ est in sanguine & aqua, profluente e latere secundi Adam,nos ab eodem liberauit, ut simus innocentes,immaculati,puri,innoxij,amabiles,&deo dilecti:non quidē uiribus seu efficeintia nostra,sed ipsius regeneratione. Nulla em̄ neq; carnalis neq; spiritualis generatio uiribus nostris peragitur. Qui nos generant duo Adam,& congeniti peccati, & innocentiæ nostræ sunt authores:unus maculat,alter purgat: unus inimicitiam dei procurat,alter gratiam impetrat. Hinc Apostolus Roma.xv. Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi,sic per unius obedientiam,iusti constituentur multi. Item ad Ephesios ij. Vos qui eratis aliquando longe,facti estis prope in sanguine CHRISTI. Ipse em̄ est pax nostra,qui fecit utraq; unum, &medium parietem maceriæ soluens,inimicitias in carne sua legem mandatorum decretis euacuans, ut duos condat in semetipso in unum nouum hominem, faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore deo. Itaque baptizati in CHRISTO, quem in baptismo induimus,non sumus amplius obnoxij peccato præuaricationis & inobedientię primi Adam,non magis quàm Christus ipse,

cui facti sumus concorpores, ut qui aliter crediderit, credat quoque se non esse in CHRISTO, qui suos emundauit in sanguine suo: quamuis peccandi maneat procliuitas, quæ in CHRISTO domino nunquam fuit.

Secundo, Damnationem mortis æternæ, soluit per mortem innocentis filij, & mortem peccatoris, iusti morte superauit. Emundato enim peccato illo inobedientiæ, cui mors ęterna debebatur, per obedientiam filij, non quamlibet, sed obedientiam usq; ad mortem, hac ea ipsa innocentis morte, deleuit & chyrohraphum diuini decreti latum de morte aduersum nos, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Nam eripuit nos de potestate & tirannide tenebrarum, de seruitute eius qui habebat mortis imperium, in libertatem filiorum dei, ut simus eius qui nos sub peccato uenundatos redemit, & sibi asseruit. Hoc est illud quod ad Galat. iij. ait Apostolus. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Et ad Roma. viij. Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, hoc uidelicet modo: Cum mors peccato debita perstringerit etiam innocentem, quem non peccato, sed carne uestitum repperit in similitudinem carnis peccati, cum maledictum illud cœpit se extendere etiam in eum qui est benedictus, & in quo benedicentur oēs gentes, cum mortis damnatio & uitæ authorem inuasit, in quem mors non habuit imperium, cum sæuijt in obedientem illum, qui in primo Adam non peccauerat, dissoluta & eneruata est, ac frustrata lex mortis ęternæ, lex maledictionis, lex damnationis. Sic innocens datus pro nocente, redemit nocentem, qui nihil debebat soluit pro debente, & quanto mors innocentis durior ac maior est morte nocentis, tanto Christus non iam cōpensauit sed superauit mortis debitum, nec pro uno tantum, sed pro omnibus satisfecit, ut non sit homo amplius damnationi aut morti post baptismum subiectus, sed plane liber ab eius imperio, qui in mortem dominabatur. ij. Corin. v. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, hoc

Christi mors mortem nostram absorbuit.

est, tradidit quasi reum peccati, ut nos efficeremur iustitia dei in ipso. Etiterum, Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. Quo dicto significat legi seu damnationi mortis satisfactum, & nos iam per Christum fecisse satis, quinetiam plusq̃ satis. Non poterat enim tantum exigere lex illa quantum est redditum.

Concupiscẽtiã Christus correxit ut prosit quæ oberat.

Tertio. Concupiscentiam spiritui rebellem (quę pręsente adhuc & durante in ea peccato illo prævaricationis ex propagine innato uere est peccatum, etiamsi nihil operetur, ut in paruulo, ubi hæret languida & impotens per ætatem, licet nondum appareat, secundũ illud: Cor & concupiscentia humani cordis ab adolescentia prona sunt in malum) à peccato illo per baptismum purgauit: nec tantum ab eo, uerumetiam ab omnibus antea perpetratis, ipsam tamen cõcupiscendi naturam non abstulit, nimirum quod sic formatus erat homo, ut affectibus naturæ nõ careret, mitigauit tamẽ uiolentas eius uires in malum, ne ualeat nocere nolentibus acquiescere. Relicta est igitur in baptisato languida quidem, corrupta & praua, sed non tam praua, neq; tam uiciata quàm erat ante baptismum, nec amplius quicquàm omnino habens ueteris peccati. Ideo ait Apostolus: Nihil ergo damnationis est his qui sunt in CHRISTO IESV, qui non secundum carnem ambulant. Quod offendebat, quod iram merebatur sustulit, reliquum certamini relictum est, ualetq; uincentibus ad coronam, malis & peruersis ad condemnationem. Propterea hortatur nos Apostolus, ut spiritu ambulemus, & desideria carnis non perficiamus. Vbi & opera carnis enumerat, quę sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. Hinc 1. Pet. 2. Charissimi obsecro uos tanquã aduenas & peregrinos, abstinete uos à carnalibus desiderijs q̃ militant aduersus animã. Cui malo cum adiutorio dei resistentes, possunt non solum in bono persistere, sed & desideria eius domare: nam qui animam saluauit à peccato, ait Chrysost. ipse est qui & carnem restituit, ut ductilis esset & morigera. Nec solũ domare, uerumetiam paulatim ac sensim minuere, donec tandẽ concupiscentię rebellionẽ prorsus interimit. Vnde Apostolus ad Galat. v. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs

Chrysostom. homi. 13. in Epist. ad Ro.

& concu-

& concupiſcentiјs. Hinc ad Ephesios iiiј. & ij. Corinth. iiiј. Veterẽ hominem corrumpi teſtatur, & interiorem qui ſecundum ſpiritum eſt, renouari de die in diem.

Quarto, Miſerias & calamitates externas fecit ſalutares in Baptiſmo, nõ abſtulit. Quod bonis proſint ad humiliationem & exercitia uirtutum, conſeruentq; eos in timore & obedientia Dei, malos autem ad pœnitentiam adducant. Atque ita baptizatis prodcrit ad ſalutem eis exerceri potius quàm ab ipſis liberari. Proinde uoluit ablato præuaricationis peccato hæc manere. Non quidem iam amplius in originalis peccati (quod ſolutũ eſt) pœnã, pro quo Chriſtus abunde ſatisfecit, ſed ad patientiæ noſtræ coronam. Quo fit ut calamitates quibus infideles pleƈtuntur, ijs Chriſtiani dum uiuunt in Chriſto proficiant, quouſq; tempus adueniat remuncrationis bonorum operum, poſt ſingulorum peraƈta certamina, quando dicetur, Iam non erit amplius, neq; luƈtus, neq; clamor, neq; ullus æſtus quæ priora tranſierunt, &c. Mortem autem corporis, finem calamitatum in generali omnium reſurreƈtione profligabit, dicẽte Apoſtolo: Nouiſſime autem omnium inimica deſtructur mors: quod de corporis morte diƈtum eſſe, uel inde conſtat, quod illic de corporis, non animæ reſurreƈtione Apoſtolus agit.

Chriſtus pœnas temporales conuertit ad profeƈtũ & lucrum.

Gradus iſti tam remedij quam peccati originalis, ſi non ſunt ex utriuſq; teſtamenti ſcripturis deprompti, repudientur. Teſtatur autem ſcriptura, primum fuiſſe inobedientiæ peccatum, quod damnatio mortis æternæ ſtatim ſecuta eſt, deinde carnis concupiſcentia cõtra mentem, ac poſtremo hoſtilitas quoque exterior. Nondum ablato peccato fonte totius mali, non poterant etiam auferri quæ ex ipſo profluebãt. Idcirco Chriſtus ipſum peccatum prius de integro abſtulit, faƈtus propiciatio pro peccatis noſtris, ut non ſit amplius propitiatione alia præter ipſum purgandis & reconciliandis nobis opus. Quo expiato, ſtatim damnationem mortis quæ propter chyrographum diuini decreti ipſi debebatur conuulſit, ac diſſipauit: nulla enim erat reſurreƈtionis & uitæ ſpes chryrographo extãte. Proinde mortem deglutiuit, prima Petri iij. non quidem corporis, ſed animæ mortem; nec temporalem ſed æternam, ut nõ ſit opus noua

uictoria mortem æternam superare, mortem uero corporis nostri, in aliud tempus distulit. Concupiscentiam uero corruptam, quæ sanari poterat, ideo non totam sicut priora illa abstulit, ut à peccato purgata relinqueretur nobis ad certamen & uictoriam, mitigata tamen eius ui, ne intractabilis esset. Vnde peccati mortisque destructor appellatur Christus, non autem legitur, uel concupiscentiam, uel corporis naturam destruxisse, hoc enim reseruauit sibi in diem illum quando mortale istud induet immortalitatem, corruptibile incorruptionem, ignobile gloriam. Sed & miserias, calamitatesque externas, & temporalem mortẽ non erat necesse auferre militaturis in corpore: Quin expediebat in ijs fideles ad tempus exerceri, quum diligentibus deum omnia cooperentur in bonum, ijs, qui secundum propositum uocati sunt sancti. Idcirco neq; illas destruxit, sed effecit ut essent meritoriæ & satisfactoriæ præcedentium peccatorum. Itaque non legitur suis hic pollicitus gaudia, aut immortalitatem præsentis uitæ, sed resurrectionem futuram, Roma. viij. Si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, qui suscitauit Iesum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra. Hinc pri. Corinth xv. Nouissime autem omnium inimica destruetur mors. At ubi legitur, inimicum oĩm nouissimũ destruetur peccatum? Non expectatur ergo ulterior peccati aut mortis æternę destructio, quæ iam facta est, sed corruptionis quæ in carne est, per incorruptionem mutatio, & corporis mortalis resurrectio, quæ in fine mundi per Christum complebuntur. Percurre lector utrunq; testamentum, obserua quæ originali peccato, & malis eius curandis à deo præstituta sunt, si non inuenias hæc graduum discrimina passim expressa, doctrinam Ecclesiæ licebit repræhendas.

Quæ Chrũs destruxit & quæ non.

Quid aduersarij tradant de remedijs peccati originalis.

VEhementer dissident aduersarij ab Ecclesiastico dogmate in consignandis peccati originalis remedijs. Iam antea ostensum nobis est, quomodo discrepent in ipsius & pœnarum eius descriptione: hic uero multo amplius ab Ecclesiæ doctrina recedunt.

Primo enim, *quod Ecclesiastica doctrina habet peccatum*

tum

tum originale in baptiſmo auferri, aduerſarij negant: uolunt enim peccatũ illud quandiu uiuimus, in nobis uiuere, uereque manere. Multa autem & grauia peccata appellatione originalis complectuntur, quorum manſionem dicũt ſe experientia percipere: incredulitatem uidelicet, dubitationem, diffidentiam, contemptum Dei, aliaq; peccata innumera. Baptiſmum autem & Chriſti ſanguinem ad hoc dicunt ualere: non ut auferatur, ſed ne imputetur nobis peccatum ad damnationem, quod tantum ualet, ac ſi dicas, non extirpari, non remoueri rem deo exoſam & infeſtam, ſed diſsimulari, non conferri puritatem aut innocentiam, nõ aboleri crimina, nec ſordes ablui aut immunditiam, ſed uelari tantũ: uulnera non ſanari, auferri tantum dolorem: culpã, ſcelera, atq; adeo maliciã omnem non tolli, ſed fieri nobis earum impunitatem. Atq; in hunc modũ affectos dicunt nos incorporari Chriſto in baptiſmo, & accipere ſpiritũ ſanctũ, qui cõtra remanens illud peccatũ, tota uita noſtra pugnet, donec ipſum mortificet, & pficiat in nobis uitã nouam, ac mortale corpus ad cœleſtẽ uitã ſuſcitet. Qua ſentẽtia credit Bucerus, ſe meritũ paſsionis Chriſti, operationem ſpiritusſancti, dignitatemq; & uim baptiſmi egregie tueri.

Bucerus negat peccatũ origi. p Chriſtum ablatũ baptizatis.

Secundo, fit ex præcedenti iam dicto, ut neq; de ſententia dãnationis, quæ propter peccatum lata eſt conueniat. Tametſi enim alibi nõ negent Chriſtum deſtruxiſſe mortem, eius tamen hic parum memores fuere. Nam cũ uelint

pecca-

Non constãt sibi aduersa- de mortis dãnatione.

peccatum manere, quid de sententia? Nonne propter peccatum sententia? Ergo ubi peccatũ est, erit & sententia damnationis. Arbitror eos hoc parum considerasse, quando docuerunt nos manere in peccato, æterna damnatione digno. Dum autem quod meremur & damnationẽ, qua sumus digni non infligere propter Christum, cuius intuitu non imputet baptizatis peccata ad condẽnationem. Quod quæso, quid est aliud quam manere nos quidem obligatos, manere uincula, iura & leges cyrographi indissoluta, tantum si Deus uellet eis uti ac stringere & exercere contra nos, sed parcere eum nobis propter Christum? Quod si est, iam non est chyrograghum uere deletum, iã non est proscissum & abrogatum, sed tantum inducijs quibusdam suspensum: stabit ergo iam chyrographum contra nos, stabit & Christus pro nobis. Deus autem inter utrunq;, nec cyrographum abrogabit, nec Christum permittet ipsum, delere, tantum ab usu eius propter Christum abstinebit.

Vides lector, res tam absurdas contineri in assertione aduersariorũ. Nec sibi poterunt ipsis constare, si uoluerint sua dogmata tueri.

Bucerus uult concupiscentiam in regeneratis esse uerũ peccatũ

Tertio de concupiscẽtia æque ab Ecclesia discrepant: Negant enim concupiscentiam a peccato posse purgari. Neq; in baptizatis uacare culpa & noxa, atq; hinc adeo rebellionem eius aduersus spiritum bonum, negant uincentibus cædere ad coronam, sed iniquum esse aiunt & proinde peccatum, ut spiritui concupiscẽtia repugnet. Idemque de ea, quod de peccato præuaricationis constituunt,

tuunt, solum esse remedium ut non imputetur. Neque enim corruptam tantum asseuerant aut uiciatam, sed prorsus conuersam in peccatum, & per se dignam pœna damnationis æternæ, ut quandiu sit in homine, sit & maneat peccatum, quantumuis baptizatus sit aliquis, aut receperit spiritum sanctũ, donec per hunc ipsum spiritum sanctũ, paulatim minuatur, expugnetur, ac tandem in resurrectione nouam uitam recipiat homo, uti iam dictum est.

Quarto, *Externas calamitates corporalesq; afflictiones, siue illatas nobis siue assumptas, quas Ecclesia docet proficere baptizatis ad satisfactionẽ peccatorum, & maius meritum, negant ad hæc ualere, sed uolunt esse tantum exercitia quædam, quibus homines ciuiliter occupentur, aut affligantur: nec fere amplius aliquid tribuit Philippus satisfactionibus publicis.* Tantundem conuenit hæreticis cum Ecclesiastica doctrina.

Aduersarij negant ipsas afflictiones satisfactorias pro peccatis.

Habes nũc Christian elector, de peccato originis, de pœna quoque, curatione & remedijs eiusdem, nostram: habes & aduersariorũ sententiam, quas contulimus, ut quanto discrimine hæc ab illa distaret clariùs appareret. Graues & magnæ res sunt quæ rapiuntur in controuersiam. Maiores nostri simpliciter & sine scrupulo crediderunt, nos in labe parentali nasci, quam baptismus per uirtutem sanguinis Christi emundaret & tolleret. Nunc pertrahuntur curiosiores fere in dubitationem aut incredulitatem, ad postremum uero in desperationem, dum disceptatur de peccato illo, quod nemo nascentium potest euitare, nemo contractum ualet arte ulla aut ingenio curare, uel uiribus expugnare. Quod obscuris & ambiguis descriptionibus putatur aliud atq; aliud esse, nec uidetur uerum eius aliquod remedium, quod nec sanguine Christi (ut istorum est sententia) potuit auferri. Quanto præstiterat simpliciter credere, quàm discepta-

Præstat simpliciter credere, q̃ curiose quæ latẽt indagare.

tuisancto non obstare, quando non imputatur aut fingitur non haberi, licet sciatur inhærere. Mirum uero tam contrarias hæreses in hoc uno potuisse coire, ut crederent utrinque, nos incorporari Christo, & spiritum sanctum recipere, cum illi negarent haberi peccatum, quod uel CHRISTVS tolleret, uel ablueret spiritus sanctus: isti asseuerent haberi quod neque sanguis Christi auferre, neque spiritus sanctus queat in hac uita emũdare. Si inter errores istos quis tollerabiliora, quis decentiora p̄scribat, oporteat iudicare (si tamen potest error ullus, uel tolerabilis, uel decens haberi) dixerim Pelagianos honestiore longe copula paruulos insontes Christo incorporare, quàm faciant qui CHRISTVM conglutinant Beliali, qui spiritum sanctum protrudunt in sentinam incurabilis peccati, & cogunt uel renitentem in hac turpidine morari, donec uita præsens durabit. Hoc quid absurdius dici queat haud satis intelligo.

Quo uero tantos errores hæretici licentia maiore disseminent, inuoluunt suas doctrinas tenebris quibusdam, ac interim permiscent fallaces experientias, & scripturas, pro captu carnalium & imperitorum hominum deprauatas ac detortas. Quibus uani homines instructi confidant se plus omnibus patribus, totaque Ecclesia sapere. sibique præsumant (licet fere nihil recte intelligant) de magnis & arduis rebus tanquam ex Apollinis tripode incunctanter pronunciare, statuere figere, refigere, definire, nonnunquam eousque ut sua ipsorum uerba mirentur magis quam intelligant. Qua industria incautos quosque, uel confidentia dementatos, uel perplexos, uel in admirationem & stuporem adductos, pertrahunt quocunque uoluerint. Mirumque in modum hac arte iam profecerũt: hinc libere in Ecclesiam detonant, hinc seuiunt in Clerum, in Pontifices, in Missas, in cæremonias, in sacramenta, superbe inter admiratores & philosophos suos quæcunque uolunt pro libidine præscribunt, imperiose regnant, ignaris illudunt, imponunt, secure dementant: quæ omnia licent quandiu non intelliguntur.

Quo cõcilio inuoluãt hæretici sua, aut obscuris aut ambiguis uocibus.

Quamobrem ne intelligantur, diligenter cauent, ne fraudes eo-

rum persentiscant populares. Vitatur enim intellectus error. Quæ procuidubio causa est, quare confundant originale posterioribus actualibus, quare nullis certis finibus circunscribant, & tam grauiter onerent originale, cur remissionem eius diuidant, ut ad tempus non imputetur, ac deinde per mortem auferatur, cur ficticiam quandã rem faciant peccatorum remissionem: imputari dicant quod nõ habetur, non imputari uero quod adest & habetur, candida nigris, & nigra candidis permutantes. Quare denique & alias Ecclesiæ doctrinas modo consimili suis commentis peruertant in maximam animarum perniciem, ueritatis & fidei catholicæ oppressiõem, perturbationem Ecclesiæ, & gloriæ Christi domini nostri obscurationẽ. Proinde non uideor mihi facere pro fide, pro seruitute & cultu, quẽ Christo domino, pro charitate quam in uia erranti proximo, pro officio meo quod Ecclesiæ debeo, nisi quantum sua gratia dominus adiuuerit, fuero conatus res istas clara ueritatis luce, quam fides catholica custodit, reddere aliquanto magis perspicuas. Nec erit difficile aut Ecclesiæ doctrinam, solidis rationibus constituere, aut confutare, quæ de peccato originis aduersarij fabulantur, tam sunt eorũ pleraq; absurda, ubi primũ constiterit de ipsius definitione, q̃ nonnihil habet difficultatis. Nam bona pars scholasticorum theologorum, à quibus recedere non est securum, authoritatem Anselmi secuta, definit peccatum originis esse absentiam seu carentiam iustitiæ debitæ. quæ licet nihil contineat falsi, tamen ita constituta est, ut potestatem faciat hæreticis, hic quidlibet pro quolibet substituendi. Cum definitur enim esse carentia iustitiæ debitæ, quam scholastici appellitent debitam, iustitiam dissimulant ac subticent perfidi: quicquid autem libet dicunt esse debitam iustitiam, aut cognitionem dei, aut fidem, aut timorem, aut simile aliquid: nonnulli hęc omnia simul uolunt esse iustitiam quam debeat puellus habere. quibus cum careat, concludunt absentiam earum, uidelicet ignorantiã dei, incredulitatem, contemptum &c. esse per definitionem illam peccata originalia. Quo tandem modo facient omne quodcunque uoluerint peccatum esse originale, præsertim cum iustitiæ nomine, uelit Philippus in Apologia, utramque tabulam decalogi contineri.

Definitio Anselmi.

Quo modo tractant Anselmi definitionẽ aduersarij.

Redu-

Reducuntur autem omnia peccata in decem illa pręcepta. Suo more faciunt hæretici, definitionē amplexantur non in sensu eius qui cōscripsit, sed quia obscura est, & apta cuilibet sensui. Grata est enim illis ambiguitas, opportunum hæreseos uelamentum, ubi fiat eis locus etiam sua pro catholicis substituendi. Poterant aliis modis peccatū originale definire, sed aliud instituto eorū non conueniebat: Palliū à Catholicis accommodatum placet. Hinc probatur eis definitio, quamuis formam legitime definitionis non habeat: cum detur per genus priuatiuum quo significatur potius, a quo distet, quàm quid ipsa res sit. Perinde ac si fides definiatur, esse carentia incredulitatis in eo qui debeat credere, aut spes desperatiouis carentia ubi oporteat sperare. Quę quidem descriptiones nihil continent falsi, sed tamen quis dixerit esse legitimas definitiones? Roga medicę artis peritos, an bona sit definitio. Morbus est carentia sanitatis in corpore sensibili. aut ista: Infirmitas est ualetudinis absentia, quam conueniat habere. Et tamen neutra cōtinet quicquā falsi. Quo magis hic annitendum erat, ut bene defineretur res in controuersiam admissa. Theologi definitionē illam in scholas receperunt: non quod omnibus ęque arrideret, aut ignorarent commodius describi potuisse, sed hoc honoris Anselmo qui ante annos quadringentos de re theologica non male meritus est, habuerunt, ut eam reciperent & sensu catholico explicarent. Quæ est autem causa ut eandem recipiant hæretici, quibus patres, pręsertim recētiores, sunt in fastidio, & solis nituntur scripturis? quur non & hic ad scripturas prouocant? An non extat uspiā in scripturis genus? aut nullę sunt differentiæ quibus circūscribi & a reliquis peccatis queat separari? At ego homo nō acuti sensus, neq; multæ lectionis, neq; item styli usu exercitatus, & genus in scripturis demonstrabo, & differentias, quo certius & explicatius scripturæ uerbis definiatur. Omnia eīn extant uel in solo apostolo Paulo. Definiet ergo nobis Paulinis uerbis sic: PECCATVM originis est peccatum inobedientiæ, præuaricatione mandati diuini in paradiso per primum hominem contractum, atq; in omnē transmissum posteritatem, quod filios iræ ac mortis æternæ constituit, uires naturæ corrupit, concupiscentiam aduersus mentem erexit.

Velamen hæresis ambiguitas.

Quare Anselmi definitionem Theologi receperint.

Peccati originalis definitio uerbis scripturæ.

f iij Hic

Hic genus est peccatum, sic enim & Apostolus appellat: Peccatum inquit per unum hominem intrauit in mundum. cui primum generalis quędam additur differentia inobedientiæ, ut ostendatur actus ille unde peccatum originale relictum est & infixum, legiturq; disertis uerbis in Apostolo. Rom. v. Per inobediētiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. intelligimus ergo inobedientię peccatum, hoc est, auersionem, maculam, reatum, culpam, turpitudinem. Mali enim actus tales formas habēt aut de se relinquunt. Verum ne cuiuslibet inobedientiæ peccatum putetur originale, adduntur differentiæ, quarum una est pręuaricatione mandati diuini, quæ habetur Genes. 3. contractum. Neq; enim quorumlibet diuinorum mandatorum transgressio est originalis, sed prima illa, primi hominis in paradiso facta, atq; hac differentia secunda, seiungitur originale, a peccatis & inobedientia intermediorum hucusq; parentum nostrorum, quæ non fiunt cuiquā originalia: quam notat Apostolus, per unum (inquiens) hominem peccatum intrauit in mundum. Tertia est, qua dicitur, in omnem transmissum posteritatem, ut distingatur a posterioribus Adæ peccatis, in exilio commissis, quæ non transierunt in succedentem progeniem. & hæc quoq; habetur in Apostolo: Vnius (inquit) delicto multi mortui sunt. Item, iudicium ex uno in condēnationem. Et iterum: Vnius delictum in omnes homines in condemnationem. Cæteræ differentiæ ab effectu originalis peccati sumuntur, ut quod constituat filios iræ ac mortis, quod naturæ uires corrupit, quodq; concupiscentiam aduersus mentem erexit: quæ & ipsa similiter scripturæ sacræ produnt. De ira quidem habemus ad Ephes. ij. dictum. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. de morte, ad Rom. v. Peccatum per unum hominem intrauit in mundum, & per peccatum mors. de corruptione uirium. Rom. vij. Cum essemus in carne, passiones peccatorum operabantur in membris nostris. Itē, uelle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. de concupiscentia uero, Condelector legi dei secundum interiorem hominem, uideo autē aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ &c. Non metuit hæc definitio cuiusquā censuram. Sunt enim omnia eius, & genus & differentiæ e sacris petita. Faciat idem Philippus, &

ostendat

ostendat nobis in sacris carentias suas, ostendat iustitias suas, quatũ uult oẽs etiam paruulos esse debitores. Ridiculũ sane est omniũ scriptorum censorem, hominem ad quadrum dialecticũ, imo qui Dialectice, ne quid encyclopedię suæ deesset, uoluit nouus author haberi, tam parum Dialectice definire.

Definitione igitur constituta, progrediamur ad confutationem nouitiorum dogmatum, quę pseudoeuangelici isti contra totius Ecclesię Catholicæ fidem uolunt euangelicissima uideri. Non hic mouebo superfluas & ociosas lites, non quod ipsi aiunt nos solicite inquirere, Vtrum peccatum illud contagione pomi, an ex afflatu serpentis contractum sit. Vel utrum medicamentis augeatur aut minuatur, neq; item utrum priuatiuum quiddam sit an res positiua. Quanquã poterat quęstio ista non inutilis uideri, propter quorundam concertationem, quos non postremo loco inter Ecclesiæ doctores numeramus. Hoc certum apud omnes est, idem illud Adę peccatum (priuatiuum dicatur an positiuum, quod perinde nobis est) quod in paradiso contractum fuit, in nos transmissum. Et nescio quid uetet utrunq; dicere. Priuatiuum iustitiæ originalis: positiuum culpæ & reatus. Certe in categorijs ubi uirtus & iustitia sunt qualitates, conceditur & uitijs suus locus positiuus. Tantum grauiores hęreses quibus ueritatem & fidem Christi oppresserunt, insectari ẽ animus, nec morari in Dialecticis & Metaphisicis.

Quod sit tantum unum Originis peccatum.


Vm sint multa peccatorũ genera, quę imbecillitas humana incurrit, solum tamen est unum quod origine contrahitur. Neque enim est ullum peccatum, quamlibet sit magnum, quod ex parentibus transfundatur in proles, nisi unum illud quod parentes quoque ex propagatione cõtraxerunt. Nullum itaque manet in stirpe seu propagine, non huius, non illius, non cuiuscunque hominis peccatum, licet etiam uelint parentes proles suas peccato cuipiã deuotos & obnoxios, pręter unius tantũ, Adę primi hominis peccatũ. Non etiam quoduis eius pctũ, sed illud tantũ quod in paradiso cõmisit, propter quod & damna-

Solius Adæ unicũ & non aliorum parentum peccata trãsire in posteritatem.

 tionem

Non quoduis Adæ peccatũ est originale.

nationem accepit. Cætera quæ extra paradiſum peccauit, quia in exilio commiſſa ſunt,portat ſolus. Non enim peccatum, quod iam captiuus & ſeruus, ſed quod liber peregerat abſtulit poſteritati libertatem. Peccatum quod in paradiſo uoluptatis, non quod in regione mortis natum eſt,paradiſo nos expulit: peccatum quod patrauit felix & honoratus,non quod calamitoſus,miſer & uilis incurrit,abſtulit felicitatem: peccatum quod ſanus & integer cõmiſit, nõ quod corruptus,carnem generis noſtri uitiauit.quæ eſt catholica totius eccleſiæ doctrina, quam noua hæreſi Bucer & Melanthon uiolant,& non unum tantum,ſed multa numerant, eademq; horrenda peccata,quæ contendunt omnia nobis originaliter innaſci. Vbi manifeſta eſt aduerſus Eccleſiam contradictio. Videndum igitur utri partium ſuffragetur uerbum dei,cum neceſſe ſit alteram eſſe falſam. Apoſtolus Paulus ad Rom.v. peccati originem hiſce uerbis deſcribit:Peccatum per unum hominem intrauit in mundum:ubi ſignificat antea in mundo non fuiſſe.Et paulo poſt ſequitur:Vnius delictũ in omnes homines in cõdemnationem, ubi intelligimus idem illud peccatum quod antea non erat in mundo poſtquã intrauit, tranſiſſe deinde in omnem poſteritatem:quo fit manifeſtum Apoſtolum loqui,non de ſerpentis,non de Euæ,quæ præceſſerunt,ſed de Adæ peccato,quod factũ eſt nobis Originale.Vbi obſeruare oportet Apoſtolum numero ſingulari dicere,Peccatum intrauit.item,unius delictum in omens homines.ut præter Apoſtolum dixerit, ſi quis dicat aut peccata,aut delicta intraſſe.Non uero hoc propter grammaticũ modo uocis numerum,quin potius propter rei naturam.Extra cõtrouerſiam eſt enim Apoſtolum hiſce uerbis uoluiſſe indicare omnis peccati principium. Ergo dicit,intrauit in mundum per unum hominem,& addidit,manſiſſe poſtea in mundo,tranſijſſeq; in omnem poſteritatem.Principium autem eſſe non poteſt,quod conſtat numero multorum.Si enim ſit numerus & multitudo,hoc erit principium,quod numero primum:neceſſe eſt autem in omni numero aliquid eſſe primum,idipſum uero non poteſt eſſe niſi unum,cum numeri principium ſit unitas.Proinde fieri nõ poteſt,ut plura ſint originalia q̃ unum peccatum,a quo cætera origine & ordine ſubſequã-

tur

tur. Iam ut fingamus Adam in paradiso multa commisisse peccata, fieri tamen non potest, ut fuerint multa originalia, cum inter illa quod primum erat & unde cætera habuere originem, solum sit uere & proprie originale, quod & uox ipsa indicat, dicitur enim originale ab origine. Verum tamen hac ratiocinatione nihil opus est nobis, cum Apostolus eodem capite diserta uoce unum dicat peccatū seu delictum. Nam iudicium (inquit) ex uno in condemnationē, gratia aūt ex multis delictis in iustificationem. Quod dictū B. August. de nuptijs & concupiscentia ad Valerium libro ij. cap xxvij. ita exponit: Iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Ex uno ergo quid nisi delicto? Quia sequitur, gratia autem ex multis delictis. Dicant isti, quomodo ex uno delicto in condemnationem, nisi quia sufficit ad condemnationem etiā unū originale peccatum, quod in oēs homines ptransijt, gratia uero ex multis delictis in iustificationem. Quia non solum illud unum soluit quod originaliter trahitur, sed etiam cætera quæ in unoquoq; homine motu propriæ uoluntatis adduntur. Ita illic. Sed & lib. 1. contra Iulianum cap ij. disertis uerbis ait: Dicit Apostolus, nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem, ibi quippe unum, non nisi unum delictum uult intelligi &c. Hoc eodem libro declarat B. Augustinus ex multorum patrum sententia, paruulos non habere peccata, sed peccatum. In Enchiridio quo ad Laurentium cap. xlviij & l. expresse defendit unum tantum originis fuisse peccatum. Cui adstipulatur Chrysostomus Homil. x. in epistola ad Roman. ubi eundem Apostoli locum exponens plus decies repetit, unum & unicum fuisse peccatum Adæ. Cum Adamum (inquit) audis, ne unicum illius tantum quod ipse primum commisit, auferri peccatum arbitreris, multorum delictorum factam esse sublationem dicit. Admonet q̄q; ut obseruemus, quod Apostolus toties unitatis uocem illic repetit, quā non gratis neq; fortuito putat ei excidisse. Vide eundem. Hāc esse perpetuam eius sententiam uel inde constat, quod multis locis habeat eadē Homil. ix. in prioris ad Corinth. epistolam, ait: Nōne uides q̄ pacto Adam pro uno tm̄ peccato punitus est? Itē Homil. xij.

in Matthęum: Si ille q paradisi fuerat sortitus habitaculum, propter unum utiq; delictũ, tãta post honorem pertulit mala: Nos postq̃ cęlum accepimus & cohæredes unigeniti facti sumus, quã ueniã sperare poterimus, si ad serpentem curramus post columbam: Epiphanius contra hæresim Tatianorũ Tom. iij. dicit, Adã propter unã inobedientiam ex paradiso eiectum, & castigationem non uulgarem nactum &c. Bernhardus quoq; in sermone de sex tribulationibus testatur, Adam uni tantũ peccato subiacuisse. Nec est aliud inuenire apud patres orthodoxos. Hinc posteriores interpretes (quibus uetus tranlatio uidetur illud Apostoli duriuscule reddidisse) transtulerunt fere omnes, Nam iudicium ex uno delicto in condemnationem, gratia aũt ex multis delictis in iustificationem. Ergo si quãdo patres peccatum illud propter magnitudinem eius exaggerant, fuit enim uere maximũ peccatum, & Ambros. teste non longe ab idololatria, & nunc inobedientiam, nunc incontinentiam, nunc stultitiã, aut ambitionem, aut superbiam, aut contemptum appellant, non ẽ putandum totidem illic fuisse peccata, quot exaggerationis nomina, neque enim hic alia atq; alia numerantur peccata, sed quantũ unicum illud fuerit, conantur patres diuersis figuris exprimere: fuit enĩ ingratũ, temerariũ, superbũ arrogãs, & ambitiosum peccatum, ubi non est aliud ingratitudo q̃ temeritas, nec temeritas aliud q̃ superbia, nec aliud superbia quàm arrogantia aut ambitio, sed una eademq; inobedientia. Sic & B. Augustinus cum perpetuo defendat unicum tantum fuisse originis peccatum, fatetur tamen illud ipsum explicatiõe fieri multiplex Quamuis (inquit) & in illo peccato uno quod per unum hominem intrauit in mundum, & in omnes homines pertransijt, propter quod etiam paruuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra diuidatur singula: Nam & superbia illic est, & sacrilegium & homicidium, quia semetipsum pręcipitauit in mortem, & fornicatio & furtum & auaritia, & si quid aliud in hoc uno admisso, diligenti consideratiõe inueniri potest &c. In Enchiridio ad Laurentium. cap. xlv. Quæcunque ergo præter unicum illud peccatum sunt in nobis, fructus quidam sunt unici illius, & uoluntatis nostræ actualia peccata. Neq; enim

Peccatum unum fit explicatione & exaggeratione multiplex.

Fructus plurimi peccati originalis.

enim sine uoluntate nostra fructificat. Quod Augustinus libro ii contra Iulianum ostendit, ubi introducit Chrysostomum dicentem, Venit semel Christus, inuenit nostrum chyrographum paternum, quod scripsit Adam, ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis. Quę uerba eius iubet diligenter annotare. Audis ne hominem, inquit, in fide catholica & eruditum & erudientem, distinguentem debitum paterni chyrographi, quod hæreditarium nobis inhęsit ab eis debitis, quorũ per nostra peccata fœnus accreuit? Audis quod paruulis relaxetur in baptismo, qui nondum propria debita contraxerunt, nec tamen ab paterno chyrographo immunes esse potuerunt: sic & Apostolus hæc uoluntati nostræ tribuit tanquã opera & fructus originalis mali, per nostram uoluntatem & cooperationem membrorum. Ad Roman. vi. Sed neque exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato. Item ad Ephesios iij. Mortificate ergo membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam &c. quando dicit non exhibeatis. Item mortificate, aut aliquid eiusmodi, opera significat uoluntatis nostræ se accommodantis ad desideria carnis, qua etiam de causa ad Galat. v. huiuscemodi appellat carnis opera: Manifesta, inquit, sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, inuidiæ, &c. Hinc fit ut non sint in omnibus fructus illi pares aut ijdem, cum tamen unum & idem sit omnibus ex æquo originale peccatum, sed non fructificat peccatum, nisi uoluntate cooperante, quæ in alijs plus, in alijs minus obtinet. Sic uidemus quosdam ad hæc, alios ad alia uicia, nec omnes ad eadem inclinari: quæ si originalia ipsa, & non fructus uicij & uoluntatis essent, iam uolentes nolentes, omnibus eadem essent ingenita, omnesq; eadem sectarentur. At nunc uidemus alios filiorum Adæ superbos, nec tamen omnes æque superbos: alios ambiciosos, alios auaros, alios in Venerem procliues, nec tamẽ æque hos atque illos aut Veneri aut cupiditati deditos. Eodem modo non omnes diffidunt deo, aut contemnunt, aut odio habent,

Fructus peccati originalis non sunt æquales omnibus hominibus.

& qui odio habent, alij grauiter, alij minus oderunt aut contemnũt. Nec statim profert originale peccatum istos fructus, nisi cum accesserit in paruulis qualiscunque uoluntatis, aut rationis usus. Hinc beatus Augustinus contra Iulianum libro ij. ait: Paruulus in quo rationis adhuc nullus est usus, uoluntate quidem propria, nec in bono, nec in malo est, quia nulla alterutro cogitatione uersatur, sed utrunque in illo consopitum uacat, & bonum naturale rationis, & malum originale peccati. Sed annis accedẽtibus, euigilante ratiõe, uenit mandatum, & reuiuiscit peccatum, quod aduersus crescentem cum pugnare ceperit, tunc apparebit quid in infante latuerit, & aut uincit in eo, & dominabitur, aut uincitur & sanabitur. Non tamen ideo malum hoc nihil nocuisset, etiamsi priusquam in illo apparere cepisset, paruulus hac uita exisset, quia reatus eiusdem mali, sicut generatione contrahitur, ita nisi regeneratione non soluitur &c. Vides hic Lector, quantum distet originale à suis fructibus: iacet consopitũ quousque germinet: nec germinat nisi accedente qualicunque uoluntatis consensu. Inde tanta morum, ingeniorum, peccatorum & malorum diuersitas ex uno seminario: quod cũ Cacotheologi isti, qui scholasticos Theologos contracto supercilio asinos appellant, cum sint ipsi quouis Myda auriculatiores, non uiderent, omnia hęc in omnibus fecerunt originalia: non uelut in radice quæ posset hæc aliquando germinare, sed iam ab ipso ortu contendunt hæc omnia in paruulis reipsa existere, atque ita tam grauibus horrendisque peccatis onerarunt innocentes paruulos, atque nocentissimos perditissimosque homines. Cæterum alia uitia naturæque incommoda (quibus à natiuitate afficimur, & præter uoluntatem ab hoc originali malo in homine nascuntur) pœnæ quædam sunt originalis peccati, non peccata, quales sunt, difficultas, tarditas, hebitudo sensuum, & aliæ impotentiæ, infirmitatesque uiribus animę iniectæ, quibus fit, ut nec clare uideamus, aut intelligamus utilia ad salutem, nec prompte uelimus. Et hæc quoque non sunt in omnibus paria, cum sit unus alio hebetior, aut capacior, obtusior, aut acutior, tardior aut promptior. Sapient. viij. Puer eram ingeniosus & docilis, sortitus sum animam bonam. Etsi

Paruuli ante usum rationis non peccant quãuis fomes ad peccandum inclinet.

Quæ pœnæ peccati originalis.

enim

Etsi enim puniat Deus in omnibus hominibus originale peccatum, non tamen æque grauiter, sed cum quibusdam occulto suo iudicio, mitius agit, cum alijs seuerius: forte propterea nõnunquã ut manifestet gloria Dei, sicut de cæco nato legitur: aut propter parentũ merita bona, uel mala, ut in sanctis patribus & patriarchis, itẽq; in filijs idololatrarum, uel alias latentas causas, quas scire nobis negatum est. Quæ omnia distinguuntur ab ipso originali peccato, uelut pœnæ quædam ad arbitrium iudicis, uel inuitis nobis inflictæ. Et tamen aduersarij tam hæc mala quam fructus actuales quos iam exposuimus, numerant inter originalia peccata. Miror autẽ quid Philippo uenerit in mentem, ut & nobis eandem sententiam imponat. Nam cum nos fateamur fomitem in hominibus durare, nomen fomitis arripit, & sursum deorsum uersat, quasi extra cõtrouersiam sit, nos fomitis nomine significare & intelligere dubitationem de ira Dei, de gratia Dei, irasci iudicijs Dei, indignari, &c. Quis nostrum hæc unquã somniauit? Necbonus iste uir clausis oculis digladiatur & pugnat. Nos enim fructus ab arbore separauimus, & fomitis nomine nullos unquam actus, sed tantum seminarium illud unde istiusce modi actus in malis hominibus suppullulant, quodque baptizati cum adiutorio gratiæ Dei reprimunt, ne morti fructificet, significamus. Neq; enim sunt actus illi originalia peccata, sicut neque fomes peccatum actuale. Ruit igitur aduersariorum de multitudine originalium delictorum sentẽtia, ruit chaos illud quo originalia actualibus, & actualia originalibus confundunt, nisi scriptura ualidiore quàm sint Apostoli Pauli, & tot patrum dicta suam multitudinem ostendant: aut efficiant ne numerus ab unitate habeat originem: uel hoc sit arbor quod fructus, & hoc fructus sunt quod arbores.

Incredulitatem, diffidentiam ac ignorantiam dei non esse originalia peccata.



Vnc uidendum quodnam sit unicũ illud originis peccatum. An ignorantia Dei, aut incredulitas, aut diffidentia, aut odium, aut contemptus Dei, aut uacare metu, indignari, irasci, aut aliquid eorũ quæ numerant aduersarij inter originalia. Ac primum de incredulitate,

quæ si non est originalis, non erit & diffidentia aut dubitatio originalis. Non est autem nobis contentio de incredulitate negatiue dicta, qua sensu quodam quicquid non credit, dici potest incredulum, & quicquid fide est uacuum esse infidele: Hoc enim modo tam increduli sunt & infideles recens nati paruuli, quibus nondum rationis usus accessit, quàm bruta animantia, sed absque peccato, quanquam non absq; defectu. Ita libenter fatemur paruulos & in incredulitate nasci, & in infidelitate, adeoq; non placere Deo magis quàm bruta. Sed contentio est de incredulitate, q̃ falso innitit, qua errant homines, & de infidelitate quæ est perfidia, sicut in adultis hæc crimina reperiuntur. Apostolus Paulus. pri. Timoth. ij. de Adam & Eua sic ait: Adam primus formatus est, deinde Eua, & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Vbi discrimē ponit inter utriusque lapsum: passa est enim Eua se seduci utique in incredulitatem, quam Adam non incidit. Nam quod ad transgressionem mandati attinet, Adam profecto æque atq; mulier præuaricatus est. Certe hoc Apostolus ipse, hoc & Geneseos liber apte testantur. Ambo comederunt, ambo peccauerunt, ambo præuaricati sunt, sed non ambo seducti sunt. Quid est ergo in quo neget Apostolus Adam præ Eua seductum, cum Euam seductā testetur? Quid nisi fides? Sola incredulitas ipsi Adam non imponitur: mulier uero credidit serpenti dicit scriptura, quod de Adam non habet. Reliqua quæ mulier perpetrauit, perpetrauit & Adam. Quod si is quoque cum muliere fidē amisisset, quomodo posset cōsistere quod ait Apostolus: Vir non est seductus, sed mulier? Hic textus clarus est, nec aliā sententiam admittit. Proinde de eadem muliere alio loco dicit: Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita & corrumpantur sensus uestri, & excidāt à simplicitate quæ est in Christo. Est autem Apostolo familiare seductionis uerbo significare alienationē à uera fide specie aliqua fallaci. Sic ad Roma. xvi. monet ut declinemus eos, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. Ad Colos. ij. Nemo uos seducat in humilitate & religione angelorum. Beatus August. lib. xi. in Genesim hanc sententiam Apostoli uerbis tribuit. Ait enim: Nec frustra est illud quod

Dupliciter dicitur incredulitas aut infidelitas.

Adam non amisit fidem, sed mulier.

2. Corin. 11.

Apostolus

Apostolus ait, Adam primus formatus est, deinde Eua, & Adam nõ est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit, id est, ut p illam etiam uir præuaricaretur. Nam & ipsum dicit præuaricatorẽ ubi ait: In similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri: Seductum tamen negat. Nam & interrogatus, non ait, Mulier quã dedisti mecum seduxit me & manducaui, sed ipsa mihi, inquit, dedit de ligno & manducaui. Illa uero serpens, inquit, seduxit me. Ita Salomon uir tantæ sapientiæ, nunquid nam credẽdum est, quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non ualuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperibat atque defluebat mortiferas delitias, contristaret. Ita & Adam posteaquam de ligno prohibitò seducta mulier manducauit, eique dedit, ut simul ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius abalienaretur animo, & omnino illam interire discordia. Non quidem carnis uictus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum, legi mentis suæ, sed amicabili quadam beneuolentia, qua plerunq; fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod cum facere non debuisse, diuinæ sententiæ iustus exitus iudicauit. Constat igitur ex Augustino, Adam non magis amisisse fidem, quàm Salomonem in cultu deorum Sydoniorũ. Ita Bernhar. in sermone de sancto Andrea, explicat quomodo non sit seductus Adam, sed Eua, utique quod mulier credebat serpenti, cui Adam nullam fidem habebat. Epiphanius libro primo contra hæreses. Sancta & Catholica Ecclesia principium omnium est, ex hoc nimirum scopo: Adam protoplastus formatus est, non circuncisus, sed carne præputium habens, non autem erat Idololatra, & nouit patrem Deum, & filium, & spiritumsanctum, propheta enim erat. Itaq; cum non haberet circuncisionem, non erat Iudæus, & cum simulacra non adoraret aut aliud quid, nõ erat idololatra, propheta enim erat Adam, & nouit quod pater dixit filio, faciamus hominem. Quid igitur erat? neque circuncisionem habens, neque simulacra colens, sed Christianismi formam ostendens, &cæt.

Salomon fide dei nõ amissa, diis gentium contra conscientiam sacrificauit.

Adam transgressus est mandatũ dei in gratiã mulieris.

Sic cæteri patres, & omnis theologorum schola, de quo uide Magistrum in Sententijs lib. ij. dist. xxij. Amplius nihil neq; Moyses, neq; Apostolus, neq; item sancti patres ausi fuerunt primo homini in paradiso mandatum dei transgredienti, imponere: qui si in incredulitatem lapsus fuisset, quomodo queat non seductus uideri? Cum istud prædicent sacræ literæ, cum patres spiritu sancto edocti ita doceant, cur libet de proprio ingenio, noua, quæ scriptura non habet, comminisci eaq; primo homini, omnium nostrum parenti, fine causa affingere? Quæ uoluptas est, difficili cōtentione pertētare, utrum possit aliqua ratione sustineri incredulitatem esse originalem, nec cōtentos esse sacræ scripturæ testimonijs, uerū magis delectari ijs quæ fallax hominum prudentia coniectat, aut perniciosa eloquentia persuadere confidit? Deniq; nisi fateamur Adam in fide perstitisse, habuisse mentis iudicium rectum & infractum, & nihilominus contra mentem, contra fidem & rationis iudicium uoluntarie peccasse, non uideo quomodo inueniatur in Adam peccati originalis uera proprietas: Apostolus enim Paulus huic uitio proprie tribuit repugnantiā contra legem mentis, contra conscientiam, contra iudicium rationis, atq; adeo contra fidem. Hinc describens hominem originali malo uexatum, sic loqui eum facit: Non quod uolo bonū hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur ꝑ legem uolenti mihi facere bonum, quod malum adiacet mihi. Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem: uideo autē aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. Fac autem primum hominem corrupto rationis iudicio amisisse fidem: fac eum ex mente & sententia credidisse serpenti contra deum, atq; ita per dictamen rationis & fidei suæ peruerso mentis iudicio, non contra conscientiam & iudicium suum peccasse: quomodo uerā proprietatem & conditionem peccati originalis in tali eius facto inuenies? Iam enim non dabis colluctationem partium inferiorum cū superioribus, sed amicitiam ac societatem: nec repugnantiam carnis contra spiritum, sed potius obsequelam pro spiritus uoluntate, mentemq; facies & spiritum eadem cum carne sentire, atq; adeo ef-

ficies,

ficies, ut non sit illa proprietas quã Apostolus describit, quanq̃ nos experimur in nobisipsis in primo peccato unde nostrum deriuatũ est. Et certe peccatum quod nascentes contrahimus, quod per omnem uitam reliquijs suis nos exercet, cum habeat similitudinem illius præuaricationis, de qua ait Apostolus, sua natura & proprietate conuincit, ostenditq;, quale fuerit p&m̃ illud unde progenitum est, nimirum repugnantia contradicentium partium inferiorũ ac superiorum. Stetit ergo fides, stetit rectum iudicium, sed non recta uoluntas in labente peccatore: qui non incredulus fuit, nec mente peruersa errauit, sed uoluntate corrupta fuit inobediens. Nec propterea minuitur p&m̃ Adã quod astruimus fidẽ in eo mansisse, quin potius grauatur, ac tanto maiore dignum damnatione conuincitur, secundum illud: Seruus sciens uoluntatem domini sui, & non faciens, uapulabit plagis multis. Et illud itẽ, Quicqd nõ est ex fide p&m̃ est. Noli obijcere nobis, Conclusit Deus omnia sub incredulitate ut omnium misereatur. quasi ideo putandum sit, incredulitatem esse nobis congenitam. Illud enim Apostoli dictum ad proprios adultorum errores pertinere, non ad originale peccatum, indicant ea quæ præcedunt. Ostendit enim Apostolus Iudæos qui fidem ueram dei priusquam gentes crederent habebant, postea gentibus fidem recipientibus lapsos in incredulitatem, non utiq; originalem, sed actualem, ipsosq; tanquam ramos fractos excidisse, gentes uero in locum & fidẽ successisse. Atque ita colligit Apostolus, omnia conclusa sub incredulitate, antea scilicet gentes, nunc Iudæos, ut cognoscant Iudæi quod gentes modo cognoscunt fidem esse Dei donum, quod his largitur quorum miseretur: quæ est uera eius loci sententia. ubi nec illud prætereundum est, quod populum fidelem arbori comparat, quæ habeat ramos naturales quosdam, & alios implantatos, q̃d si rami quidam sunt naturales, nõ potest incredulitas originalis esse. Neq; item uolo, ut nobis obijcias, sicut aduersarij facere solent, fallaces experientias. Aiunt enim nos nasci absq; fide, absq; metu & timore per experientiam. At inde non consequitur hæc esse originalia peccata. Quod enim ad has res pertinet, nudi nascimur, sine omni boni uel mali discretiõe. Vnde aduersariorum argumẽtatio, Par-

Peccare contra conscientiam damnabile.

Argumentũ.

Solutio.

Argumentũ.

uuli non credunt, ergo sunt increduli. Est consequentia qualis ista, Ouis non credit, ergo est incredula. Aut sane qualis hæc, Dormiens nihil uidet: ergo est cæcus. Minime uero omnium recipimus, quod de sua hæreticorum experientia opinionem hæreticissimam uolunt omnibus nobis comprobatam.

Experientiæ hæreticorum

Hæc (inquit Philippus) *agnoscunt in se homines pij*. Loquitur autem *de dubitatione, incredulitate, & ijs uicijs, quæ fomitis nomine ut supra retulimus uult intellecta*.

Nos tantum instabiles, infideles & impios arbitramur huiuscemodi motibus extimulari: pios uero & fideles nunquam, nisi forte diabolica infestatione, quæ neminem reliquit intentatum, cui nos resistere oportet in fide, ut Petrus hortatur. Atqui suggestiones diabolicas, quis dixerit nobis esse originalia peccata? Equidem non abnuero hæreticos & impios corrupta natura & spontè absq; diaboli peculiari tentatione, motiones tales frequenter in se experiri, ut qui perseuerātiæ donum, extra Ecclesiam nō recuperabile amiserint, ac propter hęresim iam gratia spūs, qui roborat corda credentiū, sunt destituti. Si licet autē huiuscemodi experientias probandę assertionis uestræ causa allegare, quin nos iure multo potiore pro nobis allegamus experientiam uere Christianorum & piorum hoim. Fideles em̄ ubi semel dederint se totos in obsequium Christi, & obedientiam fi dei, ab omni hæresi & incredulitate plane abhorrēt. Ante annos abhinc quatuordecim, cū Francofordiæ Dionysiū Dn̄icani instituti desertorem audirē, die quadam contra sacrosanctū Eucharistiæ sacramentum, contra Missæ officiū, contra ritum offerendi, ac de excutienda sedis Apostolicæ obediētia, totis lateribus serio & magna uoce declamantē, & quasi ex autoritate definire, præcipere & mandare, q̄ uanissima & impijssima esse certe sciebam, non poterant aures meæ Christianis doctrinis à pueritia assuefactæ & imbutæ, tantam blasphemiā æquanimiter perferre. Hic armabatur mihi pietas, hic fides incanduit, toto corpore sensi perturbationem, dolui, ingemui, infremui, neq; hoc tantum, quinetiam tremula (tantus erat horror audire furentem in Deum apostatam) mihi genua collidebantur.

Experientiæ pioruū hoim.

Optabam

Optabam(si absq; tumultu licuisset) congredi, & uel uitæ periculo, tantum dedecus abolere. Ab eo usque tempore, non memini quenquam eorum audiuisse, præter Osiandrum, quem cum Nurenberga Regensburgum peterem, cõtra monastica, hoc est, conciliorum euangelicorum uota, semel tantum, nec minore animi perturbatione declamantẽ sensi. Quæ est de fide mea experientia. Quidlibet autem fabuletur Philippus pios in se agnoscere, hæc ego in me non impie agnoui, magnaque fiducia ausim deierare fideles omnes, præcipue quibus impietas istorum tam bene quàm mihi perspicua est, maiore pietate ac fide, & hæresim eorum execrari, & uotis paribus frequentius inflammari. De me fideles omnes metior, sentio de unoquoque candide, quod mihi aliquando euenit, & alijs quoque multo frequentius usuuenire tam certum est, quam uerissimum. Nec opus est mihi probatione eius, cui suo assensu quotquot sunt catholici & pij subscribunt. Totidem enim iuuor suffragijs, quot sunt uere Christiani homines. Quod profecto non esset, si incredulitatis, diffidentiæ & dubitationis uitia, nobis tam concreata & ingenita essent, quam est concupiscentia & lex membrorum, quæ habet radices quas sola corporis dissolutio in totum extinguat. Propter quas exclamat Apostolus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quis autem dixerit & incredulitatem tantas habere radices? præsertim cum Apostolus admittat fidem in nobis radicari & confirmari. ad Colossenses secundo: Radicati (inquit) & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis. Filij diffidentiæ ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, quia radicem non habent. Quæ est hæc radix, quã non habent? Certe ea est uera, constans & immobilis fides. Quod si fides est radix, unde nascuntur omnes bonæ operationes, non potest in eodem agro simul radix incredulitatis hærere, & originalem possessionem retinere. Itaque hallucinantur Aristarchi illi, qui si pensi quicquam haberent, cognoscerent incredulitatem, rationi humanæ nondum illuminatæ gratia familiarissime coniunctam, cui adeo innititur, adeoq; fidit, ut ea potissimũ in infidelibus se tueatur.

Fides & incredulitas non radicantur in eodem simul.

Incredulitas non pugnat cum ratione humana.

At non ita uicium originis,quod etiam in Ethnicis humanæ rationi contranititur, qui dicũt,Video meliora,proboq;,deteriora sequor, Hinc fit liquidum, incredulitatem, diffidentiam & dubitationem non pugnare in infidelibus aduersus mentem, sed rationi humanæ potissimum inniti,per quam huc,illuc impelluntur,atque adeo non esse originalia peccata propagatione contracta in paruulis. Sunt tamen in adultis grauia crimina prauæ uoluntatis.

Ignorantiam Dei,carere metu,timore & amore Dei,non esse peccata originalia.



Duersarij dicunt ignorantiam Dei,carentiam metus, timoris & amoris Dei,peccata esse originalia omnibus congenita. Quanquam autem hæc ipsa sint ijs,de quibus modo diximus tam affinia, ut illis cadentibus cadant & ista, ut non multa confutatione sit eis retundendis opus, paucis tamẽ demonstrabo,originalia peccata censeri non posse: Plura de ipsis postea, ubi Buceri argumentis respondebo, dicturus. Et quidem originalia esse, uidentur sibi aduersarij definitione qua dicitur peccatum originis esse carentia iustitiæ debitæ, ita constituisse, ut contra hiscere nobis non liceat.

In Apologia ait Philippus hac definitiõe detrahi nobis non solum obedientiam uirium inferiorum, sed etiam noticiam Dei, fidutiam erga Deum, timorem & amorẽ Dei, quæ omnia fuerat natura integra habitura, &c.

Non ignoro B. August. tribuere paruulis ignorantiam & difficultatem. Idem facit beatus martyr Cyprianus, à quo opinor B. August. uerba ista accepisse, quibus libenter & frequenter utitur: faciunt itidem & alij sancti Patres. Verissimũ est enim nos qñ in tenebris nascimur peccati illius originalis,simul destitui gratuitis Dei donis,qualia sunt, cognitio, & potentiarum animæ promptus ac facilis usus,atque adeo nos nasci in ignorantia & difficultate. Clarissimi quidam Theologi opinantur fuisse etiam in paradiso natura gignendos i x.

dos in ignorātia paruulos,absq; ullo malo seu uitio, si Adā nō peccas set,qui quod ignorarent, temporis ætatisq; progressu inciperēt intelligere,& amare,quanquā nō cum ea qua nos difficultate. Quemadmodum catuli & pulli, in quibus nulla est originalis pœna, proueniunt natura imperfecti, & implumes, sed tempore ualidiores redduntur. Sed de hoc nulla potest è sacris scripturis certitudo haberi: proinde libenter confitebimur cum beato Augustino, paruulos in ignorantia & difficultate nasci: non tamen eo modo, aut in eo sensu, quo aduersarij. Fingunt enim aduersarij in paruulis caliginosam quandam,& damnabilem cæcitatē,qualis est in plerisque adultis,quā ignorantiam originalē, & peccatū esse asseuerant. Nos autem non aliter dicimus paruulos nasci in ignorantia, quàm negatiue,scilicet quod non acceperunt donum notitiæ Dei. Non accepisse donū,pœna quædam est peccati,sed non peccatū. Alioqui si donis carere statim peccatum esset,qui non accepisset omnia Dei dona,tot haberet peccata,quod nō accepisset dona. Vacui sunt igitur paruuli & nudi à cognitione Dei,quæ est ipsorum ignorantia. At peccatum originale longe alia res est,& multis modis ab ignorantia distincta. Fieri enim potest,ut peccatum originale auferatur,& tamen maneat ignorantia. Et econtrario fieri potest, ut ignorātia tollatur,& peccatum originale maneat. Primum illud patet sine controuersia in paruulis baptizatis, à quibus aufertur peccatum originale, qui transferuntur de regione tenebrarum, in regionem lucis, qui fiunt ex incredulis credentes, ex infidelibus fideles, & tamen manent in eadem in qua nati sunt ignorantia: ergo non debet censeri peccatum originale. Hinc B. August. epistola quinquagesima septima ad Dardanū, multis declarat spiritum sanctum habitare in paruulis,& tamen eos ignorare diuina, & ipsum quoque spiritum sanctum ita eos nescire, sicut mentem suam,cuius in eis ratio, qua uti nondum possunt, uelut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu,&cæt. Rursus in quibusdam philosophis græcis & gentilibus prudentioribus, quales illi fuerunt,de quibus Apostolus ad Romanos primo scribit,non mansit ignorantia natiuitate contracta, & tamen peccatum originale eadem natiuitate contractum uere mansit. Sic enim ait Apo-

Vide Magistrū in sententijs li. 2. dist. 2.

Quod ignorātia paruulorū sit pœna, non peccatum.

Paruuli baptizati habent spiritū sanctū, & tamen ignorāt hoc ipsum.

stolus, Quod notum est dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit: inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius uirtus & diuinitas &c. Quis autem dicat istos à peccato originali, cum fidem mediatoris non haberent fuisse liberatos? Ob id beatus Augustinus utrunq; prædicat esse multum mirabile, quod quorundam nondum cognoscentium deum, sit deus inhabitator, & quorundam cognoscentium non sit. Vnde satis apparet ignorantiam istam, in qua nascimur, nō habere cum originali peccato proprium & indiuiduum commercium, sed esse pœnam quandam temporalem: nec tamen propterea pœna leuis est & contemnenda, cum nemo possit seipsum illuminare, & pro sua uoluntate scire aut nescire, sed donum illud largiatur deus, sua reuelatione, etiam tum, cum uidemur nostra opera ac diligentia ad cognoscendum deum proficere. Vnde de philosophis ait Apostolus: Deus enim illis reuelauit. Hinc beatus Augustinus lib. de natura & gratia contra Pelagianos, cap. lxvij. Sunt reuera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Murmurantes autem propterea contra deum, recte fortasse quęrerentur si erroris & libidinis nullus hominum uictor existeret. Cum uero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi domino seruientem auersum uocet, doceat credentem, consoletur sperantē, diligentem adhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, non tibi deputabitur ad culpam, quod inuitus ignoras, sed quod negligis quęrere quod ignoras. Libro quoque tertio de libero arbitrio à cap. xviij. usque ad finem libri, sex longis capitulis de ignorantia & difficultate, in quibus nascimur, tractans, ut clare constet eas non esse peccata, quatuor illas de origine animarum opiniones percurrit, ostendens in singulis, neque ignorantiam, neq; difficultatem, siue à natura homini insint, siue contra naturam tanquàm supplicia irrogentur, imputari homini ad culpam, sed aut pœnas esse, aut præbere homini regenerato materiam per studium & labores proficiendi, ut habeat deus quod in studiosis & pijs coronet, ut pœna susciperet hominem emendatoria potius, quàm interfectoria.

Magnæ pœnæ sunt ignorantia & difficultas.

ria. Sic & in alijs locis ubi rem istam proprie tractat. Quanquam ali cubi disputans contra Pelagianos peccati originalis negatores, uideatur ignorantiam istam & difficultatem peccato non liberare. Sed aliter habendum ẽ, quod Didactice docet, ac uelut in trutina libratum extra contentionem cum aduersarijs definit, aliter quod pro confutandis aduersarijs in argumentatione assumit. Quod autem dicit Philippus, *omnia haec* (loquitur autem de notitia dei, fiducia erga deum, timore, & amore dei &c.) *fuerat natura integra habitura*, uerum quidem est in prouectioribus & adultis: at de infantibus & paruulis non magis certum habetur, quàm prophetia illa domus Heliae, quã Philippus nouo illo spiritu afflatus, euãgelio habet certiorem.

Quale est autem argumentum, Natura integra fuerat haec omnia habitura, ergo hoc est habere peccatum originis, ista non habere? quasi inficiant nos illa non accepta quae accipere poteramus, quasi remota contaminent, quasi in peccato primi hominis computetur, non malicia, nõ uicium, non quod incurrit, sed quibus frustratus est. Ergo non iam peccatum intrauit in mundum sed uirtutes expulit e mundo: Ergo non iam unius delictum in omnes homines in condemnationem, sed unius nuditas, & ea tantum damnãt, quae non habentur. Si ita philosophemur, paruulus baptizatus manebit in peccato originali, quia non redduntur ei quae fuerat habiturus, sed manet (aduersariorum iudicio) hac in parte qualis erat, sine notitia dei, sine fiducia, sine timore & amore dei: Ethnicus uero non baptizatus, qui dei habebit notitiam, peccato liberabitur, praesertim si erit qualis Numa Pompilius apud Bucerum, aut Plato gentilium, scilicet Moyses.

Soluitur Argumentum praecipuum Philippi.

Arbitror ex iam dictis utrunq; constare (plura enim de his in sequentibus) ignorantiam dei in paruulis non esse peccatum, in adultis uero aut non esse quae imputetur, aut uoluntatis esse peccatum, atq; ubicunq; sit, siue in paruulis, siue in adultis, poenam quandam esse. Iam sicut uacantia notitiae dei non est peccatum ipsum originale, ita neque uacantia fiduciae, aut timoris, uel metus dei. Vna

Timor & metus dei nō habent originis peccato communionem.

est enim omnium istorum ratio. Dono dei habentur, iusto uero iudicio, & ira dei non habentur, siue originali peccato quis adhuc illigatus sit, siue non. Sæpe deus manifestauit uirtutem & potentiam suam gentibus. Philosophos in admirationem, contemplationem, & amorem induxit, rectores huius mundi, cuius sapientia & prudentia cuncta gubernarentur. Signis etiam & prodigijs frequenter incussit suum timorem, ut passim in sacris legitur. Et cum cœperit talibus modis in tenebris cognosci, amari & timeri, non tamen repurgauit eos originis uitio, sed ijdem illi admiratores dei, euanuerūt in cogitationibus suis, & gloriā incorruptibilis dei, transtulerunt in homines mortales, & res perituras, ut ait Apostolus, & stultum factum est insipiens cor eorum. Quod si uacantia notitię, amoris aut timoris, esset peccatum originale, iam notitia, amore aut timore obtento, uacantiaq; depulsa, simul depelleretur originale peccatum: qđ falsum esse nemo ignorat. Porro ego neminem tam præpostero esse iudicio puto, qui opinetur ab Adam deriuatum in posteritatē, quod ne ipse quidem Adam habuit. Enimuero quod non habetur, non potest in alios transfundi. Iam fit palam in sacris Adam uiciosa illa & caliginosa dei ignorantia non fuisse affectum, uerum contra, habuisse certam dei cognitionem, metum quoq; & timorem, insuper & magna ac admirabili sapientia fuisse prędituin. Sic dicitur Ecclesiast. xvij. Deus de terra creauit hominem, secundum imaginē suam fecit illum. Et iterum conuertit illum in ipsam, & secundum se uestiuit illum uirtute. Numerum dierum & tempus dedit illi, & dedit potestatem eorum quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & uolatilium. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi, consilium & linguam & oculos & aures & cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illos. Creauit & illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostēdit illis. posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomē sanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius: Addidit illis disciplinam, & legem uitæ hęreditauit illos. Testamentum æternum constituit cum illis, & iusti-

Adam cognitionem dei quam habuit non amisit.

tiam

ciam & iudicia sua ostendit illis, & magnalia honoris eius uidit oculus eorum &c. Ne quis autem cauilletur Adam hęc in pręuaricatiōe amisisse, recitantur hic illa potissimum dei dona, quę & lapsus retinuit, & uniuerso mortalium generi facta sunt à deo communia: sed & textus Genes. iij. clarissime habet Adam post lapsum audiuisse & cognouisse uocem domini, ac prę metu eius se abscondisse, timuisse quoq; & contexuisse sibi perizomata &c. Chrysostom. Homil. xij. ad populum Antiochenum, ostendit primos homines quando nōdum literæ, neq; lex neq; prophetę aut iudices, sed solus Adam cū filijs erat, conscientię cognitione agnouisse uoluntatem dei, cognouisse item quid deo placeret, quid displiceret, & quo offensus reconciliari posset, atq; ob id timuisse eius offensionem, uenerationi quoq; & cultui eius (quę certe amorem in deū testanť) dedisse operā. Sed & primitias naturæ instinctu obtulisse & sacrificia. Si hæc habuit Adā, quomodo potuit contrariū eorū in naturam nostram deriuare? Habuit notitiam dei, & dicunt transfudisse in nos dei ignorantiam: habebat metum, & dicunt metus priuationem in posteritatem traiecisse, quæ tam absurda sunt, ut putem non digna quæ longius persequar. Forsan quęrat ineptus aliquis, utrum ergo notitiam quam habuit Adam in posteritatem transfudit? Respondeo, neq; notitiam neq; ignorantiam. Notitia enim dei donum est, & illuminatio de cœlo, non de carne ueniens. Ignorantia uero uitium est, non paruulorum, sed adulterum: idemq; de uacantia metus & amoris dei cēsendum, quæ sunt in adultis damnabilia crimina, cum à paruulis non desideretur aut exigatur metus ullus aut amor dei. Id quod postea latius explicabimus. Nascimur nudi, sine omnibus actibus & notitijs. Deut. 1. Filij uestri qui hodie boni & mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur &c. Et Apostolus ad Roman. ix. de Iacob & Esau, cū nondum aut boni aliquid egissent aut mali &c. Nec constat originale peccatum nostris uel operibus uel notitijs, nec item potentijs à deo creatis, alioqui deriuatum in nos non esset, sed nouiter creatum. Quanquàm fatēdum nobis est, quod potentias bonas grauiter corruperit, ut ridicula sit aduersariorum assertio, quæ de peccato originali ita constituit, ac si recens nati paruuli, statim sint in intellectu er-

Lex natura quid potuit apud ueteres.

Quæstio.

Nudi & uacui secundū mentem nascimur.

roribus pleni,habeantq; iam & notitias in mente, & concupiscentias in uoluntate sicut adulti. Et forsan altercantur de peccato originali nondum intellecto.

Odium & contemptum dei,irasci item iudicijs dei,aut indignari,& similes passiones non esse originalia peccata.


I non præter omnem probabilem rationem, non præter uerbum dei,nō deniq; prẹter bonorum omnium experientiam statuerent aduersarij, odium & contemptum dei,,irasci item & indignari deo, & id genus alia multa, esse peccata originalia,aut si uel sophisticam aliquam haberent eius rationem,esset forsitan quo errores hos tantos palliare,esset cur nō gratis errare uideri possent, esset quoq;, quod nos uel iusta ratione uel impugnare, uel uero sensu explicare possemus: Nunc uero qua uenia digni erunt, qui tam fœdos errores nulla ratione freti,ultro parturiunt? Quis ludat hic operā? Quis tempus profliget,ubi non auditur nouæ doctrinæ probabilis ulla ratio,nisi forte uelint suam nobis authoritatē sufficere? Certe Philippus in Apologia hoc ipsum non semel sibi arrogat, ut quando sua authoritate rejcit quod dicunt Theologi,& omnes eruditorum scholæ,nos propter passiones nec bonos esse nec malos,nec itē laudari nec uituperari. Et quando eodem loco, censorio more pronunciat. *Nihilo prudentius assuunt Theologi & alias sententias,naturam non esse malam, id in loco dictum non reprehendimus,sed non recte detorquetur ad extenuandū peccatum originis,&c.* Proh magnificam censuram, quasi ad hanc rem naturæ conditio, quam deus creauit bonam, nihil conferat. Scilicet M. Philippus & M. Bucerus dixerunt, Ergo est. Ad hanc consequentiam si mihi sit respondendum,equidem ita conclusero,& multo rectius: Philippus & Bucerus dixerunt, ergo insaniunt. Cætera enim quæ de experientia & definitione male deprauata ad efficiendum ista inducunt, iam abunde satis sunt diluta, nec uideo ullum ipsis ultra hæc restare argumentum. Quinetiam

(sui

(uti de ignorantia dictum est nobis) infra Bucero respondebimus plura.

Proinde in presens suffecerit nobis pro horum confutatione semel ostendisse unicum tantum esse peccatum originis, hæc autem sunt multa. Itemq; nullum actuale esse originale, quod originalia in nos deriuentur, actus autē cum motione simul euanescentes ac pereuntes, deriuari in alios, sit impossibile. At isti sunt actus seu motus quidā, irasci, indignari, odio haberi. Sed neq; passiōes, quas deus utilissimas corporibus humanis insæuit, quibus & bene & male uti possumus, sunt natura uel absq; usu malo, peccata. Sunt quidē deprauatę per originale peccatū, ut legi mentis quemadmodum & concupiscentia non statim pareāt, sed tamen absq; usu, sunt otiosę. Odium in se consideratum, nō magis peccatū est, q̄ in se cōsideratus amor. nec ira magis q̄ placabilitas. nam sicut amare uirtutem bonum est, & uitia malum, ita uirtutes odisse malum est, odisse autem uitia bonum. Sic de mœrore & gaudio, contemptu & obseruantia, in quibus nullum aliud est peccatum quàm abusus malus. At abusus omnis actio seu motio quædam est, ut manifestum sit, hæc aut non esse peccata, aut actualia esse: qualia sunt & reliqua quæ origini asscribunt, ut fremere quod impij meliore fortuna utuntur quàm boni, incitari libidine, cupiditate gloriæ &c. Eadem opera poterat adnumerare, quicquid actualium uitiorum destinato animo peragitur, & idipsum de his dicere quod de illis, nempe hæc agnoscunt in se pij homines. Sed ego (dum uiuam) misericordem deum toto corde præcabor, ne me sinat eo prolabi, ut sentiam tot tamque impias in me motiones quàm isti pijs affingunt, nolim enim in numero piorum illorum recenseri. Etsi autem sciam naturam bonam non posse neque optimum odisse deum, neque maximum contempsisse, fateor tamen uoluntatem malam hoc posse, quod fecerit diabolus, ubi spiritu correpta immundo fuerit à deo auersa, ut credam Philippum, Bucerum, & complices eorum (si huius criminis uel modicum sensum habent) esse impuros, & dęmonio quopiam haud dubium possessos. Si uero nullum eius habent sensum, cur faciunt hereditarium & originalem

Passiones animorū nō sunt peccata

Volūtas mala, potest q̄ natura, licet corrupta nō potest.

 morbum?

morbum? prçsertim cum originalis morbus etiam secundum propriam peccati rationem, sit omnibus hominibus per ipsos perpetuus. Aut cessent igitur hçc appellare originalia, aut fateantur se perpetuo dei odio diabolo simillimos.

Solum inobedientiæ peccatum esse originale.



TAndem igitur quodnam est unicum illud originis peccatum, quod deriuatur ab uno in omnes, si nõ est ignorantia dei, neq; dubitatio, neq; incredulitas, neq; diffidentia, neq; contẽptus, neq; odiũ dei, neq; itẽ irasci, aut fremere, aut indignari contra deum, neq; amare carnalia, neq; incitari ira, libidine, cupiditate gloriæ, neq; aliquid illorum, quæ uel Bucero contra Colonienses, uel Philippo in Apologia originalia censentur? Quæ species in tam lato peccatorum genere est originalis? Quę, nisi inobedientia? Hæc in primo homine cepit, & secundum remanentem post actũ culpã, transijt in omnem posteritatẽ: quod de nullo alio pctõ affirmari potest. Idcirco & Apostolus peccatũ illud, non ignorantiã, aut dubitationẽ, aut incredulitatẽ, aut odium dei appellauit, sed inobedientiam & pũaricationem. Ad Roma. v. Per unius inobedientiã peccatores cõstituti sunt multi. At ubi legitur, Per unius odiũ uel incredulitatẽ peccatores cõstituti sunt multi? Paulum sequuti sunt sancti patres, qui concordi spũ iru & uoce quoties sit rei mentio attestantur nobis Adæ inobedientiam seu mandati præuaricationem fuisse primum illud peccatum, quod genus humanum perdidit & prostrauit. Irenæus uicinus apostolorum temporibus lib. iij. contra hæreses: Per inobediẽtiam (ait) unius hominis, introitum peccatum habuit. Idem lib. v. dicit nos omnes per inobedientiam primi hominis Adæ offendisse: non facientes dei prçceptum. in secundo autem Adã reconciliatos & obedientes usq; ad mortẽ. Epiphanius contra Marcionem ait: Adã in inobedientiã collapsus, cum haberet liberum arbitrium in propria uoluntate, à seipso peccatũ intra se excogitatũ commisit, ubi uidelicet eundem dñm per inobedientiam spreuit. Isychius lib. iij. in Leuiticum, Inobedientia nobis immunditiã sordemq; contraxit. Chrysost. sermone ix, in epist. ad Roman. Clarescit itaq; non hic dici de peccato, quod

Solum peccatum inobedictiæ transit in posteritatem.

quod sit ex transgressione legis, sed quod est ex inobedientia Adæ, illud scilicet est, unde omnia infecta, uastataq; sunt. Quod dictum Augustino adeo probabatur, ut contra Iulianum lib. primo Chrysostomum allegauerit in hęc uerba translatum: Manifestum est quoniam non ipsum peccatum quod ex legis transgressione, sed illud peccatum quod ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminauit. Theophilactus in expositione capitis quinti ad Romanos: Nunc quid sit unius delictum interpretatur, exprimitq; quod sit inobedientia, per quam constituti sunt peccatores multi. Cyrillus lib. quinto Thesauri, dicit Adam præuaricatione diuini mandati uitam perdidisse, ad quam per obedientiam Christi sumus restituti. Ambrosius in psal. cxviij. In paradiso orta est inobedientia, ideo obedientia cum saluatore descendit. Item in libro de Paradiso capite septimo, dicit inobedientiam mortis causam fuisse. Vt Augustinum allegemus loco uno uel altero, superfluum arbitror, quem constat tam multis libris peccatum illud, modo concupiscentiam, modo inobedientiam appellitare. Et quidem primus parens Adam quando peccauit, habuit in utraque sua parte, hoc est, in carne & in uoluntate inobedientiam contra DEI mandatum. In uoluntate quidem, quod mulieri danti ad comedendum obsequi decreuit, cum aliud iuberet mandatum. Quid autem mulier dederit, his uerbis explicat scriptura: Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad uescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit, deditque uiro suo, qui comedit, Genesis tertio. Ecce hic commotam in carne concupiscentiam, quæ esum delectabilis ligni appetebat. Hæc erat altera inobedientia in carne Adam, contra idem illud mandatum. Stabat interim ratio in homine, quæ cogitabat mandatum Dei, quod prætergredi nefas iudicabat: Cui é regione aduersabatur concupiscẽtia uoluntatis ad mulieris arbitrium inclinata, concupiscentia quoq; carnis capta pulchritudine & suauitate fructus. Ac tandem duplici concupiscentia rationem uincente, contra mentem comedit, & mandatum Dei præuaricatus est, factus Deo & arbitrij uoluntate, & naturali carnis concupiscentia, inobediẽs. In hũc modũ consummatũ est pctm̃ inobedientiæ, per quod factus est ęter

Duplex inobediẽtia, una in uoluntate alia in carne

næ damnationis reus cum uniuersa posteritate,in quam peccatum illud non quidem secundum actum,sed secundum culpam, reatum, & corruptionem propagatione quadam transijt.Peccauerant enim Adam & Eua ut dictum est, concupiscendo & perficiendo,quæ Deus prohibuerat facere , ut fuerit peccatum eorum omnibus modis absolutum & actuale.

Inde natus est in carne affectus quidam concupiscendi , qui cum sit quasi habitus quidam brutæ carni ingenitus & infixus,nec prædi tus sicut uoluntas prædita est, arbitrij libertate, ut ualeat sese ipm continere uel corrigere ,aut in diuersum ferre, manet idem semper inclinatus & propensus ad aliquid sine iudicio : atq; hunc affectum concupiscendi,appellamus originalem carnis concupiscētiam , sicut beatus Augustinus & alij patres faciunt . Quod idcirco admonitũ lectorem uolui, ne quis audito concupiscentiæ originalis nomine, statim semper actum eius intelligeret,& nos non de affectu seu habitu,aut ui concupiscendi,sed de actu eius loqui putaret.Verum uoluntatis inobedientia quæ & ipsa concupiscentia quædam est, eratque in anima primorum parentum, euanuit, non relicto à se, neq; actu,neq; habitu,idq; propter arbitrij liberi uertibilitatem, qua poterant sese continere,cessare,& alio conuertere . Quanquam autem ita actus ille præterierit, & non sit hæreditaria concupiscentia in anima sicut in carne relicta,mansit tamen culpa seu peccatum, quod po terat homo arbitrij libertate contrahere, sed non ab eodem se eadem libertate purgare.Itaq; sicut mansit in carne concupiscentia,sic mansit in anima primorum parentum peccatum sola Dei misericordia purgandum.

Concupiscentia originalis in carne non actũ,sed habitũ cōgenitum significat.

In anima nō mãsit uoluntatis actus, sed peccatũ.

Hic iam incidit difficilis & inexplicabilis quæstio de trãsitu peccati illius in succedentem posteritatem . Etsi enim ratio dari queat de propagatione fomitis,seu concupiscentiæ carnalis, propter carnem cui inhæret,& cum qua propagatur, non tamen apparet, quo modo simul transeat ipsum peccatum formale in nouum hominē. Cum anima quæ est propria peccati sedes , neque propagetur sicut caro, neq; fiat ex traduce & potentijs materiæ , ut peccatum ab anima in aĩam transferatur ,sicut concupiscentia cũ carne in carnē, sed

Q̃uo transeat peccatum Adæ in posteritatem.

anima ipsa noua à Deo creata simul infundatur, non habens ullam sui partem à parentibus. Quæ causa erat, cur Pelagiani negarent hominem nasci in peccato originali, & si non negarent eum obstrictum pœnis peccato illi debitis. Contra quos beatus Augustinus ingentia uolumina conscripsit, clare & euidenter scripturarum authoritate conuincens, omnes homines in originis peccato, ineuitabiliter nasci. Quod ipsum astruunt omnes sancti Ecclesiæ DEI doctores, quanquam non tam copiosa demonstratione, quia nemo eis contradicebat, ut opus fuerit accurata & prolixa disputatione, renitentes conuincere, quales repperit Augustinus.

Cum quærerent autem à Catholicis Pelagiani, per quas rimas transiret peccatum illud, uel quo uehiculo, aut subiecto transuectum, perueniret in nouum hominem, cum necesse sit, peccatum alicui inhærere, quando non uolitet sicut auicula, ab anima in animam, & carni (quæ non est idoneum eius subiectum) inhærere non possit, difficile inueniebant Catholici quod responderent, & quo (non dico sibi) sed aduersarijs satisfacerent. Ipsis enim Catholicis, sua fides sufficiebat, qua credebant in paruulis esse peccatum, propter scripturæ sacræ testimonium, etiamsi non apparerent rimæ, per quas deriuaretur, aut uehiculum, quo transportaretur, aut per quæ deflueret cannalia, uel subiectum, cui inhærens deuolueretur ab anima in animam.

At aduersarij tanto instabant acrius, & multis prætereà argumentationibus Catholicos arctabant, ut beatus Augustinus huiusmodi eorum argumentis permotus, putaret prius, certi aliquid de origine animarum inquirendum esse, quam de peccati transitu diffineretur. Siquidem ubi non constaret animarum origo, sciri nō poterat quomodo contraherent in ipsa sua origine peccatum.

Quapropter ponit quatuor opiniones de earum origine. Vnam, qua dici potest, omnium hominum animas ex una Adæ anima propagari, sicut propagatur caro de carne. Alia est, qua creduntur singulis quibusque hominibus, singulæ animæ nouæ creari & infundi. *Quatuor opiniones Aug. de origine animarum.*

Alioqui poterat & ipse ita respondere, & non relinquere in dubio suspensam quæstionem. Ad hæc de originalis iustitiæ debito, facilius dicitur quàm probetur aliquid. Constat in omnibus iustitiæ illius defectus, & certum est nos absq; ea nasci: sed unde constabit institiæ illius debitum? Magnæ res in dubitatis egent testimonijs. Neque scripturis sacris, neque patrum testimonijs, neq; item ecclesiæ (quod sciam) definitione, efficitur aliquid de huiusmodi debito, nisi tantum quod in scholis talibus disputationibus solemus exerceri. Mihi quidem q̄d de debito dicitur sit satis probabile. At uero si res serio agatur cum aduersarijs Pelagianis, quomodo & illis persuadeatur? Ad hęc quis audeat dicere paruulo in baptismo nihil aliud relaxari q̄ impositum seu imputatum à deo debitum, & non ueram aliquam culpam? Nescio an passioni Christi & gratiæ baptismi conueniat talis æstimatio, quum baptismo lauetur anima, nō à nihilo, sed ab immūditia, ab iniquitate, à macula, a culpa, a contagione, a peccato: quod si tantum a debito lauaretur, iam nō lauaretur, sed instrueretur, donareturq; tantum noua gratia originalem iustitiam supplente: quod non est lauari purgari & emundari, sed potius ornari. Et quomodo probabitur deum exigere a paruulo, quod non dedit? quomodo nobis persuadeatur, deum, quia non dedit paruulo iustitiam, ideo tot modis eum punire, torquere, & damnare? Ac iam punire paruulum non propter aliam causam, quàm quia nihil ei datum est. Videndum ne si hoc dicimus, ueniamus in dubitationem de dei iustitia, sibi fingentis quod puniat.

De iustitiæ originis debito non habetur certitudo.

Vehementer mouit istud beatū Augustinū, ideo cum posset & ipse uacantiam hanc causari & hac elabi responsione, qua magis declinatur, q̄ soluitur argumenti uis, huc confugere noluit, præsertim cum non constet deum inquirere de iustitia paruulorum, sed magis punire peccatum. Vnde epist. sua xxviij. cuius iam meminimus, ad Hieronymum, sic ait: Deus bonus est, deus iustus est, deus omnipotēs est, hęc dubitare, omnino dementis est. Tantorum ergo malorum, quę fiunt in paruulis, causa iusta dicatur: nempe cum maiores ista patiuntur, solemus dicere, aut sicut in Iob, merita examinari, aut sicut in

Herode, peccata puniri, & de quibusdam exemplis quæ Deus manifesta esse uoluit. Alia quæ obscura sunt, coniectare conceditur, sed hoc in maioribus. De paruulis autem quid respondeamus edissere, si pœnis tantis nulla sunt in eis punienda peccata. Nam utiq; nulla est in illis ætatibus examinanda iusticia. Aduerte lector animum, & expende diligenter ista Augustini uerba. Fatetur ætatem illam, uacuam esse iusticia, nec examinandam in ea putat iusticiam quam nullam habet, sed hoc non censuit sufficere ad tantas pœnas, quãtę paruulis, uel hic in præsenti uita infliguntur uel in futura. Quærit & inuestigat peccata quæ in ipsis puniantur. Solam carentiam non appellat uerum & dignum peccatum, sed ab eo distinguit, quærit tot pœnarum causam iustam aliquã. Mihi quidem uidetur tale aliquid dicere, Qui uirginitatem non habet, non accipit uirginitatis lauream, nec tamen propterea punitur, nisi commiserit adulterij uel fornicationis peccatum: qui alienus est à martyrio, non accipit coronã martyris, neq; tamen punitur, nisi fuerit abnegator, aut infidelis: q nõ accepit talentum, nihil lucratur, nec præmium accipit, sed neq; punitur, nisi acceptis fuerit abusus. Sic qui originalem iustitiam non habet, non accipit originalis iusticiæ præmia, qui si non habet præterea culpam seu peccatum, sed tantum & ab omni peccato, & ab omni iusticia æquæ uacuus est, quare per iusticiam Dei punitur? Ideo nec ego ausim hic quicquam definire, nisi quod sit olim definitum, q̃d in Ecclesia constat, fideque indubitata creditur, Omnes homines nasci in originis peccato, quod animam ipsam ream teneat. Amplius à Theologo exigi nec debet, nec potest, quàm ut secundum scripturæ sensum & ecclesiasticas definitiones, de credendis simpliciter respondeat. Si quis uero, rationem poscat credendorum, huic dicetur, Quis consiliarius eius fuit? & quis cognouit sensum domini? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? an nõ habet potestatem figulus de eadem massa facere aliud uas in honorem, aliud in contumeliam? Sed tamen si quis simplicitatis nostræ coniecturam, uelit cognoscere, dicam libenter, non quod sit definitum, aut forte indubitatum, sed quod mihi uideatur probabile,

quousque

quousque per Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum omnis ueritatis, certi aliquid declaretur.

In progeneratione humana hoc obseruandum est, quod parentes sunt corporum nostrorũ, & non animarum genitores. Siquidẽ quod animarum origine beatus Augustinus in ambiguo reliquit, pro certissimo hodie & indubitato, omnes Theologorum scholæ definiunt. Singulis hominibus singulas creari à DEO animas, easdemque dum creantur corporibus humanis, utero adhuc materno inclusis infundi. Quo constituto, considerandum quales animas, aut quomodo affectas, Deus corporibus nostris infundat. Ad hoc conferet dictum illud Apostoli, Factus est primus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus Adã in spiritũ uiuificantẽ. Vbi facit discrimen latum inter animam uiuentem & spiritum uiuificantem. Anima quidem facta est uiuens, sed non uiuificatrix, ut animet corpus, sed ipsum non uiuificat uita uera, immortali & spirituali. Vitam itaque quandam habet naturalem, qua corpus suo modo uiuificet, hoc est, animet, sicut & cætera animantia, de quibus eodem modo dicitur in Genesi, quod animam habeant uiuentem. Genesis primo dixit etiam Deus: Producant aquæ reptilæ animæ uiuentis, & uolatile uolans super terram &cæt. Et iterum, dixit quoque Deus, Producat terra animam uiuentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ secundũ species suas, factumque est ita &c. Verũ nec animæ bestiarum, nec anima hominis, quanquã in immensum illis nobilior sit, utpote rationalis, & ad imaginem Dei creata, habuerunt uiuificam illam potentiam, quæ ad summum uitæ gradum corpus instauret & prouehat, ut donet corpus animatum immortalitate & incorruptione, quod ad illum pertinet de quo scriptum est. Viuificabit mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum eius in nobis. Ita & beatus Augustinus, uidetur illud Apostoli dictum intellexisse, epistola centesima quadragesimasexta. Verba eius sunt: Inter animam uiuentem & spiritum uiuificantem hoc interesse uoluit Apostolus, ut illic sit corpus animale, hic spirituale. Anima quippe in corpore animali uiuit quidem, sed non uiuificat, usque ad auferendam corruptionem.

De transitu pcti in succedentes probabilis opinio.

Anima hois uiuit, sed non est uiuifica.

Roman. 8.

Auguſtinus lib. de ſpiritu & anima, capite xlij. claris uerbis innuit. Et cum ualde ſe torqueat ad oſtendendum tranſitum originalis peccati in animã, hic uidetur illud præſtitiſſe. Ait enim: Paruuli ſicut neſciunt culpam cum qua ex carne naſcuntur, ſic neſciunt gratiam qua per Chriſtum renouantur. Non excuſat paruulos a culpa, quia eam non norunt: nec excludit gratiam ab eis qui eam neſciunt. Queris in eis culpam, inuenis ex carne traductam: queris in eis gratiam, inuenis a deo collatam, &c. Quod a ſententia quam deſcripſimus, nõ abhorret. Idem Chriſtianorum Poetarum uetuſtiſſimus ille Prudentius pulchro carmine expreſſit. ita enim in Apotheoſi & docte & eleganter modulatur:

Hæc prima eſt natura animæ, ſic condita ſimplex,
Decidit in uitium per ſordida fœdera carnis,
Exin tincta malo peccamine principis Adæ
Infecit genus omne hominum quod pullulat inde,
Et tenet ingenitas animarum infantia ab ortu
Primi hominis maculas, nec quiſquam naſcitur inſons. &c.

Vides Lector quã breui carmine ſit Prudentius omnia quæ diximus complexus, nec iam Poetam agere ipſum, ſed plane Theologum: unde & ſubdit de pœna quæ debeatur peccato:

Sed quia materiam peccati ex fomite carnis
Conſociata trahit, nec non ſimul ipſa ſodalis
Eſt incentiuum peccaminis, implicat ambas
Vindex pœna reas, peccantes mente ſub una
Peccandiq; cremat ſocias cruciatibus æquis, &c.

Hæc eſt lex omnium mortalium, hæc eſt generatio filiorum Adam, tranſiens a primo in nouiſſimum uſq; hominem, ab eodem concupiſcentiæ fomite procreatum. Nec liberantur a generationis huius malo, niſi per regenerationẽ, quæ fit in ſecũdo Adam, domino inquam noſtro Ieſu Chriſto, quem malum illud perſtringere non potuit, eo quod de ſpiritu ſancto, non de carnis concupiſcentia conceptus & natus ſit, ex immaculata uirgine, quam & ipſam ſingulari ſua prædeſtinatione miſericors deus a peccato illo liberam, intactam & immunem ſeruauit, ad hoc, ut de carne munda & pura, quæ neq; infecta eſ- *Virgo Maria ab originali peccato præſeruata.*

fet, neq; contagione sua lederet de se natum, formaretur nobis Adã ille nouus, qui de eius carne ueram quidem carnem, sed absq; peccato assumeret, quam gereret in similitudinẽ carnis peccati, & pro peccato nostro expiando deo offerret. In hac regeneratione, qui eramus filij Adam, efficimur filij dei: qui facti eramus in animam uiuentem, recipimus spiritum uiuificantem: qua de causa datur nobis spiritus adoptionis & promissionis, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, quo credentes signamur. ad Eph. pri. & iiij. qui prorsus perimat & auferat primæ generationis peccatũ, ut simus noua creatura in ipso. Quanquam autem per talem regenerationem liberentur homines a genitali originis nostræ peccato, qui tamen inde secundum legem Adæ ex carne generantur, peccatum illud ita sibi contrahunt, sicut parentes ipsi dum nascerentur olim contraxerunt: idq; propterea, quod licet peccatum illud sit per spiritum ablutum & extinctum, residear in carne ueteris corruptionis fomes, secundum quem generant, & non secundum spiritũ. Carnem enim de se naturalem procreant, spiritum dare non possunt. Quod si generarent simul & spiritum sicut carnem, aut saltem spiritum simul transfunderent quando carnem procreant, haud dubium quos generant sine peccato nascerentur.

Quõ ab originali peccato liberati, generent filios peccato obnoxios.

Mirabar aliquando mecum, quænam tam urgens necessitas, aut forte libido, aduersarios cogeret transferre peccatum illud inobediẽtiæ in aliam speciem, & alias indere ei nominationes quã habeantur in scriptura sacra, easq; tam anxie tueri sine testimonio uerbi dei. Suspicabar eos negotium istud non frustra moliri: nondum tamen apparebat digna aliqua ratio qua huc impellerentur, donec uenit in mentem cardo & summa totius doctrinæ aduersariorum, quæ est, *Solam fidem iustificare*, atq; e diuerso, *Solam incredulitatem damnare*. Nimirum quemadmodum mendaces, ita & hæreticos quosq; oportet esse memores, ne committant quo minus omnia eorum non concinne & apte cohæreant. Ergo auferunt Adamo fidem: ne fide concessa, cogantur fateri iustum, quẽ scriptura pronũciauit præuaricatorẽ & peccatorẽ tam insignem, ut ab eo peccati initium omnibus hominibus sit factũ. Assuunt incredulitatem, ut sit in

Quo consilio assuant Luterani Adamo incredulitatem.

Adam

Adam ratio qua ipsis placet fieri peccatores & iniustos. Iam cætera quę numerãt, incredulitati cognata sunt adeo, ut aut sub incredulitate contineantur, aut eam consequantur natura. Ignorantia enim & dubitatio, partes sunt incredulitatis, quas natura consequitur, diffidentia & desperatio de gratia dei. Desperationem contemptus & indignatio, quibus proxima sunt, irasci deo, odisse iudicia eius, & studium illorum, quibus homines à deo auertuntur, qualis est auaritia, amor uoluptatis carnalis, cupido gloriæ: Quibus uitijs contegendis aiunt sufficere solam fidem. Ergo hæc ipsa peccata (ut eorum est sententia) manent in omnibus hominibus, etiam baptizatis, quod testimonio piorum hominum, qui eadem in se experiantur, uolunt cõprobatum, & sola fide conteguntur, ne imputentur ad damnationẽ. O molle, o suaue, o speciosum operimentum criminum, fides. O fidem talibus superstructam fundamẽtis. O mirabilem consensum templi dei cum idolis. O idola quibus tali licet esse asylo tuta. Aduersarij itaq; hoc nimirum consilio ad metamorphosin peccati originalis faciendam uidentur adacti.

Demonstrauimus hactenus Christiane Lector, unicum tantum esse peccatum originis, & quodnam illud sit confutata aduersariorum doctrina explicuimus. Putoque quantum ad faciendam ueritati fidem, sufficiat testimoniorum, nos attulisse e sacris scripturis & patribus sanctis. Quibus si res posceret, possemus multo adhuc plura addere, nisi prolixitatis tædium uitaremus. Proinde si ueritatis, si fidei catholicæ, si doctrinæ purioris es amans, affectu & partium studio deposito, quod uerbo dei, quod patrum testimonijs, quod item firmissimis rationibus cõmonstratum nobis est, cognosce & synceriter secundum deum diiudica.

Nũc ad ea q̃bus Bucerus statuere nitit̃ p̃ctm̃ originale baptizatis nõ auferri, sed tm̃ nõ imputari ad damnationẽ, re aũt uera manere, primũ respondeamus, ut disiectis eoꝝ argumentationibus, Ecclesię doctrina nobis deinde constituat̃. Allegat Paulũ ad Ro. vi. sed mutilũ. Apostolus enim habet: Nõ ergo regnet p̃ctm̃ in uestro mortali corpore, ut nõ obediatis cõcupiscẽtijs eius, sed neq; exhibeatis mẽbra ur̃a arma iniq̃tatis p̃ctõ, sed exhibete uos deo, tanq̃ ex mortuis uiuẽtes, & mẽbra uestra arma iusticię deo: p̃ctm̃ enim uobis nõ dñabitur. *Responsio ad argumentũ Buceri.*

Ita Apostolus. Vbi Bucerus præcipua illa omittit. Nempe, ut non obediatis concupiscentijs eius. Exhibete uos deo tanquam ex mortuis uiuentes,& mēbra uestra arma iustitię deo. Quibus uerbis Apostolus nobis indicat, quatenus malum illud sit peccatum,& quatenus non. Inhæret enim membris nostris, ob id appellatur lex membrorum. Sed in baptisatis absq; peccato, quibus utiq; dicitur: Non ergo regnet peccatum in mortali uestro corpore, ut obediatis concupiscentijs eius, uidelicet significans, ita demum malum illud fieri baptisatis perniciosum(fratribus enim seu Christianis scribit) ubi obedierimus eius inclinationi per consensum uoluntatis, quo accedente, regnaret & operaretur iniquitatē. Alioqui si quietum & otiosum, nihiloninus uere peccatum erit, cur admonet ne acquiescamus concupiscentijs eius? frustra dicitur turpi, caue fieri deformis, cum sit deformis: frustra Aethiopi, ne denigreris, quę cādidis & formosis apte dicuntur. Ad eundem modum in quibus non est uere peccatū, sed fomes quidam peccati incentor, apte quidem dicit, Non regnet &c. Cæterū si membra nostra plena sunt uero peccato, cur precipit Apostolus ut ne membra nostra exhibeamus arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ deo? Vbi deo peccatum ex aduerso opponit, & seruitutem peccati seruituti dei. Hic quid dices nobis Bucer? potest homo duobus istis dominis per Apostolum seruire? Potest certe, si hoc quod tu uis Apostolus sentit, uerum esse peccatum in mēbris, & eadem illa ministrare iustitiæ. Atque ita fiet ut iam consentiant simul Christus & Belial, membra plena uero peccato, plena spiritu immundo, plena quoq; sint spiritu sancto. Vides igitur quanta absurditas sensum quem Apostolo affingis sequatur? Sequetur enim, ut conueniat modi luci cum tenebris, tēplo dei cum idolis, ut Christus in eodem corpore cohabitantem sibi admittat diabolum, & nondum uicerit, nōdum arma diripuerit, nondū abstulerit spolia. Ergo Apostolus uerbis illis fideles baptisatos admonet, quomodo oporteat cauere, ne malum illud(quod frequentius ob causas Augustino commemoratas, Apostolus peccatum uocat) fiat uere, quod dicitur peccatum, regnetque per consensum uoluntatis in corpore, cui absque noxa & culpa si non regnat, inhęret, quum eadem illa membra hoc

Sensus uerbo. Apostoli.

malo

malo affecta sint sancta, utpote membra corporis Christi & templum spiritussancti. pri. Corin. iij. Templum dei sanctum est, quod estis uos. Item, nescitis quia membra uestra templum sunt spiritussancti, qui habitat in uobis? Idcirco eodem quem Bucerus truncatum citat loco, addit Apostolus, tanquam ex mortuis uiuentes. Si manet autem peccatum, quomodo non permanemus in morte? aut quomodo simus ex mortuis uiuentes, cum non sit mors animæ alia quàm peccatum? Per peccatum enim, inquit Apostolus, mors uenit in mūdum. Et alibi: Stipendium peccati mors. Non tribuit ergo nobis peccatum uerum, qui uitam in Christo tribuit. Deo quidem mortui eramus, uiuente in nobis Originali peccato, quo per baptismum mortificato & extincto, uita nobis reddita est in deo. Ita uides lector quid Apostolus Bucero suffragetur.

Nihilo melius allegat eundem cap. vij. ad Rom. Si autem quod nolo illud ago, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū. Item & illud, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Eadem opera citare poterat & reliqua quę ibidem Apostolo dicuntur, Peccatum per mandatum operatum est, in me omnem concupiscentiam. Item, uiuebam sine lege aliquando, sed cum uenisset mandatum peccatum reuixit. Item, Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum uenundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Item, Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonū: nam uelle adiaicet mihi, perficere autem bonum nō inuenio. Non enim quod uolo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio. Cohærent enim ista in eadem sententia, & eo in loco cōnexa sunt, ut separari alterum ab altero nō possit. Describit enim Apostolus totidem uerbis colluctationem carnis cum spiritu, & prorsus eadem est sententia, quę uerbis alijs habetur Gal. v. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spūs aduersus carnem: hęc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quęcunque uultis illa faciatis. Quod ad Rom. peccatum, ad Galat. carnem appellat: quod hic spiritum, illic modo uelle, modo appellat mentem. Quis autem dixerit carnem esse uere & proprie peccatum? Liquet igitur

Ad reliquas authoritates ex Apostolo citatas p Bucerum.

Sententia uerbo. Apostoli ex collatione scripturę

Apostolum ad Rom. peccati uocabulo abuti pro reliquijs peccati in carne. Vnde nonunquam coniungit has duas uoces in unam, & quod modo carnem, modo peccatum uocauerat, facta compositione appellat carnem peccati, ubi non inepte concupiscentiam uiciatę & corruptę carnis intelligimus, quæ caro dicitur quod in carne habitet, cui innata & inmersa est, peccatum uero quod ex peccato nata est, & ad peccatum inclinat: quã significationem innuunt uerba quę ad Gal. hunc locum proxime pręcedunt: Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis. Quid sunt autem carnis desideria, nisi concupiscentia carnis? unde statim subditur: Caro enim concupiscit aduersus spiritum &c.

Breuis ista responsio poterat lectori non contentioso satisfacere, innititur enim scripturarum collationi, quę certissimę regulæ explicandi scripturas, quas & patres non aliter intellexerunt. At quando nobis cum hominibus inuolutis & rixosis negocium est, non grauabimur hęc ipsa latius explicare. Est enim iste Apostoli locus, tam obscurus, ut uerisimile sit apostolum Petrum eo respexisse quãdo dicebat in epistolis Pauli quędam esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauarent sicut & cæteras scripturas ad suã ipsorum perditionem. Nam cum sancti patres in tam spacioso mirumq; in modum uario sacrarum scripturarum campo, mirabili concordia ubiq; fere consentiant, hic uariant. Chysostomus, Origenes, Theoph. Ambrosius, & maior patrum pars uolunt Apostolum hęc omnia dícere, non in sua, sed in persona generis humani, considerati in ea conditione, cui subiacet, absq; beneficio redemptionis. Augustinus, uero de seipso, non in persona aliena. Et urget hunc locum frequenter cõtra Pelagianos, qui plus uirium tribuebãt libertati arbitrij nostri quàm par erat, quibus apponit Apostolum infirmitatem eiusdem agnoscentem in seipso, & dicentem: Non quod uolo bonum hoc ago. Quod si in Paulum obtineat, uehementer concutit dogma Pelagianum.

Apostolũ patres non eo dem modo exponunt.

Prior sententia uidetur magis dignitati Apostoli congruere, & sensum referre eius loci apertiorem. Cum uoluisset enim describere totius generis humani infirmitatem, & eam in una aliqua persona proponere spectandam, cuĩ potius quàm sibi personam illam ap-

Sententia Chrysosti. de uerbis Apostoli.

taret? ne iniuriam uideretur irrogare alteri cui imponeret. Atque ita docendi gratia Apostolus, q̄d non habebat, sibi accommodat. Nunquam fuit sine lege, & tamē fingit se ante legem fuisse, nimirum propter patres q legem præcesserant: uiuebam, inquit, sine lege aliquando, sed cum uenisset mandatum peccatum reuixit. Ita & istud, Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam, in persona dicit aliena, cum non bene quadret in ipsum, qui alibi dicit: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Sic queritur se uenundatū sub peccato, & captiuatū in lege peccati, cum alibi passim prædicet precio emptos nos esse, redemptos, liberatos &c. Et quod hic dicitur, lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea bonum, nisi in aliena accipiatur persona dictum, quomodo cohærebit cum his, q̄ idem ille de se dicit alibi, Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Christus? Et iterum, animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei, nos autē sensum Christi habemus. Item, arbitrantur nos quidam secundum carnem ambulare, nos autem in carne ambulantes, nō secundum carnem militamus. Et alibi, Propter inhabitantē spiritum eius in nobis. Hæc igitur omnia quæ in se trāsfert, nō ad se neq; ad baptizatos, sed ad eos q gratiam baptismi non receperant pertinere constat. Quod uel ex eo fit manifestum, quod iam dixerat de baptizatis. Cum essemus in carne, uidelicet ante baptismum, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, nunc autem soluti sumus à lege mortis. Et quod capite sequenti ad eosdem ait: Vos autem in carne non estis. ac pri. Corin. vi. Nescitis quia membra uestra templum sunt spiritussancti qui habitat in uobis? Quæ si recipitur sententia, ut non temere repudianda est, frustra nobis obijcitur, Apostolus in aliena, non baptizatorum loquens persona, qui de reliquijs disputamus regeneratorum.

Cæterum ne putent aduersarij nos ab Augustino declinare, cæterorumq; sententiam astute probare, ad subterfugiendam uidelicet uim argumentorum, donemus beatum Augustinum, etiam intelligi posse Apostolum hæc dicere de seipso: uolumus enim ubiq; non nostrum, sed patrum præferre iudicium, tamen clarissimum est, alterum Buccero é duobus eligendum,

Aut enim fatebitur cum Chrysostomo, & maxima scriptorum Ecclesiasticorum parte, Apostolũ loqui non in sua, sed in persona eorum qui sub lege, & ante legem donum spiritus non acceperant. Sic frustra (ut diximus) nobis in hac materia obijcitur, ubi de renatis & gratiam agimus, in ijs enim duntaxat negamus concupiscentiam illam originalem esse uerum peccatum, quod in cęteris esse docemus: Aut cum Augustino fateatur necesse est de seipso Apostolũ hæc dicere. Et ne sic quidem obtinebit, propter manifestam in uoce peccati æquiuocationem: quam nisi recipiat, effecerit ut Apostolus sibi contradiceret ipsi. Iam enim capite sexto testatus erat nos mortuos peccato, uiuere autem deo. Item ueterem hoiem crucifixum, ut destruatur corpus peccati, & liberatos à peccato seruos factos iustitiæ. Capite quoq; septimo, quod Bucerus allegat, iam dixerat: Itaque fratres mortificati estis legi per corpus Christi. quibus uerbis si componas quod Bucerus suo sensu allegat, habitat in me peccatum. Et, uideo legem in membris meis captiuantem me in legẽ peccati, efficies contradictiones. Siquidem contradictio est, nos liberatos & non liberatos. Ab eodem uero peccato mortuos & non mortuos secundum idem habere peccatum, & idem simul non habere. Necesse est igitur fateri Apostolo peccatum aliter accipi quando dicit liberatos, aliter quando obnoxios facit. Sumus enim à uero illo peccato redempti, abluti & liberati precioso sanguine CHRISTI: à malo autem naturalis inclinationis quod residuum manet, nec uere est peccatum, nisi quod ita appellatur, propter affinitatem & commertiũ quod cum uero illo habet, non sumus ex omĩ parte liberati, sed relictum est nobis in exercitium, ut aduersus ipsum militemus. Non nobis authoribus tam uarie accipitur apud Paulum peccatum. Ipse Augustinus de nuptijs & concupiscentia ad Valerium libro primo, capite xxiij. hoc ipsum diligenter annotauit, tractans enim illud, Non ergo regnet peccatum, &c. dicit concupiscentiam uocari peccatum, quia peccato facta est: cum iam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut uocatur lingua loquutio quam facit lingua, & manus uocatur scriptura quam facit manus, itemque sic uocatur peccatum, quia peccatum si uincit facit, sicut uocatur frigus pigrum,

Peccatum in Apostolo uarie accipitur

non

non quod à pigris fiat,sed quod pigros faciat.Ita ille, libro iam dicto,ubi & alia multa in eandem sententiam habet, iisdem prope uerbis ad Bonifacium comitem,negat concupiscentiam in renatis esse peccatum, sic tamen dicit uocari, non utique quia peccatum est,sed quia peccato facta est, sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quod manus iam fecerit.

Satis iam demonstratum puto, tam scripturarum collatione quã expositione sanctorum patrum, Apostolum uerbis illis,non imponere regeneratis in Christo, pretiosoq; sanguine eius in baptismo purgatis,uerum aliquod peccatum, quod baptismus non abstulerit, atque adeo Apostolum Buceranæ impietati nihil conferre. Sed ille nobis interim sanctos patres,Ambrosium, Hilarium & Augustinũ opponit,qui Apostolum explicent secundum suam sententiam. Impostores nihil nisi mentiuntur. Verba iam recitauimus Augustini, quibus prima statim fronte Bucerus mendacij cõuincitur:negat eñ Apostolum peccati nomine eo in loco significare peccatum uerũ. Hylarius locum illum nusquam gentium(si tamen totus extet Hilarius)tractat.Fatetur quidem,nos omnes in originali peccato nasci, sed negat remanere in baptizatis nisi corruptionem & impuritatem naturæ.Libro nono de Trinitate nomine peccati in Apostolo intelligit corpus humanum,quod certe nemo dixerit esse peccatũ. Ambrosius in Commentarijs super epist.ad Rom.dicit Apostolum sub sua persona generalem hic agere causam,atq; adeo non de seipso loqui,aut de regeneratis,qñ dicit: Concupiscentiam nesciebam ,&c. sed de secularibus hominibus,hoc est,infidelibus. Nos autẽ de regeneratis hic cõtendimus. Nomen quoq; pctm̃ diuerso modo idẽ doctor accipit in Apostolo: Nunc pro diabolo,ut hic:iam nõ ego operor illud,sed quod habitat in me peccatum: Nunc pro corruptione, quam ex pctõ caro nostra accepit. Quoniam ,inquit, primi hominis corpus,corruptum est per pctm̃,ut possit dissolui. ipsa peccati corruptio per conditionem offensiõis manet in corpore, robur tenens diuinæ sententiæ datę in Adam,quod est signum legis diaboli,cuius instinctu peccauit Adam. Per id ergo quod facti causa manet,inhabitare dicitur peccatum in carne,&c. Plerũq; uero pro actuali cõsensu

Hylarius.

Ambrosius.

uoluntatis nostræ accipit, ut quando mens uicta succumbit desiderijs. At istud non est originale. Omnia igitur Ambrosij pro Ecclesiastica doctrina faciunt, tantum abest, ut statuat in Paulo (quod uult Bucerus) concupiscentiam originalem in renatis esse uere peccatum. Quin magis adfirmat nobis eam innoxiam esse & gloriosæ uictoriæ præbere materiam. Ita enim ait, In corpore est, & quomodo liberatus est de corpore, nisi quia liberatus est à cunctis malis? Remissio enim peccatorum cuncta tollit peccata, liberatus ergo de corpore mortis, gratia dei per CHRISTVM, mente seruio legi dei, carne autem legi peccati, id est, diaboli, qui per subiectam sibi carnem, suggestiones malas ingerit animæ. Iam enim liber animus spiritu sancto adiuuante, malas suggestiones potest spernere, reddita est enim illi authoritas, qua audeat resistere inimico. Qui enim iã non est obnoxius (attende uerba Lector) minime poterit in uicijs indagari. Caro autem quia iudicium non habet, neq; capax est discernendi, (est enim bruta natura) non potest inimico aditum claudere ne ueniens introeat, atq; animo suadeat contraria, ac per hoc carne (ait) seruit legi peccati. Nec obesse iam homini, quia carni inest peccatum, si modo repugnet ille, memor auxilij dei, sed & coronandus est, qui peccati manentis (intellige diaboli) præmit consilia. Hæc inter alia Ambrosius in Epistolam ad Rom. quæ cum legit Bucerus, non potuit ignorare, & tamen nõ ueretur (tanta est peruicatia) q̃d sit ex diametro cõtrarium, S. patri affingere plebiq; simplici sub eius nomine sua dogmata ꝓpinare. Quid boni de hominibus istis quæso te Lector sperandum? quibus perinde est, in quemcunque protrudantur homines errorem, modo ipsi uideantur triumphare suamq; obtinuisse sententiam. Hæc ad authoritates ex Paulo citatas.

Iam rationes quibus idem persuadere conatur fumi sunt, quibus ueritatis lucem obtenebrat, quos leui flabello, adiuuante nos dei gratia, unde est omnis ueritas, discutiemus. Primum igitur ratiocinanti, Lector suspenso interim ad finem usq; iudicio tuo, ausculta.

Buceri rationes.

Quomodo (inquit) *non sit iniquitas & peccatum, quod in nobis reluctatur legi dei.* (loquitur aũt de reliquijs post baptismũ in regeneratis ꝑmanentibus) *quod cõcupiscit aduersus*

spiritum

ſpiritum? uerbum dei contemnit, deum creatorem ſuum neq; agnoſcit uere, neq; amat? quã miſeriam omnes ſancti in ſeipſis experiuntur & deplorant. Secundum hanc interrogationem cui putat omnes aſſenſuros, in peroratione ita concludit. *Hoc eſt, inquit, ut cernis Chriſtiane lector, quod dominus ipſe ſuo uerbo de reliquijs peccati, poſt baptiſmum teſtatur, quod apoſtoli & omnes ſancti patres faſſi ſunt & docuerunt, quod inſuper omnes ueri Chriſtiani in ſeipſis experiuntur & conqueruntur. Nimirum quod iaceant adhuc in graui ignorantia & contemptu dei, unde deo in uerbo ſuo tam promiſſionis quàm fidei, non integre credunt, ac propterea non ſemper ex corde & fiducialiter inuocant, nec ex toto corde timent & amant. Sunt difficiles & tardi ad obedientiam dei, proni uero & expediti ad id quod caro aduerſus deum concupierit. Quapropter ueram contritionem & pœnitudinem habent totius ueteris hominis, Crucifigunt & exuunt eum, deſiderant autem & reſuſcitant in ſe ac ſemper induunt nouum hominem, imo dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicuti hortatur Apoſtolus, facere.* Hęc Bucerus, ſed germanicę.

Homines uani, ſenſu & mente corrupti, uolentes eſſe legis doctores, nõ intelligunt (ut Apoſtoli uerbis utar) neq; quę loquuntur, neq; de quibus affirmãt, aut certe data opera, res alioqui per ſe claras offuſis tenebris confundunt, obſcurant, intricant, quo lectorẽ pplexũ iam factum pertrahãt quo uelint. Quippe quia inuolutæ ppoſitiones ſint aptæ ad inferendum quidlibet, ita hoc loco res diuerſorum generũ, & nimiũ diſſimiles, Bucer aceruat, miſcet poſteriora prioribus,

Ortodoxorũ reſponſio.

Bucerus quare inuolute loquatur.

accessoria congenitis hæreditarijs & orginalibus, uoluntaria ineuitabilibus, actualia nostra ijs quæ ipsi non egimus, fructibus radices: quędam etiam ambigua & eiusmodi, ut in hoc sensu recipiantur, in illo refutentur, absq; distinctione certa proponit, ut nisi exercitatus sit lector, & iudicio peracuto, non facile deprehendat eius fraudes. Simplex uulgus talibus persuasum temere pręiudicat, statimq; conclamat uictoriam: prudētis uero lectoris est, partes singulas religiose expendere, nec ante iudicare, q̃ sint ad ueritatis normam perpensæ. agitur enim hic non de re quapiam leuicula, sed de principio, aut desperationis aut salutis, bonæ uel malę operationis.

Nos igitur telam hanc in sua fila patiemur, ita demum apparebit, quàm fallax sit ista futura. Rogat *quomodo non sit iniquitas & peccatum, quod in nobis repugnat legi dei, concupiscit aduersus spiritum, uerbum dei contemnit.* &c. Huic interrogationi, quis non statim assentiatur, nondum fraudibus in ea latentibus deprehēsis? At uide quomodo captet iudicia & consensum eorum, qui technas eius non animaduertunt, plurima hic ac multum dissimillima, enumerat: præponit autem ea de quibus lector poterat dubitare, festinatoq; cursu pergit ad illa, de quibus nulla est dubitatio quin sint peccata, ut ijs occupet lectoris animum & sententiam. Et quidem priora illa sensu quodam sunt originalia, posteriora nullo. Ab originalibus incipit, ut putetur de solis originalibus loqui, & definit in actualia uoluntatis nostrę, quæ uere & proprie sunt peccata, quo non nisi peccata credatur enumerasse. Carnem repugnare legi mentis, & concupiscere aduersus spiritum est originale, sed quatenus originale, non est in baptizatis peccatum. At contemnere deum, nō integre credere &c. alterius sunt generis, actualia & uera peccata. Agnoscis lector sophisticen?

Fallacia Buceri.

Respondemus ergo nūc ad singulas partes. Quærit q̃modo nō sit iniquitas & peccatum, quod in nobis reluctatur legi dei, quod cō cupiscit aduersus spiritum? Dicam. Si sit luctamen & concupiscentia solius carnis, absq; consensu uoluntatis, nullum esse peccatum, cum iam baptismus abstulerit quicquid peccati inerat. Breuem istam so-

Responsio ad 1.

lutionem

lutionem iugulent si possunt hæretici.

Ego uero te autem uicissim rogo Bucer, ubi nam legeris concupiscentiam in renatis repugnare legi dei? Nō ignoramus Apostolum dicere, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. at ubi scriptum est repugnantem legi dei? Siccine uobis licet scripturas cum placitis uestris cōfundere? Alia certe est lex mentis meæ, alia lex dei. Lex mentis suæ est unicuiq; congenita. Lex dei scripturis constat, aut traditionibus, aut reuelationibus diuinis, Lex mentis est unicuiq; singularis: Lex dei est omnibus cōmunis: Legem mentis habebant etiam Ethnici, Idololatræ, & Philosophi, habent hodie & Turcę, non aūt legem quam appellamus dei. Discimus hoc ex Apostolo ad Romanos ij. Cum gentes, inquit, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Lex membrorum repugnat legi mentis meæ, quando uires inferiores non parent superioribus, id est, dictamini rationis meę. At repugnare legi dei, est mandata dei transgredi. Reluctatur igitur concupiscentia carnis legi mentis & cōcupiscit aduersus spiritum, in infidelibus quidem cum peccato, in regeneratis autem absq; peccato, perinde ac si esuriat aut sitiat quisquam, nec magis peccat quàm ouis aut bos cōcupiscentia graminis alieni: Quinetiam subministrat militi Christiano uictoriæ materiam, nisi accedat consensus uoluntatis, tum enim in aliam speciem mutatur, & fit concupiscentia uoluntatis quæ erat carnis, fit actualis quæ erat originalis, repugnans nunc legi mentis, nunc legi dei, plerumq; uero utrique, & legi dei & legi mentis: quantumq; habet de uoluntate, tantundem habet & peccati. Siquidem quod in decalogo pręcipitur, Nō concupisces, uoluntati dicitur, non naturæ. Quæ est uera apostolica totius Ecclesiæ Catholicæ, omniumq; patrum Orthodoxorum doctrina.

Lex dei.

Lex mentis.

Egregij doctores qd discret lex dei legi mentis humane nesciunt.

Iam ad reliquas partes quæ sequuntur procedamus. *Et quomodo, inquit, non sit iniquitas ac peccatum, quod deum ipsum & uerbum eius* (utrunq; enim ad alteram rationem habet, tametsi locis diuersis) *contemnit?* Recte, Siquidem nemo nisi plane atheos

non conceſſerit, dei ac uerbi eius contemptum eſſe grauiſſimum peccatum. At quorſum iſta quæſtio? quorſum nobis contemptum dei & contemptum uerbi dei in enumeratione reliquiarum peccati originalis commemorat? quo nunc ſe proripit iſte? Num argumenti de quo diſceptatur oblitus eſt? Probare debuerat carnis concupiſcentiam ſeu reliquias peccati originalis, poſt baptiſmũ eſſe peccata. At forte ſperat ſtupidis & incautis nobis pro caſeo obtrudere lapidẽ, noſq; deſipere adeo, ut ſtatim quicquid obtulerit inperſpectum deuoremus. Hinc adeo contemptum dei numerat inter reliquias illas. Quis ſic unquã delirauit? Concupiſcentia iſta remanens contemnit (inquit) deum & uerbum dei. Eadem opera poterat ad ſimilia procedere & dicere, Contemnit iuſiurandum, diſſoluit uota, ſpernit leges bonas, ſtupris dat operam, adulteratur, inuadit aliena, furatur, ſacrilegijs incumbit, ſtudet mendacijs & impoſturis, facit deniq; quicquid flagitiorum audet peſſimorum quorumq; inſana libido. Ex q̃ tandem Euangelio conſtituetis flagitia iſta eſſe omnibus nobis hæreditaria? Sunt autem omnibus hæreditaria, ſi ſunt originalia. Si uero non ſunt iſta originalia, quomodo contemptus dei? quomodo cõtemptus uerbi eius, erit nobis originalis? Vna eſt omnium ratio, cũ ſint malæ uoluntatis actualia crimina.

Plus æquo grauant Bucerani peccatum originale.

Parricidale eſt dogma ueſtrum, auctioribus ueſtris criminibus onerare primum noſtrũ parentem Adam, huic, non nobiſipſis inſcribere prauæ uoluntatis noſtræ crimina, nequitias quas libido excogitauit, tam longe in ſtirpem à ſe proijcere, quicquid undecunq; iniectum, defert auctus fluuius contra curſum retro ad paruos fontes impellere, accuſare carnis infirmitatẽ, ubi peſſima ẽ uoluntas. Siccine dignus tibi uidet Adã Bucere, quẽ tuis quoq; degraues criminibus? Nõ ego dicis operor illud, ſed quod habitat in me pc̃m. Non enim ꝙ uolo bonũ hoc ago. Enimuero nõ aliud ſonãt dogmata ueſtra, & tam abſurda inde palã conſequũtur. In malam crucẽ pſeudoeuãgelici, qui ſic abutimini ſcripturis ſacris. Nos uero pernegamus hęc originalia, aut hæreditaria eſſe cuiq̃ mortalium, ſed actualia dicimus: nõ omniũ, ſed paucorum, eorundemq; flagicioſorũ hominum, qui ad eiuſmodi ſcelera propria ſua libidine feruntur. Si poſſunt probent hęretici diuerſũ. Nos ſiquidẽ Eccleſię & ſanctoꝝ patrũ ſententiã aſſe-

rimus,isti nouicia sua commenta fucis qbusdam obtecta,pro euangelica ac catholica doctrina nobis uenditant.

Pertrahit ad eandẽ causam ignorantiã dei,qũo nõ sit pc̃m rogat, qd creatorẽ suũ neq; agnoscit uere,neq; amat. Auscultet si nescit,dicet ei quatenus sit,& quatenus non sit peccatũ. Non enĩ significatione tam simplici ignorãtia dicitur,q̃ ille duplici interrogat animo. *Ad tertiã de ignorãtia.*

Proderit aũt hoc loco lectori ueritatis cognoscẽdę cupido,explicare qd cõmune fere ẽ omĩbus uocibus,q̃ cõpositione ppositionis,In,negatiuã significationẽ recipiũt,quales sunt,indoctus,incredulus,ignarus,impius & hĩs similes dictiões,duobus utiq; modis destruere significationẽ simplicis unde cõponuntur.aut enĩ abnegant & tollũt qc qd simplici continetur,aut idipm deprauãt & significãt corruptũ,ut sit exemplũ,indoctus. Quod uox simplex,doctus significat, indoctus,aut prorsus abnegat,aut significat corruptũ,qd tanto dicit̃ discrimine,q̃to nihil esse,aut esse prauũ. Dicit̃ ergo qspiã indoctus, negatiue,q nihil omino didicit literarũ,qũo analphabeti & Idiotæ appellant̃ indocti. Per deprauationẽ aũt,qui male institutus ẽ in literis. Hoc mõ parũ latinus,grãmaticis dicit̃ indoctus: Non quidẽ quasi nihil calleat literaꝶ,sed propterea q in solœcismos & barbarismos frequentius impingens,corrupte loquatur uel scribat. Ad eundẽ modũ utunt̃ hac uoce Dialectici, Phisici, Astronomi, aliarũq; disciplinarũ studiosi,in suæ artis quisq; professione. Ita incredulus tã de eo dicitur negatiue,q nihil plane credit,quales sunt Athæi,q̃ deprauatiue de hæretico aut iudæo: q licet nõnihil credãt,interim tamẽ quædam, q̃ credere oporteat,nõ recipiũt. Sic & ignorantiæ uocabulũ,interdum negatiue accipitur,ut dicatur ignorãs q eius de q̃ agitur nihil nouit: alias uero,cognitionẽ significat corruptã, quo modo accõmodatur ei qui opiniõe falsa errans credit se tenere quod nesciat. Prior ignorantiæ modus apud Theologos dicitur puræ negationis, alter prauæ dispositionis. Ignorantiam dei purę negationis habent,qui prorsus nesciunt deum esse aliquem: prauæ aũt dispositionis,qui falsum aliquod credunt de deo,aut qui Martem, Iouem, Mercurium uel alium quemuis opinantur esse uerum deum. *Dictiones cõpositæ cum in, duplicem habẽt significationem.* *Incredulus.* *Ignorans.*

Hac distinctione constituta fit manifestum, posteriorem appellationem, quæ est prauæ dispositionis seu affectionis, competere

tant m in eos, qui in cognitione aut confeſſione ueri dei errant, quod eſt peccare, non quidem hæreditarie aut originaliter, quum ſine omni omnino cognitione quaruncunq; rerum naſcamur in hunc orbem: ſed actualiter, per excæcatæ mentis errorem. Talis itaq; ignorantia Dei graue peccatum eſt. Verũ inde non efficitur quod erat Bucero probandum, ſcilicet reliquias peccati originalis, eſſe uere & proprie in renatis peccatum. Non eſt enim iſtud originale, uel ob id etiam, quod huiuſmodi ignorantia in Adam, primo peccati originalis authore, nunq̃ fuerit, ne poſt lapſum quidẽ: ut patet ex ijs quæ habentur Geneſ. iij. Non potuit enim in nos transfundere quod ipſe non habebat. At uero, ut ignorantia Dei, quam puræ ſeu perfectæ negationis dicimus, uideatur in primordijs natiuitatis ſingulis nobis congenita: ſiquidem intrantes in hunc mundum, nullam Dei cognitionem nobiſcum afferimus, tamen ſtultum eſt cenſere ſtatim eiuſcemodi ignorantiam eſſe peccatum originale: non enim quicquid congenitum nobis eſt, ſtatim peccatum eſt. Multis defectibus obnoxia eſt recens nati paruuli imbecillitas: non agnoſcit parentes, non ſuccurrit proximo neceſſitate laboranti, non dat eleemoſynam, non honorat magiſtratus, non agit deo gratias pro beneficio creationis, redemptionis, ſacramento baptiſmi, qualia poſſent infinita alia recitari, quæ infantili deſunt ætatulæ: at has ipſas uacantias quis ſtatim dixerit eſſe peccata? Sunt certe in adultis, in rationis uſu pollentibus, peccata non contemnenda: ſed alia eſt paruulorum, alia adultorum, lex & cõditio: alia atq; alia ab his aut illis repoſcetur ratio talentorũ.

In huiuſmodi negatiuis ſeu priuatiuis uocibus ſolet obſeruari, utrum ſubiectum de quo dicitur, ſit rei abnegatæ capax an non. Vbi expenduntur omnes eius conditiones, uires, facultas, tempus quoq; & ætas. Non enim nullius retulerit ſubiectum quale ſit, aut quibus circunſcriptum affectionibus. Si ad ſubiectum eo conſideratũ modo pertineat habere rem illam abnegatam, uicium eſt, aut peccatum ea carere. Si autem conditionibus ſubiecti cõſideratis, uel non uel nõdum exigatur ab eo res abnegata, ſine uicio & ſine peccato deeſt & abnegatur. Quis enim uicio uertat bimeſtri paruulo ſuam infantiã? quis propterea mutum appellitet? Itaq; cum dicitur, Non ſubminiſtrat pauperi eleemoſynam, iccirco eſt immitis, illiberalis, crudelis:

non adorat,non reueretur Deum,sacramenta non ueneratur, ergo est impius:non expendit uitam ad normam sacræ scripturæ,non co gitat quomodo placeat Deo,ergo est imprudens,est corde excæcato:non uere amat,ergo fugit & odit. uidendum prius de quonam subiecto hæc dicantur. Et quidem si de adultis,qui possunt & debēt hæc ipsa præstare,dicantur,statim pronunciatur quod est. Sunt immites,crudeles,impij,excæcati,&c. At si de paruulis,de impotentibus,de ijs qui rationis usum nondum assequuti sunt,dicantur, nequaquam ita. Quis enim tam uecors est & insanus, qui conuicietur paruulum crudelem,immitem,impium,imprudentem,excæcatū? Paruuli igitur & impotentes nullo uicio uacant rebus illis, nec est in eis peccatum,quod in adultis crimen est,non dare eleemosynam,non expendere uitam ad normam scripturæ. Sic beatus Augustinus libro iij.de lib.arbitrio cap.xxiij. Tunc homo incipit aut stultus esse aut sapiens ut alterum horum necessario appelletur, cum iam posset nisi negligeret habere sapientiam, ut uiciosæ stultitiæ sit uoluntas rea. Non enim quisquam ita desipit,ut stultum appellet infantem, quamuis sit absurdior si uelit appellare sapientem: ergo infans nec sapiens nec stultus dici potest, quamuis iam homo sit, & cætera. Sequitur: Vnde neq; animal irrationale stultum dicimus, quia non accepit ut sapiens esse posset &c.

Ad hunc igitur modum roganti Bucero, quomodo non sit peccatum,quod non agnoscit creatorem suum, non amat Deum, adde si libet,non adorat,non colit,mandata non seruat. quid respondebimus nisi quod iam dictum est? si de quopiam per ætatem & uires potente Deum agnoscere ac amare,quæstio est,fatebimur excæcatum, & grauiter peccare qui facere neglexerit: Si uero de impotente & non capace paruulo,dicemus hunc ipsum absq; uicio, multoq; securius absq; peccato ignorare Deum, cum nondum possit. Habes nunc responsum Bucere, ex quo uides te nondum efficere potuisse quod uolebas,manentes in baptizatis carnalis concupiscentiæ reliquias,uera esse peccata,sed nec in æternum illud efficies.

At hic uide Lector prudentum istorum imprudentiam, q̄ parū uideant oculati isti,& q̄ egregie noui isti doctores delirent. Brutam

carnis nostræ concupiscẽtiã Bucerus accusat, eius quod ignorat deũ, nec deũ amet, quasi iudicio illa feratur, & bruta quoq; pars nostra sit rationalis & intellectu prædita. Cur non & oues & boues, & animãtia reliqua, in quibus est naturæ sensus, eodem accusat modo, & pecca to originali submittit? Tandem igitur & lapides & ligna, propterea quod ignorant deum, nec amant deũ, erunt istis rea peccati originalis. Egregij nouarũ doctrinarũ artifices, nondum quid distet caro spi ritui, sensus rationi, brutũ intellectui, originale actualibus didicerũt.

Illa uero intollerabilis est blasphemia, non nisi de spiritu pessimo excogitata, qua oẽs sanctos & electos Dei, una sententia Bucer damnat. Ait enim *Sanctos oẽs miseriã istã in seipsis experiri, & ea propter frequentius cõqueri.* Quam miseriam? Quid adeo deplorant? *Quod iaceant (ait) in graui ignorãtia & contẽptu dei, unde deo in uerbo tã pmissionis suę q̃ fidei nõ integre credunt: atq; hinc nõ inuocãt eũ semp ex toto corde & fiducialiter, nec ex toto corde timent & amant. Sunt difficiles & tardi ad obedientiã dei, proni uero & expediti ad id q, caro aduersus deũ cõcupierit. Quapropter uerã cõtritionẽ & pœnitudinẽ habẽt totius ueteris hoĩs &c.*

O non ferendũ dedecus. Hactenus nõ piguit cõtra Ecclesiæ, contra Religiõis Christianæ hostes insurgere, promptus erat animus ad retegendũ fraudes, imposturas, mendacia & errores, ad perfidiã redarguendã: at hic obrigescit attonitus, dolet iniuria, dolet contumelia uniuerso Sanctorũ ordini grauiter inflicta. Exhorreo plane hæreticorum istorũ maliciã ne nescio maiorẽ an perfidiã: certe utranq; ex æquo, ut est utraq; maxima. Tam est enim insanũ q̃ maliciosum, sordibus istis contaminare animas illas in quibus Christus uere & habitat & uiuit, expuere in faciẽ Christi. Hic uide lector Christiane quod uidisse doleas, ut insultent, ut maledicant exercitui dei uiuentis, ut gy ganteũ bellũ instaurẽt: posuerũt enim in cœlũ os suũ, & lingua eorũ transiuit in terras, iniquitatẽ in excelso loquuti sunt: Dicunt Sanctos iacere in graui & ignorãtia & contẽptu Dei. & quod amplius dete-

stēris,

fteris, dicunt spiritū sanctum in scripturis illud ipsum testari. O cōtumeliam in spiritumsanctum, o blasphemiam.

At ego Bucer, sicut non dubitauerim, uos ad uerticem usq; non quidem oēs ignorātia (arbitror enī quosdam sociorū tuorum tecum non ignorare ipsum quē non agnoscitis) sed contemptu dei, quamlibet pietatē & studia uestra nobis iactetis, oppletos esse: Ita profecto ausim constāter affirmare aduersus tuum spiritum, quem tantopere uis esse sanctum, oēs quotquot sunt & fuerunt uere Christiani, ab his malis perdurante in eis, cum rationis luce, dei gratia, fuisse quàm remotissimos, nedum patres illos admirandę sanctitatis uiros, Apostolos & Martyres, uicijs istis non subiacuisse.

Nec longe petenda sunt nobis documenta quibus hocipsum efficiamus: Sicut uos uestra nobis, ita nos nostra uobis obijciemus experimenta. Si putatis ualere uestra, quur non sint nostra potiora? Nam quod uestra uestrorumq; similium experimenta tantæ rei probandæ putatis sufficere, iudicium est puersum, stolidęq; & impiæ temeritatis præsumptio: quid enī tam indignum, tam abominabile, tamque à natura alienum, quàm etiam alijs impingere scelera, quorum tua te conscientia arguat, & optimum quenq; tam prauum atq; peruersum existimare q̄ sis ipse? Nostra ueræ Christianæ professioni admodum conueniunt experimenta, respōdent institutis Christi, uerbo & promissioni dei, spiritui sancto, regēti eos quos sanctificauit. Quod si nobis nondū creditur, si perfidis fidem non facimus, ipsi loquātur quos calumniari non possunt, qui cum Christo in ęterna beatitudine iam regnāt, ipsi nobis sua manifestent experimēta, non impij & maleuoli hæretici, quibus non sunt bonorum corda explorata. De bonis & pijs erga deū affectibus, de fiducia, timore & amore dei, dent testimonium, nō scelerati & athęi illi, q nullum fecere pietatis gustum, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, cuius iam naufragium fecerunt, semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes: sed pij, religiosi & sancti illi uiri dei, qui non dubitauerunt omnia suppliciorum genera ꝓ indubitata fide sua ꝑferre potius q̄ dubitare, & ad mortē usq; constātes ꝑseuerauerunt. Ipsi nobis suos exponāt & cōfiteanť affectus q cognouerūt & senserunt in se gratiam q̄ eis data 2. *Timoth.* 3

erat,

erat, qui carnē suam crucifixerunt cum uicijs & concupiscentijs, qui experimento didicerunt in se habitare Christum. Sileant canes reuersi ad uomitum suum, conticescant & confundantur ora loquentium peruersa, qui solam iniquitatem docti sunt. Atq; inter tot gloriosos Christi martyres & confessores, prodeat multis uirtutibus illustris Cyprianus ille, ante Christi fidem idolis & uanitatibus totus deditus, is (inquā) nobis exponat quid ualeat fides Christi, quid regeneratio per lauacrum salutis efficiat, is qui sensit edicat nobis quanta sit potentia Dei in transmutandis affectibus carnalibus. En igitur in epistola ad Donatum, Accipe (inquit) quod sentitur antequam discitur. Nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur. Ego cum in tenebris atque in nocte cæca iacerem, cumque in salo iactantis seculi nutabundus ac dubius, uestigijs oberrantibus fluctuarem, uitæ meæ nescius, ueritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, ut qs renasci denuo posset, utq; in nouam uitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quin impossibilis (aiebam) tanta conuersio est, ut repente ac perniciter exuatur, quod uel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, uel usurpatum diu senio uetustatis inoleuit. Hæc egomet sæpe mecum. Nam ut ipse quam plurimis uitæ prioris horroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic uicijs adhærentibus obsecundans eram, desperatione meliorum, malis meis uelut iam proprijs ac uernaculis afflucbā. Sed postquā undæ genitalis auxilio, superioris æui labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam celitus spiritu hausto, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile uidebatur, geri posse quod impossibile putabatur. Vt esset agnoscere, terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium uixisset, DEI esse cepisse, quod iam spiritussanctus animaret. Scis ipse profecto, & mecū pariter

Epistola 2. libro secundo.

Miratur Cyprianus sui mutationem in baptismo.

pariter recognoſcis,quid detraxerit nobis, quidue contulerit mors iſta criminum,uita uirtutū. Scis ipſe nec prędico in proprias laudes. Sequitur. Cæterum, ſi tu innocētiæ, ſi iuſticiæ uiam teneas illapſa firmitate ueſtigij tui,ſi in deum uiribus totis ac toto corde ſuſpenſus,hoc ſis tantum qnod eſſe cepiſti, tantum tibi ad licentiam datur,quantum gratiæ ſpiritualis augetur.Nō enim(qui beneficiorum terreſtrium mos eſt)in capeſcendo munere cœleſti,menſura ulla uel modus eſt: profluens largiter ſpiritus, nullis finibus præmitur, nec coercentibus clauſtris,intra certa metarum ſpacia refrenatur, manat iugiter,exuberat affluenter,noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus,tantum inde gratiæ inundantis haurimus. Inde iam facultas datur caſtitate ſobria, mente integra,uirtute ſyncera,uoce pura, in medulla adoleſcentium poſſe uenenorum uirus extinguere,animorum deſipientium labes ſanitate purgare &c. & ſequitur: Quantus hic animi potentatus eſt, quanta uis eſt,non tantum eſſe ſubtractū pernicioſis contractibus mūdi, ut quis expiatus & purus nulla incurſantis inimici labe capiatur,ſed adhuc maiorem & fortiorem uiribus fieri, ut in omnem aduerſarij graſſantis exercitum,imperioſo iure dominetur &c. Audis Lector beatiſſimi Martyris experientias, in quo nec dubitatio, nec diffidentia,nec incredulitas,nec odium, aut contemptus dei, ullum habuere locum reſiduum:& non pudet dicere perditiſſimos homines,Hæc in ſe experiuntur & agnoſcunt homines pij? Ergo ne Philippus & Bucerus pij ſunt, Cyprianus uero impius?

Sed & aliorum teſtimonia audiamus. Lactantius diuinorum inſtitutionum lib.iij.quę expertus ipſe uiderit,his uerbis prodidit:Dei præcepta quantum ualeant in animis hominum,quotidiana experimenta demonſtrāt.Da mihi uirum qui ſit iracundus,maledicus, effrenatus,pauciſſimis dei uerbis tam placidum quàm ouem reddam. Da cupidum,auarum,tenacem,iam tibi eum liberalem dabo,& pecuniam ſuam proprijs manibus largientem.Da timidum doloris ac mortis,iam cruces,& ignes, & pericula, & taurum contemnet.Da libidinoſum,adulterum,ganeonem,iam ſobrium,caſtum,continentem uidebis, Da crudelem,& ſanguinis appetentem, iam in ueram *Lactantius.*

clementiam furor ille mutabitur. Da iniuſtum, inſipientem, peccatorem: continuo & æquus & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malicia omnis abolebitur. Tanta diuinæ ſapientiæ uis eſt, ut in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtulticiam, uno ſimul impetu expellat. Ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus eſt opus. Gratis iſta fiunt, facile, cito, modo pateant aures, & pectus ſapientiam ſitiat. Nemo uereatur, nos aquam non uendimus, nec ſolem mercede præſtamus. Dei fons uberrimus atq; pleniſſimus patet cunctis, & hoc cœleſte lumen, uniuerſis oritur, quicunque oculos habent. Num quis hæc Philoſophorum, aut unquàm præſtitit, aut præſtare, ſi uelit, poteſt? Qui cum ætates ſuas in ſtudio Philoſophiæ conterant, neque alium quenquam, neque ſeipſos poſſunt facere meliores. Itaque ſapientia eorum (ut plurimum efficiat) non excidit uicia, ſed abſcondit. Pauca uero dei præcepta ſic totum hominem immutant, & expoſito uetere nouum reddũt, ut non cognoſcas eundem eſſe. Ita Lactantius ad Conſtantinum magnum, tanta confidentia, ut quod dicebat, reipſa ac quotidianis fidelium experimentis ſe Imperatori comprobare poſſe non dubitaret. Atque hinc adeo perſuade tibi Lector, non leue momentum habere hæc, de quibus apud ſummum orbis monarcham ille omnium Chriſtianorum nomine tantopere gloriatur.

Auguſtinus. Beatus Auguſtinus libro confeſſionum iiij. cap. iiij. ſcribit quendam grauiſſimis febribus laborantem, cum pene animam efflaret, & quid circa ſe gereretur, omnino neſciret, baptizatum, ac ſubito ſic omnibus affectibus mutatum, ut cum Auguſtinus infidelis adhuc, expectaret ab eo baptiſmatis quem ſenſu abſente acceperat irriſionem, ille præter expectationem Auguſtinum quaſi inimicum exhorreret, ac mirabili fiducia libertateq; ſtupefactum cum admoneret, ut ſi amicus eſſe uellet, talia ſibi dicere deſineret: tam potenter tamque ſubito rapit gratia dei hominem in contrarios affectus, tam efficaciter ueteris hominis & peccata detergit & uicia expungit. Iam & de ſeipſo loquentem Auguſtinum

audiamus

audiamus: Cum factus esset catechumenus, & uoto tantum baptisma concepisset, cepit statim affectuum mutationem persentiscere: qua de re libro Confessionum ix. ita deum mirabundus affatur: Quam suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarũ, & quas amittere metus fuerat iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, uera tu & summa suauitas, ejiciebas, & intrabas pro eis, omni uoluptate dulcior: sed non carni & sanguini, omni luce clarior: sed homini secreto interiori, omni honore sublimior: sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus a curis mordacibus, ambiendi & acquirendi, & uolutandi atque scalpendi scabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis & saluti meæ, domino deo meo &c. Longa enim oratione prosequitur hos affectus. Antea deditus fuerat sectæ Manichæorũ, sed mutationem nunc audi ad deum animi conuersi.

Quàm uehementi (inquit) & acri dolore indignabar Manichęis, & miserabar eos rursus, quod illa sacramenta, illa medicamenta nescirent, & insani essent, aduersus antidotum, quo sani esse potuissent. Vellem ut alicubi iuxta essent ignorante me, intuerenturque faciem meam, & audirent uoces meas, quando legi quartum Psalmũ, in illo tunc ocio, quid de me fecerit ille Psalmus. Et post pauca: O si uiderent internum lumen æternum, quod ego quia gustaueram frendebam, quoniam non eis poteram ostendere: ibi enim ubi mihi iratus eram intus in cubili, ubi compunctus eram, ubi sacrificaueram mactans uetustatem meam, nec uolebam multiplicari terrenis bonis, deuorans tempora, & deuoratus temporalibus, cum haberem in æterna simplicitate aliud frumentum, & uinum & oleum. Et clamabam in consequenti uersu clamore alto cordis mei, o in pace, o in idipsum, o quid dixit? obdormiam & somnum capiam &c.

Quid autẽ iam baptizato acciderit, & quantum mutatus ab illo priore sit Augustino, si qs uolet cognoscere, legat libros Confessionũ ipsius, e quibus pauca tantum uerba, quæ libro ix. dicũtur hoc

timui,& à uerbis tuis formidauit cor meum. Cuiusmodi sunt in sacris innumerabiles sanctorum uoces, & his omnibus reclamantibus contendent hæretici, ipsos iacere in graui contẽptu dei? Dicit uirgo mater domini nostri Iesu, Magnificat anima mea dominum. Bucerus uero quid? Iaces, inquiet, in contemptu Dei, uilificat anima tua dominum. Raptus in admirationem Dei proclamat Apostolus, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia, &c. Huic nimirum dicet Bucerus, Quid ita exclamas? Cũ iaceas adhuc in graui contemptu Dei. Omnes quotquot sumus catholici, eadẽ tenemur cum Apostolo admiratione: cum Dauide uero canimus, & ex animo dicimus, Magnus dominus & laudabilis nimis, magna uirtus eius, & sapientiæ eius non est numerus, quam admirabile est nomen eius in uniuersa terra. Item, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum, omnia ossa mea dicent, Domine quis similis est tui? Interim dicet Bucerus, Cor nostrum, carnem nostram, ossa nostra iacere in graui contemptu Dei.

Age Bucer, q tanta fiducia audes isthuc omnibus occinere: profer uel unum è tam innumerabili sanctorum exercitu, qui (non dico) contempserit, sed qui toto corde, tota animi sententia, totisque uiribus, Deum non maximi fecerit. Multi fuerunt aliquando peccatores, uerum sunt conuersi: tu de sanctis loqueris, uolo tempus numeres conuersionis. Quod nouissimum, quod supremum est desperantium hominum (Impij enim non statim, sed cum ad summum peruenerint peccatorum Deũ contemnunt) conuerso ordine facis omnibus & bonis & malis esse originale & hæreditarium, adeoq; caput & initium succedentium peccatorum, inde uis tanquam ab originali morbo nos uitam reliquam omnes auspicari: sed gratia Deo, quod non experimur nos frequenter ex contemptu peccare, sed ex infirmitate, nec sine metu iudicij Dei. At tu contendis, contemptum etiam in sanctis hærere, qui à timore domini auspicati sunt omnem suam conuersationem, dicente scriptura: Initium sapiẽtiæ timor domini. quod non gratis toties in sacris repetitur, & nescio an sit quicquam in sacris frequentius, tantum abest, ut timorem domini præ-

Soli impij cõtemnunt deũ non sancti.

cesserit uel originalis contemptus, uel ei successerit aliquando, qua tu lege præscribis.

Quæso autem te, an putas ullos uspiam gentium homines, aut sanctos saltem ad Deum pertinere, qui contendis adeo iacere omnes in graui contemptu uerbi Dei? Quod si est, certe ad ipsum iam nulli pertinebunt, dicente Moyse Numeri decimoquinto: Anima quæ uerbum domini contempserit, peribit de populo suo. Item, Quicunque honorificauerit me glorificabo eum. Qui autem contempserint me, erunt ignobiles, pri. Regum ij. Rursus autem, si omnes contemnunt, erunt omnes mancipia diaboli. Dominus enim in euangelio cum dixisset, Nemo potest duobus dominis seruire: duos dominos docuit esse, Deum & Plutonē gentilum, aut si mauis Mammonam, quem pro domino suo habet quisquis ei addictus est. Dominis istis contrarijs, contrarijs seruitur affectibus. Is cui seruitur, diligitur & sustinetur. Cui non seruitur, odio habetur & contemnitur. Ita Christus prodidit. Quid hic dices Bucer? Deus ut tu uis contemnitur à sanctis, ergo ei non seruitur, ergo non sustinetur à sanctis, ergo & odio habetur. Hanc consequentiam absque ullis fucis infallibili uerbo Christi statuimus. Si autem à sanctis non diligitur, si odio habetur: iam sancti non sunt sancti, sed inimici, quos ille amicos appellat. Tales parit euangelium tuum cū euangelio Christi contradictiones.

Sed quid moror in insectatione istorum, quorum præstiterit uesaniam execrari potius, quam longius prosequi ratione. Tam prodigiosum atque indignum hoc est, quod affingunt sanctis ignorantiā Dei. *Experiuntur*, inquit, *se iacere in graui ignorantia dei.* Non arbitror tamen hoc de ullo sanctorum post uocationem & illuminationem in fide Iesu Christi domini nostri, qui cognitione diuinitatis suæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, aliquando lectum uel auditum: Quin potius ubique fere contrarium eius experimur. Caligauerat quidem totus orbis, ante Christi aduentum, pars maior credebat idola uana, ueros esse deos, ut hinc hortetur fideles CHRISTI Apostolus, ne ambulent sicut gentes, quæ ignorant Deum. Quæ est autem ista adhortatio, si &

Sancti a Deo illuminātur.

ipsimet

ipſimet Deum ignorabant cum gentibus? Ergo Chriſtus electos ſuos, quos uocauit, diſpulſo gentili errore per fidem illuminauit, & ad agnitionem ueri Dei adduxit. Prædixerat hoc ipſum Eſaias per CHRISTVM futurum. Populus, inquit, gentium qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis, &cæt. Item capite undecimo, ubi proprie de aduentu & tempore Meſſiæ uaticinatur, ſic ait: Repleta eſt terra ſcientia domini, ſicut aqua maris operientis. In illa die radix Ieſſe qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes depræcabuntur. Et Apoſtolus, cum ad Romanos decimoquinto, locum illum Eſaiæ citaſſet, uaticinium eius per CHRISTVM indicans impletum, ſubiungit: Certus ſum fratres de uobis, quoniam pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, &cæt. Quid uero ab hæreticis Semi Iudæis iſtis, qui nondum in ſe experiuntur hæc impleta expectabimus, niſi ut negent tandem CHRISTVM ueniſſe in terras? Enimuero nondum uenit, ſi adhuc ignorantiæ Dei tenebris iacemus oppreſſi. Et Chriſtianiſmum nobis eripient, qui perſuaſerint, nos ignorare Deum. De paucis quibuſdam infirmis & rudibus, uix dum initiatis, modeſte Apoſtolus ac condolens ait, Ignorantiam dei *Pſalm.* 118. quidam habent, quod ad uerecundiam ueſtram dico. An hinc efficiet Bucerus etiam firmos, ſanos & illuminatos eidem ſubiacere uicio. Paucos quoſdam corripit Apoſtolus: quos non corriperet, niſi uellet ignorantiam hanc ablatam. & Bucer Apoſtolo ſcilicet ueracior, ſeuerior, animoſior, libera & exporrecta fronte dicet, quod non erat auſus Apoſtolus? Ignorantiam Dei omnes habetis hæreditaria propagatione congenitam, atque etiam in ſanctis ipſis ſemper permanentē. Et quid ſi ne gentilibus quidem om̄ibus, Apoſtolus ignorantiam Dei adſcribat? cum fateatur ad Romanos primo, Philoſophos & Ethnicos quoſdam prudentiores, cognitionem eius habuiſſe. Generale eſt donum iſtud, quod ut fidem & cultum DEI aliquatenus præcedat, neceſſum eſt, ſicut Apoſtolus innuit ad Hebræos undecimo, Accedentem oportet credere, quia eſt Deus, & inquirentibus ſe remunerator ſit.

Ab hac tam excellenter hæretica doctrina deriuat Bucerus consequenter in sanctos criminum & uitiorum integros fluuios. *Hinc*, ait, *Deo tam in uerbis promissionis quam fidei non integre credunt, non inuocant ex animi sententia ac fiduacialiter, nec timent ex toto corde, nec amant. Sunt difficiles & tardi ad obediẽtiam dei, proni autem & expediti, ad perficiẽdum ea quæ caro aduersus Deum concupierit.* O contumelias, o ora, saxis non uerbis retundenda. Vsquequo Deus improperabit inimicus? Irritat aduersarius nomen tuum, & dexteram saluationis tuæ. Ne obliuiscaris uoces inimicorum tuorum, superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Succine permittunt sibi pseudoChristiani, & uerbi Dei illusores perditissimi, de sua perfidia metiri etiam fidem sanctorum, ad prophanam suam impietatem æstimare illorum inuocationem, ardentem charitatem sanctorum æquare suis frigoribus, de sua rebellione taxare illorum promptissimam obedientiam. *In uerbo*, inquit, *promissionis & fidei non integre credunt*. sed ubique reclamat Apostolus, Sancti per fidẽ, inquit, uicerunt regna, operati sunt iusticiam, adepti sunt repromissiones: per ludibria, per uerbera, per uincula, per carceres, per lapides, p gladios, angustiati, afflicti, tentati, occisi, ut dignus nõ esset eis mundus, om̃es testimonio fidei probati sunt. Sic de seipso ij. Timot. pri. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare usque in illum diem Et quarto capite, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c. Et de Abraham Roma. iiij. Abraham non est infirmatus fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam centum esset annorum, & emortuam uuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcũq; promisit Deus, potest est & facere, ideo & reputatum est illi ad iusticiam. Ne putaretur autem fides illa non esse imitabilis, subdidit: Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iusticiam, sed & propter nos, quibus credentibus in eum reputabi-

Impij hæretici quales ipsi sunt, tales putãt esse & sanctos.

Perfecta sanctorũ fides. Hebræ. 11.

tabitur,&c.Ergo secundum Apostolum & nobis non est impossibi le credere ad Abrahæ exemplũ,sed frequens,si frequentes sunt iusti.

Consequenter(ait Bucerus) *Non inuocant feruenter & fi ducialiter*. Sed cõtra dicit illi Psalmographus, & quotquot illi con tinunt,dicentes: In toto corde meo exquisiui te. Item,Clamaui in to to corde meo, exaudi me domine,deprecatus sum faciem tuam in to to corde meo. Quibus calumnijs nondum exatiatus, *Non uere amant Deum,dicit*.Cum tamen charitas Dei diffusa sit in cor da eorum per spiritum sanctum,qui datus est ipsis,in quo & clamãt, Abba pater: & omnia etiam quæ uidentur lucra esse, arbitrantur ut stercora,ut Christum cum Apostolo lucrifaciant. Quarum rerũ ple næ sunt utriusq; testamenti paginæ. Tandem autem euangelij uanis sime iactator, cum tanta dixeris contumeliosa de tuo, ex euangelio nobis quid affers,quod cum doctrina tua conueniat? Adeo sunt hæ retici temerarij,adeo putant sibi quidlibet sine testibus ut ausint, li cere. Nos uero arbitramur hic nihil excidisse nobis,q̃d non ubique sacra scriptura spiret: protulimus autem pauca de multis testimo nia,ne plus nimio lectorem onerare mus,contenti opera nõ magna, ostendisse tantum,quod non conueniat hæreticorum dogmati cum sacris scripturis.Curioso(qui fortasse plura desiderabit)liberum erit nouum cum ueteri testamento percurrere,mille locis,& nusquam fe re non inueniet, quod opponat aduersarijs. Est enim tota ubiq; sui similis scriptura sacra,ut non metuam,ne quid occurrat legenti,à no stris, hoc est,catholicis diuersim.

Sctõrum inuocatio fer uida.

Psalm. 118.

Roman. 5.

Roman. 8.

Philip. 3.

Sanctorum amor in deũ.

Adhuc memoria retineo, q̃ nuper clarissimus, idẽq; longe do ctissimus uir Gerhardus à Veltuuick,Cæsareæ Maie. à secretis,me ad monuit aliq̃n.Hic curis aulicis aliquantisper sepositis ad nos secesse rat,quo sacratissimos passionis & resurrectionis dñi nostri Iesu Chri sti dies(q̃ est eius pro more priscæ & synceræ religiõis in deũ pietas) una nobiscũ celebraret. Simul nobiscum nocturnas,simul diuturnas p̃ces & laudes,p totos illos dies modulabatur. Recitantibus autẽ no bis q̃tidie(sicut moris est)octonarios illos psalmi cxviij. ad p̃ces pri mas,tertias, sextas & nonas suo ordine,suspirabat frequẽtius(quippe

Gerhardus à Veltuuick Se cretarius Cæ sariæ Maiest.

qui uersus illos tacitus secum uersaret, cōferretq; cum dogmate (uti postea apparuit) aduersariorum) atq; adeo uicem doleret eorum, q̄s tam prauis & horrificis opinionibus, sectæ authores dementarent, spoliarentque fructu suauitatis illius, quæ est bonorum in spiritusancto. Hinc semel in die sacratissimo Paschæ, inter confabulandum (ut fit) à prādio, sciscitanti mihi tantorum suspiriorū causam, respondit in hanc fere sententiam: Non te latet mi Prouincialis, quid doceant Neochristiani isti, pseudeuāgelici, de ingenio & natura hominis, quàm nihil boni ei permittant, licet ad deum iam conuerso. Hactenus enim permittūt nobis fieri Christianos, ut nihilominus interim maneat nobis Deus suspectus & formidolosus. Aiūt nos uacare metu, fiducia, & amore Dei, desperare gratiam, irasci Deo, odisse legē, præcepta & iudicia Dei, deniq; & Deum ipsum, & has tales affectiones per om̄em uitam in omnibus durare, hæc esse uere grauia peccata, & manere in nobis semper deploranda. Atqui cum nihil minus pij & boni homines, quàm eiusmodi motus in se experiantur, nisi forte surrepticia dæmonum tentatione, persuadent tamen infelicibus & uanis hominibus, ut credant se tantis criminibus supreme affectos. Incutiunt terrores, horrores, iras, formidines, desperationem, eaq; omnia quæ à spiritu illo paracleto, suaui, benigno, & miti, qui datus est nobis, sunt alienissima. At nihil tale sonabāt psalmi illi, quos certum est, à spiritu ueritatis dictatos. Proinde mirabar hominum istorum spiritum, quem in animas imprudentium transfundunt: hæc erat suspiriorum de quibus rogas causa. Dolebam quoque supinitatem nostrorum, qui hæc quotidie legerent, nec tamen obseruarent omnia aduersarijs compugnare. Quod Dauid dicit, Legem pone mihi domine. si Melanthoni credimus, nemo erit qui poscat sibi legem à domino præscribi, quin auersetur protinus omnem legem Dei. Sic quod idem ille Psalmographus ait: Iniquitatem odio habui & abominatus sum num putas & Melanthonem dicturum? qui adeo contendit, nihil tam consentaneum esse naturæ & ingenio nostro etiam post baptismum, q̄ uicia & iniquitatem amare atq; complecti. Item quod dicit, Q̄uo dilexi legem tuam dn̄e, tota die meditatio mea est. Et iterū, Quā dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo

Hæretici adducūt hoies in desperationem.

Vt cōueniat aduersarijs cū psalmis.

Psalm. 118.

Ibidem.

ori meo, qa exultatio cordis mei sunt. Hæc & ijs similia, num putas & Lutheranos dicturos? Nihil minus, cum nihil sonent Luther, Bucer, Melanthon, Coruinus, Sneppius, & id genus mali ominis harpyiæ aliud q̃ odium, contẽptum, & displicentiam legis diuinæ, perinde ac si mens & uolũtas hois bona, tam sit corrupta q̃ caro uiciatat quanq̃ confabulatio nostra erat potissimũ de Apologia Melanthonis, in qua sunt sententiæ istæ frequentes, nondũ enim scriptũ istud Buceri uideramus. Atq; inter hæc nõ præterijt uir ille acutissimus, hoc quod Dauidem nõ fugerit, concupiscentiã illam originalẽ pronam esse ab adolescentia in malum. Quippe qui iam eius periculum aliqñ fuerat in seipso expertus. Sed hominem, inquit, censuit Dauid æstimandum, non de parte sua bruta, nisi hæc eadem in hoĩe dominaretur, sed de rationabili parte, quam sanat gratia, inhabitat spiritus sanctus, toti imperans homini: Contra uero isti totum hominem brutum faciunt, uires eius superiores confundunt cum inferioribus, quod harum est, illis, quod illarum, istis non infrequenter tribuunt. Cum plurima in hanc sententiã præclare dixisset (tam enim & docte disseruit, & pie de eiuscemodi rebus ut omnia eius dicta assequi non possim) tandem ait sibi uideri psalmum illum proprie horrificis istis & nequam hæresibus, spiritusancto dictante oppositum, mo nuitq; tantum idem ut & ipse obseruarem, se nihil addubitare, quin facile dijudicaturus essem eum nulla falsa opinione hac in re errare. Postero uero die cum à latere mihi proxime in orchestris chori adstaret, sic ut cubitu suo meum attingeret, iterumq; psalmi illi recitarentur, quoties concineretur aliquid, quod affectum nostrum bonum erga Deum exprimeret, cubitum suum lateri meo, quo faceret attẽtum, adprimebat, ac repetens quod erat lectum, clam in aures denuo insusurrabat, Quia ipsam uolui, uolui. Iudicia tua iucũda, iucunda. Ecce concupiui mandata tua, Ecce concupiui. Hæc me consolata, consolata. Omnia hæc, ne quid non animaduersum præterlaberetur, tam uehementer uiro illi doctissimo improbabatur pseudeuangelicorum istorum dogma: quod tibi quoq; lector Christiane usu uenturum non dubitauero, tantum si studio (quo uir ille) uolueris hunc psalmum relegere.

Bonū dei spiritum extinguunt hæretici. Immanes sunt hæreses istorum, quibus bonus ille consolator, mitis, dulcis, suauis, tranquillus & pacificus dei spiritus, in nobis plane extinguitur: malus cū horrore, formidine, perpetua dubitatione & anxietate ad desperationem usque intromittitur & fouetur. Quapropter iratus haud dubium deus, tradidit eos in reprobum sensum, ut resistant ueritati, credant autem falsitati, benefactis nullum tribuant honorem, probent uero quæ non conueniunt, quæque ipsa abhorreat ac detestetur natura.

De carnis natura admodum sentiūt aduersarij cum Manichæis. Neq; uero nos adeo latent eorum refugia, tenebræ & latibula quibus solent errores suos, ne facile omnibus appareant, occulere, dicent omnia ista sedere in carne, & naturam, quatenus natura est, eiuscemodi uicia moliri. Talia deliramēta canant admiratoribus suis. Manichæorum sunt nugæ istæ, non doctrina Christianorum. Carni enim & sanguini, neq; intelligere conuenit, neq; ignorare, neq; item aut contēnere aut deligere aut dubitare, aut diffidere aut amare aut odio habere. Si quid eiusmodi subrepit, cognoscere oportet suggestiones plerumque esse diaboli, non brutæ carnis uel naturæ.

Sed forsan quod de ignorantia constituunt, reijcient in Paulum, quod dicat, uidemus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & co-
1. Cor. 13. gnitus sum. Recte Apostolus, at isti non bene, qui cognitionem imperfectam uolunt esse peccatum: quod Apostolus non facit, sed comparat eam ad uisionem pfectæ & beatæ fruitionis, quam ut hic non consequimur, ita expectamus dandā olim nobis in præmium. Quanta autem unicuiq; dum peregrinamur sufficiat, nemini a deo petenti negatam Christiana est sentētia. Porro aliud est scire & nosse deum, aliud frui eius contemplatione. Non ignorant opinor, aduersarij, ut de ipsis exemplum eis proponam, Ecclesiæ Colonieñ. dignitatem & opes, quas sperāt in peculio suo aliquādo numerare: hic est eñ Christus & deus eorū, sed nondum eis fruuntur, nondū tenent numerū, pondus, figuram, numismata. Ita de deo cogitandū est, aliud ē scire
Psalm. 16. deū, aliud cōtemplari, uidere, tenere, possidere. Hic scimus deum, hic credimus. Satiabor autem canit lyra regia, cū apparuerit gloria tua.

Arbitror rationes quas Bucer contexuit, abunde satis dissolutas

factumq;

factumq; lectori perspicuum Bucerum sicut araneos subtilitate, ita & telarum fragilitate æquasse. Restat ut ad patres quos nobis opponit, respondeamus.

Cum patres fere omnes quotquot aut sacras scripturas, aut redemptionis nostræ mysteria exposuerunt, de casu primorum parẽtum, & eius per Christum restitutione diligenter scripserint, solum é tanto numero nobis opponit Augustinum: quanquam nec ipsum habeat sibi fauentem. Bene autem quod ad patres prouocat, hoc nimirum expectabamus. Patribus libenter cedimus, itidẽ faciant & ipsi qui nos eo prouocant, si ostenderimus patres pro nobis, non pro eis facere. Igitur quam uane, quanque infideliter beatum Augustinũ, præter eius mentem & sententiam alleget, aperiamus. *Responsio ad allegationes Buceri ex patribus.*

Quamuis enim B. Augustinus in tam multis suis scriptis quoties incidit baptismatis mentio, diligenter inculcet hanc esse baptismatis præcipuam uim, ut efficaciter & uere abluat, auferat, tollat, euacuet, eradicet, & penitus extirpet ipsum originale peccatũ, quatenus peccatum est, id est, præuaricationis culpam, ita ut nihil residiat amplius noxæ impuritatis, inquinamenti, culpæ aut reatus in baptizato, relicta concupiscentia quasi fomite quodam in carne, quæ non sit quidem uere & proprie peccatum, sed morbus quidã, qui post baptismum nequeat uere peccatum appellari (nisi figurate tantum, eo loquendi modo quo rem quãpiam licet aliter affectam de noie priore appellamus, ut si Paulum factum apostolum persecutorem appellemus, Petrum piscatorem, & Mathęum telonem, quo certe modo & concupiscentia, prius peccati nomẽ apud apostolũ Paulũ alicubi retinet) assignetq; nobis alias atq; alias causas, cur appellationem talem permittant scripturæ, diligenter & solicite cauens, ne male in Paulo erremus, aut credamus pc̃tm̃ esse quod non sit uerũ pc̃tm̃. Quãuis (inquam) tot tantisq; declarationibus eximat nobis B. Augustinus hanc opinionem, non pudet tñ Bucerũ hinc inde decerptas aliqt ex Augustino uoculas, perpetuæ eiusdem S. patris sententiæ opponere, & uel inuitum Augustinum facere partium suarum: sed non patietur idipsum Augustinus. ante enim plus centum locis Bucero contradicet oculatissimus ille & acutissimus scriptor, quàm uel se- *Augustini sententia de pctõ origi. post baptisma*

mel in tam multis ab eo conscriptis uoluminibus imprudens pro Bucerana faciat impietate.

Allegata ex Augusti. per Bucerum.

Prima igitur allegatione Bucerus citat Augustinum, contra Iulianum libro iij. affirmantem concupiscentiam non tantum dici, sed & esse peccatum. Item libro v. contra eundem cap. iij. ubi ait: Concupiscentia carnis aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & poena peccati est, quia reddita est meritis inobedietis, & causa peccati est defectione cōsentientis, uel cōtagione nascentis. Quid Bucere q fit ut hęc legeris, & non alia eodem loco cōtra Iulianum & te quoque clare & aperte multo copiosius dicta? Equidem cum aperto libro illo, locum quem tu allegas, quęrerem, incidi in sextum librum aduersus eundem Iulianum, statimque obtulit se in fronte eius longe alia sententia quàm sit tua. Inspexi deinde sequentia aliquot capita, nec fuit ullum, quod nō uehemēter tibi aduersaretur: in omnibus enim statuitur per baptismum peccata omnia euacuari. Cap. pri. hæc sunt eius uerba: In Christo baptizantur, ergo peccata moriunt. Cui peccato queso te nisi q̃d originale contraxerunt? Argumentationes hominū conticescant, abscondit hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelauit ea paruulis. Si tibi Christiana fides displicet, apertius cōfitere. nam Christianam fidem aliam non potes inuenire. Vnus homo est ad mortem, unus ad uitam: Ille tantū homo, iste deus & homo: Per illum est mundus inimicus factus deo, p istum mundus reconciliatus deo, electus ex mundo. Sicut enim in Adam oēs moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabūtur: sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginē eius qui est in cœlo. Hæc stabilimenta fidei Christianæ, qui subuertere nititur stantibus eis ipse subuertetur &c. Vides lector ea quæ Augustino contra Pelagianos dicuntur, in Buceranos quoque aptissime quadrare? Vbi & hoc obserua, quod in extremis laborant omnes feri hæretici: Pelagiani enim abnegatores peccati originalis, negabant nos in Adam omnes mortuos, Bucerani uero eiusdem peccati assertores, negant idipsum per Christum auferri. Cap. ij. ita ait: Reatus ille qui sola regeneratione dimittitur, quemadmodum cum inesset non sentiebatur, ita eius ablatio fide creditur, non

Augustinus hæresi Buceranæ contrarius.

Con. Iulianū lib. 6. cap 1.

Math. 11. Lucæ. 10.

1. Cor. 15.

Ibidem Ca. 2

nõ carne uel mente sentitur. Ideo in huius rei obscuritate te iactas, & aduersus ueritatem, quæ ostendi hominum maxime carnalium sensibus non potest. Quanto magis ut putas acriter, tanto magis infideliter pugnas. Sed uerte omnes te te in facies, & quicquid siue animis siue arte uales, quicunque baptizati sumus in CHRISTO IESV, in morte eius baptizati sumus: ergo uerũ est nos mortuos esse peccato in morte CHRISTI, quæ fuit sine peccato. Ita quidem Augustinus contra Pelagianos, quod in aduersa ripa baptismi Buceranis hærentibus iustiori obijcimus ratione. Tertio uero capite ita habet: Cum autem paruulus prorsus nullũ habeat omnino peccatum, restat ut nullum eidem aliud auferatur nisi originale. Ibidem: Originale peccatum, quod iam remissum est parentibus baptizatis, manere demonstratur in paruulis, nisi & ipsi baptizentur. Item capite quarto: Nec nos dubitamus, quia baptismate delictum omne mundetur. Item capite quinto: Tu tanquam in cœlo iam inter angelos immortaliter habitans, uerba infirmitatis & mortalitatis irrides, & ea exponens, non secundum meum sensum, sed secũdum dolum tuum dixisse me affirmas, quod gratia non perfecte hominem nouum faciat (Obsecro te Lector an non idem quod Iulianus dicit & Bucerus de Augustino, sed audiatur consequenter) Non hoc dico, Attende quod dico, gratia perfecte hominem nouum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfecte innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, (nota ab omnibus omnino peccatis) nõ quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animam. Et post aliquanta: Vbi me audisti siue legisti dicentẽ, Nõ innouari homines p baptismũ, sed quasi innouari: non liberari, sed quasi liberari? non saluari, sed quasi saluari? Absit ut ego inanem dicerẽ gratiam lauacri illius in quo renatus sum ex aqua & spiritu, quo liberatus sum à reatu omnium peccatorum, uel quæ nascendo traxeram, uel male uiuendo contraxeram. Non sustinet Augustinus talia sibi à Iuliano affingi, & quomodo sustineat sibi affingi à Buceranis? quomodo ferat

Ibidẽ, cap. 3.
Cap. 4.
Cap. 5.

nascimur, quod cum sit pœna peccati transgressionis, nihil uetat idē uere peccatum esse, propter inobedientiam contra dominatum mentis. Ita argutatur Augustinus. Ex quo fit perspicuum Iulianum disputare, & Augustinum respondere de peccato originali, considerato in eo statu in quo est, quando à parentibus contrahitur, non autem in statu in quo est post baptismi purgationem. Quæstio enim erat de natiuitate carnis, utrum peccato originali esset obnoxia, nō de regeneratione spirituali: utrisq; enim extra controuersiam erat, baptismum præcedentia peccata omnia abluere. Proinde non mirum quod Augustinus inobedientiam contra dominatum mentis ita consideratam, hoc est, secundum carnalem natiuitatem affirmet esse uerum peccatum, hoc enim Ecclesia semper docuit: At Bucerus Augustinum nobis obijcit, quasi loquatur de regeneratis. Euanescit igitur hæc eius obiectio. At insistet Bucerus, Inobedientiam contra dominatum mentis durare etiam post baptismum, quæ si fuerit idonea peccati ratio ante baptismum, erit & post baptismum ratio cur sit uere peccatum: fatemur perdurare, sed ablutam & ab omni peccato mundatam purissimo sanguine obedientis CHRISTI, ut nullam in se contineat deinceps peccati rationem, cui antea hoc ut peccatum esset sufficiebat, quod contra dominatum mentis insurgeret. Si haberent aduersarij aures audiendi, iamdudum exaudissent Augustinum, hoc ipsum iterum atque iterum ita passim exclamantem, ut uix quicquā frequentius.

Iam quod tractatu xli. in Iohannem eundem Augustinum allegat dicentem: Quamdiu uiuis peccatum necesse est esse in membris tuis. Verba sunt Augustini per occasionem explicantis illud Pauli-num: Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore. Dicat autem ipse nobis Augustinus an faciant hęc sua uerba aduersum nos, utrum uelit peccati nomine intellectum quod uult Bucerus, an potius contra quod nos? Libro primo profecto de nuptijs & concupiscentia ad Valerium, eundem Apostoli locum exponens, disertis uerbis ait: Ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis quando ei ad illicita opera non consentitur. Sequitur: Sed modo quodā loquendi peccatum dicitur, q̄d peccato facta est, cum

Ad secundū Augustini dictum.

Roman. 6.

iam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut uocatur lingua locutio quam facit lingua, & manus uocatur scriptura quam facit manus. Quo sensu neq; nos negauerimus peccatum, quamdiu uiuimus esse in mēbris nostris. Ita liberat nos Augustinus ipse ab obiectione ista. Non uero hoc tantum libro ubi eundem illum (ut diximus) Apostoli locum exponit, sed & libro quem Bucerus citat: ubi miror quod non legerit uel antecedentia uel sequentia uerba, præcedit enim aliquanto superius, paruuli nondum ambulant & iā sunt compediti, traxerunt enim de Adam, quod soluatur per Christum. Quid soluitur autem nisi peccatum? Et post pauca, nemo reconciliatur nisi ex inimicitijs, inimicos autem nos non natura sed peccata fecerunt. Quomodo autem reconciliamur, nisi soluatur quod inter nos & ipsum separat? Ait enim propheta: Non grauauit aurē
Esaie 59. ne audiat, sed peccata uestra separant inter uos & deum. Quia ergo non reconciliamur nisi ablato eo quod in medio est, & posito quod in medio sit: Est enim medium separans, sed contra est mediator reconcilians. Medium separans est peccatum, mediator reconcilians, est dominus Iesus CHRISTVS. Vnus enim deus, & unus me-
1. Tim. 2. diator dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS. Vt ergo tollatur maceria separans, quod est peccatum, uenit ille mediator & factus est sacrificium sacerdos ipse &c. Hæc omnia eodem tractatu Augustinus. Vbi attendas uelim, neminem reconciliari deo, nisi ablato peccato. Aut neget ergo Bucerus quenquam uiuentium deo posse reconciliari, aut fateatur ablatum peccatum. Secundo, Peccatū separare à deo, CHRISTVM reconciliare. Ergo ubi uerum peccatum est, est & uera separatio. Si autem uera separatio, quomodo mediator recōciliat? Quo sophismate euadet hic Bucerus absurdissimam contradictionem? Sequetur enim idem & separatum esse à deo, & non separatum, recōciliatum & non reconciliatum. Tertio pro separante peccato quod aufertur, succedere mediatorem CHRISTVM, utique sua gratia. Ex quibus fit perspicuum, Augustinum absque ulla dubitatione, nihil minus uelle, quàm peccatum quodcunque in reconciliatis manere. Quod

ipsum

ipsum pluribus adhuc uerbis eodem ipso tractatu agit. Vnde uersa pagina sequitur: Quicquid peccatum est à nobis antea deletum est in baptismo: Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? &c. Ecce infirmitatem post baptismũ relictam, sed nullum peccatum, aut iniquitatem. Atque ita factum est, ut ibidem inter exponendum illud Apostoli legitur, Ego ipse mente seruio legi dei, carne autem legi peccati &c. quod Apostolus uocat peccatum, ipse nunc infirmitatem, nunc languorem, nunc cum Apostolo peccatum appellaret, dixeritq; uerba quæ Bucer diuerso sensu perperã allegat: Quamdiu uiuis necesse est peccatum esse in membris tuis. Non sensu contradictorio (nisi putamus Augustinum fuisse mente captum, qui dicat necessario manere idem, quod statim dixerat penitus auferri) sed peccati nomine cum Apostolo languorem & infirmitatem significans. Nec admittunt uerba illa sensum alium. Quod potest enim esse aliud in membris peccatum quàm languor & infirmitas, quæ corpus afficiũt? Peccatum uero quod proprie dicitur est solius animę. Euanuit ergo & altera iam ex Augustino allegatio. *Romano. 7.*

Quod tertio nobis eundem opponit lib. v. cap. iij. contra Iulianum in hanc sententiam: Si circumspectus & cautus esses, cognosceres utiq;, ueram esse iniquitatem, quod uires inferiores hominis superioribus repugnant: fecit nobis non parum negocij, fructuosi tamen. Interim enim dum hanc sentẽtiam quæro, inuenio alia, quæ minus quærebam, & inuenisse gaudeo. Atque utinã Bucerus libros illos aduersus Iulianum studio cognoscendæ ueritatis legisset, multo profecto melius quàm nunc, imo hac in re nobiscũ sentiret. Hoc autem quod fingit Augustinum dicere, legit per transennam: nihil enim eius ibi dicitur, sed contrarium. Dixerat aliquando August. contra Pelagianos, quod & lib. xiij. & xiiij. de ciuitate dei frequentius legitur, inobedientiam (nimirum concupiscentiæ) inobedienti homini iustissime retributam, propterea, quod æquũ erat, ut ei qui fuerat suo dño & creatori inobediens, ab inferiori suo uicissim non pareretur: quam sententiã & hic aduersus Iulianũ defendit, censetq; æquissimũ esse, quod Bucer iniquum, tam recte Augustinum citat. *Ad tertium ex Augustino allegatũ.*

 Postremo

Ad quartam Augustini allegationem.

Postremo refert Augustinum tradere quod hac de causa, ut quia inferiora reluctantur superioribus, Ambrosius concupiscentiam appellitet iniquitatem. Verba Augustini contra Iulianum libro ij. ita habent: Ambrosius istam legem peccati cuius manentis reatus in sacro fonte remissus est, propterea uocauit iniquitatem, quia iniquū erat, ut caro concupiscat aduersus spiritum. Audis hic Lector reatū concupiscentiæ, in sacro fonte remissum, & tamen appellari ab Ambrosio iniquitatem: quę cum sit quædam contradictio, nonne tibi uidetur Augustinus cōtradictionem omnem uoluisse tollere, atque in hanc loqui sententiam: Non propterea uocauit Ambrosius legem peccati iniquitatem, quod uera iniquitas esset, cum reatus omnis sit ablatus, sed propterea, quia iniquum, id est, inordinatum & præposterum erat, ut caro concupisceret aduersus spiritum? Quod uel hinc cognosci potest, quod paulo superius in eodem libro iam dixerat idem ille Augustinus: Iamne discernis? iamne perspicis? iamne respicis & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis quasi ciuile bellum interiorum remanere uiciorum? Non enim talia sunt uicia, quę iam peccata dicenda sunt, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat, & concipiat, pariatq; peccatum. Ita Augustinus.

Dispulimus nebulas omnes quas Bucer offudit, allegata ex Apostolo ostendimus ei nihil conferre: rationes dissoluimus, & Augustinum quoq; demonstrauimus esse nostrum, non aduersariorum.

Testimonia sanctorū patrū ad ostendendum non remanere in baptizatis peccatum.

Quando uero sibi permittūt aduersarij ueritatis arcem & Ecclesiæ castra nostris ciuibus, nostris armis atque opibus oppugnare, ac patres uel reluctantes, obtorto collo aduersum nos rapere, cur non æquiore bellantium iure, nobis liceat eosdem, nempe ciues pro patria, pastores pro ouibus, pręceptores pro discipulis, muros, turres & portas Ecclesiæ pro eius defensione hostibus opponere? doctrinamque quam Bucerus euertere non potuit, nunc tātis fulcire columnis? Et quidem Bucer ex Augustino suppilata aliquot uerba corrasit, quæ contra ueritatem torqueret: At nos non Augustinū modo sed ueterum Ecclesiæ scriptorū integrā phalangē, nec suppilata huius aut illorū hinc inde uerba, sed perfectas sentētias,

nec

nec per uim contortos patres, sed ultro pro nobis se totos offerentes, possemus pro nostri dogmatis assertione aduersarijs obijcere. Verum cum sit constitutum nobis, prolixitatis uitandæ causa (quam nec ipsam satis uereor nos effugisse) prælio decertare magis quam bello, præcipuos tantum, & ab omni Ecclesia receptos, nec multis iaculis oneratos, in aciem statuemus. Prodeat igitur nobis in primis

Epiphanius, qui tomo cõtra hæreses primo ueterem Procli Origeniani hæresim describens, manifestat, unde Bucer hæresim suam sit mutuatus, ubi Procli sententiam his uerbis refert: Viuente adhuc corpore antequam moriatur, necesse est simul uiuere peccatum, intus in nobis radices suas abscondens, etiamsi forinsecus per castigationũ ac admonitionum sectiones fuerit refrenatũ. Alioqui post illuminationem non contingeret nos iniusta facere, utpote peccato penitus synceriter à nobis ablato. Nunc uero etiam postquam credimus, & ad aquam purificationis deuenimus, sæpe in peccatis repe rimur. Nemo enim sic seipsum à peccato alienum esse iactet, ut neq; omnino in animo de iniquitate cogitet. Quare constat contrahi quidem ac sopiri per fidem nunc peccatum, ut ne fructus noxios producat, non tamen radicitus tolli. Et nunc quidem prauas cupiditates ac cogitationes, uelut germina ipsius cõtrahimus, ne qua amara radix sursum enascens infestet, non sinentes hiare & aperiri conclusa oscula ad faciendos exortus, doctrinæ ratione instar asciæ radices ipsius inferre nascentes secante. Tunc uero etiam ipsa cogitatio de malicia dissipabitur. Neque uero scripturarum testimonio hic sermo caret, si quis synçeriter uerum dicere uelit. Nam nouit etiã Apostolus nõdum radicem peccati integre ex hominibus sublatam esse, nunc quidem dicens: Noui enim quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Velle enim adest mihi, operari uero bonum, non. Non enim quod uolo facio bonum, sed quod non uolo malũ hoc facio. Si uero quod non uolo hoc facio, non amplius ego facio ipsum, sed quod habitat in me peccatum. Nunc uero delector lege Dei secundum internum hominem. Sed uideo aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & omnino captiuum faci-

Epiphanius.

Heresis Buceri a Proclo inuenta.

Lutheranorum sententia de fide.

Romano. 7.

entem me legi peccati, quę est in membris meis. Adeo nondum con tigit peccatum funditus ac radicitus excindi. Non enim penitus mo ritur, sed uiuit, &c. Hactenus uerba Procli ex Epiphanio.

Obsecro te lector, quid aliud sonat Bucerus, cum ait peccatum ui uere etiam post baptismum, idq; necessario negat radicitus tolli, do nec corpus per resurrectionem reformetur, ait castigationibus frenari, per fidem uero contrahi & sopiri, ne pariat fructus malos, nisi quod postremum istud ægre cōfitetur. Quin potius affirmat pctm̄ interim suos motus perficere, & nulla quiete sopiri, per fidem autem operiri, ut non imputetur. Quo uno Proclianā hæresim exuperat, ut palā fiat Proclū deteriorē in Bucero reuocatum ab inferis. Sic docet, sic adhibet similitudines, sic ad experientiā recurrit, sic apostoli Pauli uerba ad suum sensum detorquet, sed hæreticissat peius, & falsior euadit.

Methodius Eubulius. Huic hæresi, opponit Epiphanius beatū uirū Methodiū Eubuliū, q prolixa oratione opinionē illam confutat, ostēdens, nō à remanēte in carne peccato, sed à diabolo (q pctm̄ ob id appelletur, ꝙ sit peccati author) cogitationes & desideria in nobis excitari, adeoq; nō oriri in bonis & pijs hoibus de radicibus latētis pcti, sed inijci & suggeri ab externis & inuisibilibus hostibus. Longū esset totā inserere cōfutationē; quā si nosse cupis, potes ipse legere apud Epiphaniū. Habes hic proditū autorē hæreseos Bucerianę, habes & damnatū. Quid placet, damnato cum Bucero subscribere, an Epiphanio & Methodio damnantibus?

Idē Epiphanius eodē tomo in octaua secta: Figuræ, inqt, in lege fuerūt, ueritas aūt in euāgelio. Illic em̄ circūcisio fuit carnalis, q̄ inseruijt tēpori usq; ad magnā circuncisionē, hoc est, baptismum, q circuncidit nos a peccatis, & obsignat nos in nomen dei. Cum pluribus locis eandem sententiam est apud Epiphanium reperire. Sed de multis patribus placet libare pauca.

Clemens. Clemens successor apostoli Petri, epist. iij. ad Iulium & Iulianū episcopos: Regeneratis ex aquis & deo renouata fragilitas prioris natiuitatis, quæ per hominem facta est, amputatur.

[...]nus. Cyprianus epistolarū lib. iiij. ad Fidum fratrē, Prohiberi nō debet infans

infans a baptismo, q recens natus nil peccauit, nisi q̄ scd̄m Adā carnaliter natus, contagiū mortis antiquæ prima natiuitate cōtraxit, q ad remissam pc̄torū accipiendā hoc ipso facilius accedit, q̄ illi remit tunt non propria, sed aliena pc̄tā. Verū in sermone de ablutione pedum, aptius istud ipsum explicat in hæc uerba: De abdito & secretissimo spūssancti munere huius gratiæ liquor emanat, sic lauans q̄s parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula aliqua sui post ablutionē illam uestigia, derelinquat, &c. Vix poterat quicq̄ dici clarius: sed tn̄ adhuc idē ille B. martyr longe p̄clarius testimoniū nobis affert in ser. de stella & Magis, ubi putat magnū esse, baptismū sanguinis pro Christo effusi idem præstare q̄ aquæ baptismus operatur. Iam ne aduersarij quidē negauerint sanguinis baptismo, pc̄tm̄ originale penitus excindi? Verba martyris sunt: Hi nuper cruore lacteo loti (de innocētibus loquitur) primitias baptismi martyrio consecrarunt, tradentes posteris formam ubi necessitatis articulus excluserit morā, non minus ad lauacrum animæ sanguinē efficacem, quam sanctificatas uerbis solennibus aquas, maxime cum nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus uero sanctus & aquis & sanguini superfertur, qui subiectos sibi fouet & abluit, quo baptizante, idem occisio, quod mersio operatur, qua extinctam peccati uitam, uirtutēq; emortuam, utriusq; rei continet sacramentum, &c.

Cui Arnobius cōsonat in psal. ciiij. ubi figurā transitus filiorū Israel p mare rubrū quo baptismus significabatur, explicans ait: Nullus inuenitur in omnibus his mille generationibus baptizatis, uel unus peccatum habens in hora baptismatis. Alioqui si peccatū habet, non credidit, & cum Aegyptijs mersus est. Nam oēs qui crediderunt ex hora qua transierunt uenientes ad consignatiōem, non inuenitur in tribubus eorum infirmus, oēs firmi sunt, omnes confirmati sunt. *Arnobius.*

Hinc & Basilius ille magnus in exhortatione ad sanctum baptisma inter alia præclara de baptismo dicit: Nunc quum baptisma promittat tibi animæ tuæ uelut noui germinis renouatiōem, quā tu anilem fecisti & ex iniquitatibus rugosam, ac maculosam reddidisti, contemnis benefactorem, & non accurris ad promissionem. *Basilius Magnus.*

Non concupiſcis uidere magnum promiſſionis miraculum? Quomodo ſine matre regeneratur homo? quomodo inueteratus & fraudum cupiditatibus coruptus iuueneſcit rurſus ac repubeſcit, & ad uerum iuuentutis florem redit? Baptiſma captiuorum redemptio, debitorum remiſſio, mors peccati, regeneratio animæ, indumentum lucidum, ſigillum cui nullę inſidiæ ſtrui poſſunt, uehiculum ad cœlum, regni largitor, adoptionis donum &c. Et iterum in eadem exhortatiõe: O rem admiratione dignam, renouaris & nõ conflaris, reformaris & non contereris, curaris & non dolore affligeris.

Chryſoſtomus in caput xix. actuum Apoſtolor. Quũ impoſuiſſet Paulus illis manus, uenit ſpiritusſanctus ſuper illos: hoc autem Iohan-
Chryſoſto. nis baptiſma non habebat, ideo & imperfectus erat. Sequitur: hinc oſtẽditur dogma magnum quod perfecte purgantur à peccatis qui baptizantur. Multo uero pulchrius & apertius in homilia ad baptizandos, om̃is peccati extirpationem in baptiſmo fieri teſtatur: Nos, inquit, pollicemur uobis oſtẽdere totius maliciæ uinculis abſolui, & ab omni inmundicia liberari, eos qui hoc lauacrum promerentur, uerum ratio longe maiora declarat, non enim mundos tantum, ſed & ſanctos & iuſtos effectos Apoſtolus oſtendit. Non enim dixit lauati eſtis tantum, ſed & ſanctificati & iuſtificati. Quid hac re mirabilius? &c. Sequitur: Ob quam cauſam hoc quod nobis peccata concedit,
1. Cor. 6. non lauacrum remiſſionis peccatorum dicitur, nec lauacrum purificationis, ſed lauacrum regenerationis. Quia non nobis ſimpliciter peccata concedit, nec ſimpliciter nos purificat, malis actibus implicatos, ſed tanquam é cœlo generatos effici. Nam de cœlo nos cõdit, & inde conficit, nõ de terra componens iterum, ſed alio nos elemento, id eſt, per aquarum naturam progenerat. Nõ enim uas ſimpliciter purgat, ſed integrum nouat iterum. Nam cum uaſa purgantur, etſi diligentia multa purgãtur, quędam ueſtigia nihilomninus retinent uetuſtatis, & priſtinam maculam non amittunt. Illa autem quæ conflatorio committuntur, cum flãma fuerint renouata, omnem maculam preteritæ fęditatis amittunt, & nunc primum confectis non diſſimilia proferuntur, æquali fulgore micantia. Vt igitur ſtatuam auri metallo confectam, aliquanti tẽporis metis, fumo, & puluere, & eruginis

ginis sordibus coinquinatam, cum artificis manus acceperint, renouant fornacis ardore, & splendidã nobis lucidamq; demonstrãt, ita & nostram naturam deus eruginatam mole peccati, & malorum gestorum fumo uiolatam, & omni pulchritudine quam primo ei donauerat denudatam, in illos aquarum fontes, tanquam in purgatorium mittit, & pro flamma spiritus gratiam subministrat, & exinde, rudes effectos etiam solis radijs eleuat clarius lucentes: ueterem hominem conterens &c. Quid hac similitudine aptius? quodue apertius testimonium, de peccati originalis euulsione dari poterat? Atqui hanc ipsam sententiam non hac tantum homilia prosequitur, sed & in expositione quinti capitis ad Rom. In genesim quoque & alios sacrae scripturae libros identidem repetit & inculcat nos non solum pharmacum morbo originali sufficiens per Christum accepisse, uerum etiam perfectam sanitatem ac pulchritudinem, talem qua nec umbra nec uestigium ueteris peccati sit in nobis relictum. Homilia. 33. in quartum cap. euãgelij Iohan. dicit peccata in baptismo abluta non amplius apparere. Et in primum caput actu. Apostolorum: Non est ullum peccatum, ullaue impietas, quę non cedat, locum det dono dei: loquitur de baptismatis gratia.

Ambrosius in Apologia Dauid: Non tam saepius quàm plenius lauari petit Dauid, ut conceptam sordem possit eluere. Nouerat secundum legem plura quidem mundandi esse subsidia, sed nullum plenum atq; perfectum. Ad illud ergo perfectum, tota intentione festinat, quo iusticia omnis impletur, quod est baptismatis sacramentum &c. Et iterum in eadem Apologia: Lauari secundum euãgelium concupiscit, & super niuem se existimat, si lotus fuerit, dealbandum. Per Hysopi fasciculum aspergebatur agni sanguine, qui mundari uolebat typico baptismate. Lauatur autem qui diluitur aeterni fontis irriguo. Et supra niuem dealbatur cui culpa demittitur. Deniq; de ipsa anima dicitur: Quae est hęc quae ascendit dealbata? Antequam baptizaretur ipsa est quae dicebat: Nigra sum & decora filiae Hierusalem. Erat enim nigra, tenebroso peccatorum horrore deformis, sed posteaquã abluta per baptismum, remissionem meruit delictorum, dealbata ascendit ad Christum. Inde per Esaiam locutus est dominus dicens:

Ambrosius. *Psalm. 50.* *Esaie. 1.*

Si fuerint peccata uestra sicut phœnicium, ut niuē dealbabo, id est, si cruenta, si tetra mundabo. Hæc est nix intelligibilis, de qua ait, quod domini Iesu in Euangelio refulserint uestimenta sicut nix, eo quod peccatum non cognouerit caro eius &c. Item in epist. ad Demetriadem: dum hō exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de ueteri, uasa iræ in uasa misericordiæ transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati, de impijs iusti, de captiuis liberi, de filijs hominum fiunt filij dei &c.

Innocentius primus ad Concilium Carthaginen. Epistola. xxv. Christus per nouæ regenerationis purificationem, prçteritum omne uicium, sui baptismatis lauachro purgauit &c.

Citauimus hactenus authores quos beatus Augustinus solet & citare libenter, & sequi. Ipsum proinde non amplius citamus, contenti sententiam eius iam abunde satis in prçcedentibus expositam. Si libet uidere plura, lege eundem libro de fide ad Petrum capite ij. Item in Enchiridio ad Laurentium capitib. xxxxx. li. xxxxxij, Item sup Genesim libro vi. & in ijs libris quos scripsit aduersus Donatistas, Pelaginos & similes hçreticos. In quibus frustra sane miraretur, frustraq; toties inquireret, quomodo peccatum illud contraherent filij baptizatorum, in qbus ipsum illud peccatum prorsus extinctum & deletum est, nisi firma & indubitata fide extirpatum esse crederet? Ad Valerium de nuptijs & cōcupiscētijs libro pri. capite xix. ait, Mirum est quēadmodum à peccati uinculo p gratiam liberati, gignant tñ eodē uinculo obstrictos, quos eodē modo oporteat liberari. Fatemur, mirum est: Sed qd latent fætus oleastrorum, etiam in seminibus olearum, quando & hoc crederetur, nisi experientia ꝓbaretur? Proinde sicut gignit ex oleastri semine oleaster, cum inter oleastrum & oleam plurimum distet, ita gignitur & de carne peccatoris & de carne iusti utrinq; peccator: quamuis inter peccatorem & iustum plurimum distet. Signitur autem peccator actu adhuc nullus, & ortu nouus, sed reatu uetus: Homo à creatore, captiuus à deceptore, indigēs à redemptore. Sed quçritur quomodo trahi possit captiuitas prolis etiam de parentibus iam redemptis? Et quia non facili ratione indagatum

gatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur &c. Sed nimium moramur in Augustino.

Isychius presbyter Hierosolymitanus uetustus scriptor in xv. cap. Leuitici: Quia sordidus effectus homo per inobedientiam Adam, sordidum esse etiam semē suum fecit, necessarieq; corpus sordidū est, eo quod ex semine procedit, in quo immundum est usq; ad uesperā, id est, seculi finem, quia in fine seculorum Christus ueniens, ostendit aquam, qua genus nostrum mundaretur. Et in cap. xvi. Lauatur (inquit) omne corpus per aquam baptismatis, quia totum nostrū lauat & renouat hominem. *Isychius.*

Cyrillus Alexandrinus, aut quisquis hoc nomen scriptis suis pręfixit, in ix. cap. euangelij Iohan. Non exigua putetur lauacri baptismalis uirtus, quod dimotis animæ tenebris, lumen cœli infundit. Neq; recēs credatur eius & arbitraria constitutio, quod & multis instrumenti ueteris figuris, & prophetarū testimonijs est pręsignatū. Aquis quippe diluuij, totius mundi expiata sunt peccata, & qui in arca reconditi erant, per aquam salui facti sunt. Id baptismi typum gessit p quem sordes oēs peccatorū deponuntur, & uitę uetustas tollitur. Audi Petrum Apostolū huius rei grauissimum testem: In diebus (inquit) Noe cū fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt p aquā, quod & nos nunc similis formę saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed cōscientiæ bonæ interrogatio in deū. Insup populus Israel duce Mose, mare rubrum sicco pede pertransijt, submersis ibidem Aegyptijs: quod per baptismi susceptionē, totā diabolicę prauitatis cohortē à nobis dimoueri, & expelli insinuat, nosq; in Christo regeneratos, à durissima eius tyrannide, dei gratia liberari. Testē huius mysterij accipe diuiniloquū Paulū ad Corin. scribentē, Nolo uos ignorare fratres, quoniā patres nostri oēs sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari. Quid Naaman Syrus septies in Iordane ablutus & à lepra mundatus nobis innuit, nisi baptismo Christi lotos, ab omī prorsus aiæ lepra peccatoq; purgari? Quid deniq; aqua expiationis & lustrationis secundum ueteris legis ritū tollens immundiciā ex contactu morticinoꝝ contractā denotat, *Cyrillus.* *1. Pet. 3.* *Exod. 13.* *1. Corin. 10* *4. Roman. 5.* *Nume. 8.*

nisi aquam baptismi omnem penitus animæ impuritatem abstergere? Et post pauca: Postremum hanc baptismi gratiam præsignauit probatica piscina, in quam post aquæ ab angelo motionem descendens, quacunque tenebatur ægritudine languidus, ilico sanabatur. Volens enim deus homines propinquius adducere ad baptismi donum, per hanc piscinam tanquam per aquam lustrationis, non adhuc inquinamenta solum mundat, sed & corporis languores tollit, & ægritudines sanat, quo designet baptismus, omnem animi morbum depellere, & peccata detergere. Ita Cyrillus.

Iohan. 5.

Neget igitur Bucerus cæco à natiuitate uisum in aquis Syloe uere restitutum, dicat mansisse in oculis cæcitatem, qui natiuitatis nostræ tenebras, peccatum inquam originale negat in aquis gratiæ Christi penitus auferri: Neget Naaman à lepra in Iordane perfecte curatum, probet uel pellicula, quæ lepram in carne residētem operiat obductum, uel apud homines obtinuisse ne eadem imputatur, qui negat baptismum perfecte nos à peccato purgare, sed originalem illam lepram tantum ne imputetur contegi. Neget filios Israel per mare rubrum uere liberatos, ab Aegyptiorum & Pharaonis seruitute, qui affirmat post baptismi aquas Christi sanguine rubricatas, manere opus diaboli, manere quod ei perpetuo seruiat & Christo domino displiceat. Dicat plus ualuisse figuram in lege quàm ueritatem in Christo, dicat umbras rebus fuisse præstantiores.

Idem contra Iulianum Apostatam libro vij. Ita ad alterius uitæ exordium uenientes, ingressi ueræ pietatis semitas Christo annuēte iustificamur. Per illum enim nobis misericors est pater, iustificante legislatore, & ab omni nos crimine liberante, & pœnam præuaricationum remittente, & etiam in mente sanctificante, per spiritum sanctum, & reformante nos, modò quo ipse nouit, ad nouitatem mentis castæ & iustæ. Quis tum adhuc condemnet, uel quæ adhuc sit macula non uideo. Et sequitur: Sicut enim ad argentea uasa accedens ignis, sordes illius insitas deponit, eodem sane modo, etiam diuini spiritus uis, tanquam ignis, quæ in nostras immittitur animas, mente scilicet & diuino modo, ab omni nos macula liberat, & urget quodammodo naturam in omne nobis contrarium opus &c.

Gregorius.

Gregorius quoq; epistola xxxix. lib.ix. Ad theotistam patriciã hunc errorem proprijs aduersariorum uerbis proponit & confutat. Si qui sunt (ait) qui dicunt peccata in baptismate superficietenus dimitti, quid est hac prædicatiõe infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant soluere? in quo principaliter ad cœlestis mundiciæ mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus à peccatis omnibus, soli illi inhæreat, de quo Psalmista ait, Mihi autẽ adhærere deo bonum est &c. In euangelio dominus dicit: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus ẽ, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit uoci ueritatis, quæ ait, Qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse qui redemit &c. *Gregorius.* *Psalm. 71.* *Iohan. 13.*

Veterum patrum plurimos omitto, posteriores uero, quorum innumera est multitudo prętereo omnes. Cui enim tot tantiq; patres cum propter eruditionem, tum ob uitę sanctimoniam summę in Ecclesia authoritatis (quos modo allegauimus non sufficiunt) huic profecto nemo persuaserit, licet uniuersum omnium Ecclesiæ doctorum & patrum ordinem, atq; ipsos apostolos adhibeat testes.

Vides igitur Lector Christiane quàm belle conueniat Bucero cũ patribus, quos uulgo persuadet esse dogmatis sui assertores. Facile quoque nunc iudicabis q̃ sophistica, friuola & uana sit diuisio peccati, qua pollicetur sibi patres, maxime Augustinum conciliare, & in suam reducere sententiam. *Bucer uult patres sibi conciliare.*

Si (inquit) peccati nomine hoc tantum uolumus intellectum, quod uoluntarie contra legem dei cogitatur, dicitur, aut perpetratur, iam concupiscentia, in renatis non est peccatum. Si in peccatũ dicimus (uti dicere debemus, ipseque spiritussanctus & pronunciat & pronunciare

 docet)

docet) esse quicquid in homine legi Dei repugnat, concupiscentia in renatis non modo appellatur, sed reuera est graue peccatum, contrarium præcepto decalogi, quod iubet non concupiscere. Quapropter uult Apostolum dixisse, Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces.

Cōfutatur distinctio peccati quam facit Bucer.

Vt quærit rimas anguis lubricus per quas elabatur: at ego non cauda, sed capite strictum prensabo serpentem. Diuidit peccatum in actum uoluntatis contra legem Dei, & concupiscentiam contra eandem legem. Priore membro complectitur actualia uoluntatis peccata, atque hoc, inquit, modo, concupiscentia reliqua in baptizatis non est peccatum. Pulchre sane: Ita scilicet satisfactum est patribus. Quasi hoc ipsum sit, quod Augustinus, quod uolunt patres, quando dicunt in baptismo non ullum manere peccatum, uidelicet secundum Bucerum uolunt dicere, uim concupiscentiæ naturalis nō esse peccatum actuale uoluntatis in baptizatis. At quis tam insanus fuit unquam, aut quis adeo delirauit, qui brutam naturæ concupiscentiam crediderit esse peccatum humanæ uoluntatis, siue in baptizatis siue in non baptizatis, ut huic errori expungendo, patres tam sedulo doceant non manere in baptizatis peccatum, scilicet, metuebant ne forte putaremus in paruulis, qui nullum actuale habebant, uim concupiscentiæ manentis post baptismū esse actuale peccatum. Gratia tibi Bucer, quod concedis patribus, eo modo, concupiscentiæ uim non esse peccatum. Meras nugas. Patres enim non obscure, nec ambiguis uerbis de originis peccato, neque cogitationibus, neque dictis, neque actibus constante loquuntur, quando asserunt non manere in baptizatis peccatum, sed excindi, euelli, eradicari, & ne uestigia quidem remanere quibus DEVS irascatur: id quod modo sine omni ambage, nullis alijs quàm ipsorummet patrum uerbis demonstrauimus. Altero membro diuisionis suæ, complectitur concupiscentiam in genere: sane parum dialectice.

ctice. Multo rectius peccatum diuiserunt patres, in actuale & originale. Vbi Bucerus membro priore retento, alterum transmutat, suppressoque originalis peccati nomine, transfert rem, in concupiscentiam quouis modo legi Dei repugnantem, quam contendit uere & proprie esse, & manere peccatum etiam in baptizatis, testes citans Apostolum Paulum, Decalogum mandatorum, & spiritum sanctum: in quo cum sit multis modis falsus & uiolentus, est & blasphemus.

Primo enim, nusquam Apostolus dicit, Concupiscentiam carnis repugnare legi Dei, tantum habet, Repugnare legi mentis meæ. Sed hoc iam ante notauimus. *Buceri falsitas.*

Secundo, etsi concupiscentia illa bruta, cæca & imprudens, utpote omnis iudicij & intelligentiæ expers, contra legem Dei impingat, non habet tamen in baptizatis rationem peccati, quando non consentitur eius inclinationi, secundum illud, Nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in CHRISTO Iesu, qui non secundum carnem ambulant.

Tertio, præceptum Decalogi, Non concupisces, non est naturæ carnis dictum, sed uoluntati. Siquidem stultum est carni brutæ (ne concupiscat) imperare.

Quarto, uim facit Apostolo, quem fingit de bruta concupiscentia dicere illud, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, nō concupisces. Hanc enim etiam ante Moysi legem in se persensit natura. Sed Apostolus loquitur de concupiscentia uoluntatis, non passim cuilibet, quadam tenus persensa. Rudes enim homines ante legem datam, putabant solam uoluntatē quam actus nō consequerentur, nihil afferre momenti ad peccatum. Operibus enim & non latente cordis uoluntate credebant peccari. Idcirco dicit, Concupiscentiam nesciebam (intellige esse peccatum) nisi lex diceret, Non concupisces. Ad hunc modum patres Apostolum interpretati sunt. Quin & locus ipse non admittit alium sensum. Sequitur enim: Nam peccatum (uicium scilicet in carne residens) per mandatum (utique legis) operatum est in me omnem concupiscentiam:

Ergo concupiſcentiam (de qua loquitur) aliquando non habebat, præceſſit enim peccatum illud. Si hanc antea non habebat, ſi non aderat, quomodo dicatur originalis? Rurſus, ſi concupiſcentiam de qua loquitur, contendis originalem eſſe, quomodo ex operatione peccati illius naſcitur? Peccatum, inquit, operatum eſt in me oēm concupiſcentiam. Iam quod conſtat operatione, utique eſt actuale & uoluntarium.

Bucer mentitur in Spūm ſanctum.

Poſtremo & ſpiritui ſancto iniuriam irrogat, cui falſum ſuum dogma inſcribit. Ipſe, inquit, ſpiritusſanctus, uerum appellat, & appellare docet peccatum, quicquid legi Dei repugnat. Huius comparatione cætera eius mendacia omnia leuia ſunt, neq; mirum, neque magnum eſt in homines eſſe falſum, qui non ueretur in ſpiritum quoq; ſanctum mentiri. Si de uoluntatis concupiſcentia ſola loqueretur, uerum diceret. At uolo dicat nobis, Vbi nam ſpiritusſanctus, aut pronunciauerit, aut pronunciare docuerit, quālibet nim concupiſcendi contra legem Dei eſſe uerum peccatum? Detur nobis ſcripturæ locus. An proferat nobis Paulum? Sed hic iam reclamabit: Nihil, inquiens, damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu, &c. quod abunde ſatis oſtendimus. Num alibi uſpiam in ſcriptura ueteris uel noui inſtrumēti ſcriptum demōſtrabit, aut forte apud aliquem ex orthodoxis patribus? Non profecto.

Teſtimonia ſcripturæ ſacræ, quibus oſtēditur nō manere in baptizatis peccatum.

At ego dabo non unum modo aut alterum, ſed plurimos ſcripturæ locos ubi ſpiritusſanctus palam affirmat in baptizatis, non ullum remanere peccatum. Sic enim locutus eſt per os omnium prophetarum ſuorum quia ſeculo ſunt. Vt Ezechielis xxxvi. Effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis ueſtris. Et dabo uobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio ueſtri. Item Ezech. xlvij. De torrente aquarum profluentium è templo: quo ſiue baptiſmum, ſiue uerbum dei intelligas, nobis pinde eſt, mō oſtenderimus extirpationē pcti. Sanabuntur, inquit, Propheta, & uiuent omnia, ad quæ uenerit torrens, & ſtabunt ſuper illa piſcatores. Secundum hoc dicitur pri. Corinth. vi. Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Item ad Hebræos decimo, Abluti corpus

pus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ indeclinabilem confeſſionem.

Rogo autem, quæ eſt iſta ablutio? quæ ſanctificatio? quæ iuſtificatio? quæ ſanitas? quæ uita? quod cor nouũ? quis ſpiritus nouus? quæ emẽdatio ab omnibus inquinamentis, ſi manet poſt baptiſma in nobis peccatum? ſi remanens in carne concupiſcentia nos inquinat? Ergo pri. Petri ſecundo dicitur: Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui iuſtitiæ uiuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Vis aliquid apertius audire, quam ſanati eſtis? Idem multo ante prædixerat Eſaias capite quinquageſimotertio, Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos reputauimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo & humiliatũ. Ipſe autem uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Ita quidem ſpiritus ſanctus, & in alijs quoq; prophetis. At ubi dixit aliquando, Cuius liuore ſanati non ſumus?

Sed & æneus ille ſerpens, de quo Numeri uigeſimoprimo, Bucerum manifeſte redarguit. Hic enim ſuſpenſus ab arbore, reſtituit incolumitati eos quos ignitiſerpentes uulnerauerant. Et locutus eſt dominus (inquit ſcriptura) ad Moyſen, Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, uiuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: Quem cum percuſſi aſpicerent ſanabantur. Atque ut intelligamus ad CHRISTVM hanc figuram proprie pertinere, manifeſtius habet ſcriptura Sapientiæ decimoſexto, per uerbum potius domini quam ſpeciem æris datam ſanitatem. Filios, inquit, tuos, nec draconum uenenatorum uicerunt dentes, miſericordia enim tua adueniens ſanabat illos. Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus domine ſermo qui ſanat omnia. Certe originale peccatum morſus eſt & uulnus ſerpentis antiqui, quo omnes ſauciati ſumus. Cui quis medeatur, niſi omnipotens ſermo Dei, uerbum quod ante omnia ſecula pater genuit, CHRISTVS dominus in crucis arborem ſublatus? Iam qui fatetur aſpectu ſerpentis ænei curata uulnera ſerpentium ignitorum, integre & perfecte,

Serpens æneus figura Christi.

cur non & fide in Christum fateatur uulnus antiqui serpentis perfecte curatum? An perfectius curabat figura quàm res, umbra quàm ueritas, ænea forma, quàm uiuens Christus? Aut forte non erat ista uera Christi crucifixi figura? Sed audiamus ipsius de hoc Christi testimonium Iohannis iij. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis q credit in eum non pereat &c. Qui sanabantur aspectu serpentis & languore liberabantur & dolore. Sola forte remansit cicatrix uelut uestigium uulneris. Neq; nos abnuimus in ijs qui per Christum sanantur manere cicatricem in carne: Manet enim concupiscentia deprauata, sed tamen interim & pœna mortis æternæ quam peccatum merebatur, & peccatum ipsum, perfecte ablata sunt, ut nullum peccati uestigium quo deus offendatur remanserit. Quo sensu & patres quos antea citauimus: de uestigio sunt locuti. Manet uestigium morbi, sed non peccati. Manet carnis infirmitas, anima perfectæ sanitati restituta est.

Deus contraria contrarijs uoluit curare.

Porro quod faciunt boni medici contraria contrarijs curantes, deus curando originali peccato, & abolenda culpa, quam inobedientia pepererat, misit filium suum, ut eius obedientia, primi hominis inobedientiam curaret, ut per filium in mortem obedientem restitueretur, quod inobedientia serui uitam quærentis amiserat. unde ait Apostolus Romanorum quinto: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituentur multi. In q̄ licet inscrutabile diuinæ ꝓuidentię consilium admirari. Hinc tam multis locis cõmemoratur nobis Christi obedientia, Ad Philippenses secũdo: Cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit semetipsum factus obediens usq; ad mortem. Sic ad Hebræos quinto: Cum esset filius dei didicit ex ijs quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternę. En hic obedientiam, inobedientiæ curandæ oppositam. Hinc ad Hebræos decimo, ostendit Apostolus, Christo competere uersiculum illum psalterij, Corpus

Deus obedientia filij damna inobedientiæ seruilis restituit.

dedisti

dedisti mihi, ecce uenio ut faciā uoluntatem tuam. Et quid sonant aliud euangelia, quam filij perpetuam obedientiam? Iohannis quarto, Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me. Item Iohannis sexto, Descendi de cœlo non ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem patris qui me misit. Vnde ad crucem iturus in terram prostratus orabat, Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis, fiat uolūtas tua. Et ad Petrum, Calicem quem dedit mihi pater, non uis ut bibam illum? Ideo cum perfecisset omnia, in cruce exclamauit, cōsummatū est. Quæ si ita sunt, si restaurat obedientia magna, imparis aut forte minoris inobedientiæ damna, nonne consequitur perfectam & consummatam obedientiam perfecta & cōsummata curatio? Quanta est ergo blasphemia obedientiam filij non æquare inobedientiæ serui? negare consummatam esse peccati expiationem, culpam peccati originalis dicere nondum deletam, sanitatem animæ nondum restitutam?

Proinde rursus filium dei crucifigunt & ostentui habent, qui cruci eius curandi efficaciam demūt, qui firmant diabolo regnum suum, & Christo effusi sanguinis precium auferunt. O homo precium sanguinis Christi est de quo agitur. Da Christo quod morte sua comparauit. Si primo Adam permittis originem peccati carnem nostram inficientis, permitte CHRISTO, ut à peccato nos repurget, euellat & extirpet. Valeat obedientia filij DEI, si tantum potuit inobedientia hominis. Si quod natum est ex carne, caro est, sit spiritus, quod per spiritum sanctum renatum est. Si filius est peccati, qui ex peccatore natus est; sit filius iusticiæ, qui ex DEO natus est, habeatque hic iusticiam, sicut ille peccatum habet. Et quantum ille a iusticia remotus est, tantum sit iste remotus à peccato. Si spiritus malus potuit introducere in omnem posteritatem peccatum, da spiritui sancto ut possit extirpare, ne uerum peccatum sit aut appelletur. Si regnauit peccatum in mortem, regnet (quod Apostolus dicit) gratia per iusticiam, per IESVM CHRISTVM dominum nostrum. Alioqui,

Bucer filium dei ostētui habet.

Bucer diabolo & peccato plus quam Christo & gratiæ eius p̄mittit.

quomodo non erit ſtabilius regnum peccati, quam regnum gratiæ CHRISTI? Quomodo non maius erit Adæ delictum quam Chriſti donum? non maior prioris Adæ tranſgreſſio, quam ſecundi inſtauratio? non grauius peccatum quam ut morte Chriſti potuerit expiari?

Sed abſit tanta in Chriſtum blaſphemia. Non enim ſicut peccatum, ita & donum (ait Apoſtolus). Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſticiæ accipientes, in uita regnabunt per unum Ieſum CHRISTVM. Abundantiam non dicimus niſi comparatione eius quod exceditur. Si gratiam, ſi donationem, ſi iuſticiam non accepimus maiorem quàm erat peccatum illud, quæ eſt iſta abundantia? Si gratia, donatio & iuſticia peccatum nondum abſorbuerunt, quomodo ſupra peccatum abundant? Aut potius, quomodo non iaceant infra peccatum & ab eo ſuperentur? Ideo Chryſoſtomus in hunc Apoſtoli locum ſic ſcribit: Hic non dicit (intellige Apoſtolus) gratiam accipiunt, ſed exuberantiam gratiæ. Nõ enim ſolummodo tantum accepimus ex gratia, quantum ad ſublationem peccati opus habebamus, ſed multo plus. Etenim & a pœna liberati ſumus, & maliciam depoſuimus omnem, regeneratique ſumus é ſupernis, reſurreximus uetere ſepulto homine, redempti ſumus, ſanctificatiq; & in adoptionem filiorum Dei inducti ſumus, iuſtificati quoque, & fratres facti ſumus, cohæredeſque unigeniti, imo & eiuſdem cum illo corporis, inque carnem illius cenſemur, & quemadmodum capiti corpus, ita illi coadunati ſumus. Quæ omnia exuberantiam gratiæ uocauit Paulus, oſtendens quod non ſolum æquiualens uulneri pharmacum acceperimus, ſed & ſanitatem & pulchritudinem, honorem quoque & gloriam. Et in ſumma, dignitates naturam noſtram multum tranſcendentes. Erat autem unumquodque iſtorum per ſe ſufficiens ad diſſoluendam mortem. Quum uero omnia ſimul concurrere uideantur, iam deinceps illius, neque ueſtigium aliquod, neque umbra poterit apparere, eo quod funditus ſit omnino deleta & obſcurata. Hæc Chryſoſtomus.

Gratia Chriſti maior eſt omnibus peccatis.

I nunc Bucer, & fac ſpiritum ſanctum, contra omnium patrum

sentētiam, contra uerę scripturæ sensum, uesaniæ tuę authorem. Persuade nobis quod Apostoli, quod sancti patres & Ecclesiæ doctores omnes hucusq; ignorarunt, spiritum sanctum tibi suggessisse. Idolum peccati, quod tibi finxisti, quo superbiæ & incredulitatis tuæ spiritus te fascinauit, fac illuminatiōem esse spiritussancti. Atque interim uociferatur pfidus, Coloniēses esse calūniatores: *Non, inquit, religiosæ cēsuræ, sed irregiliosæ calūniæ ab eis dictæ sunt.* Negat (quod obijciunt Colonien.) se extenuare gratiam baptismi, & casum Adæ Christi meritis facere grauiorem. Præstigiator, quod omnium maxime agit, se negat fecisse. Volo autem audire, quomodo non extenuet gratiam baptismi, qui peccatum, pro cuius elutiōe baptismus institutus est, negat p baptismum elui? q relinquit in baptizato, quod baptismi gratia nequeat auferre? Volo audire, quomodo peccatum Adę non sit grauius redemptione Christi, si pro eo mortuus est Christus, & nō potuit ipsum sua morte extinguere. Si Christus mortuus est semel ad multorum exhaurienda peccata, ut ad Hebręos dicitur, & nondum ne unius quidem hominis peccatum paternum exhausit? Si uirtus obedientiæ suæ, non potuit auferre inobedientię liuorem? Secundum Bucerum Mortuus est Christus: & peccatum pro quo mortuus est, uiuit. Christus morte sua uoluit peccatum exhaurire, & secundum eundem nondum est exhaustum: & sunt calumniatores qui dicunt Bucerum baptismi & mortis Christi uim reddere infirmiorem peccato, quod auferre cum uelint, nō possunt.

Respondetur Bucero quęrenti de calumnia Coloniensum.

Bucer extenuat Christi passionem & baptismi gratiam.

Sic quod eidem obijciunt Colonien. Augustinum ad Bonifacium, non putat Augustinum sibi obstare, quem ad se rapit. Habet autem Augustinus ita: dicimus baptisma dare indulgentiā omnium peccatorum, & auferre crimina, non radere &c. Bucerus autem: *Neque nos* (inquit) *dicimus peccata in baptismo remissa, iterum sicut abrasos capillos crescere, qua similitudine Pelagiani ueritatem Christi de peccato originali deridebant.* Præclare scilicet, quasi iam faciant cum Augustino q̄d non dicant radere, sicut Pelagiani impij illi Augustino imponūt. *Cur radatur enim*

 quod

quod manet peccatum? O sophistam. Sic faciet & nos (si dijs placet) secum sentire. Quid igitur Bucer, quando non dicitis, abradi peccata, an hoc ipsum dicitis quod Augustinus? Non profecto: Cum Augustinus dicat baptisma auferre crimina. Quid igitur? nisi quod etiam execrentur Pelagiani, Baptisma neq; auferre neq; radere crimina dicitis. Atqui istud non est Augustinianũ. Sic multo magis q̃ Pelagiani ab Augustino dissentitis. Pelagiani credebant quod Ecclesia, baptismo omnia peccata auferri. Idem fatebatur Augustinus: uerum cum doceret manere in carne concupiscentiam, in se quidẽ nullam habentem peccati rationem, sed tamen quæ peccata subinde germinaret, Iulianus episcopus Pelagianorum, uolens Augustinum insimulare falsę doctrinę, quasi contra Ecclesiam doceret, peccata nõ perfecte ablui, sed quasi abradi, ut iterum renascãtur, scribit August. dicere, Baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne retineantur. Cui calumniæ Augustinus occurrẽs, totam hanc sententiam conuertit, atq; ita ad Bonifacium rescribit: Quis hoc nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma dare omnium indulgẽtiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omniũ peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata &c. Te uero rogo Bucer, Tun ita Pelagiano respondisses? Non opinor. Quid autem? manet, sed non imputatur. Quod si audiat Augustinus, dicat: Quis istud nisi infidelis affirmet? Adeo uult excindi & eradi peccatũ, ut abradi uel demeti non patiatur. Ergo tam absurda est hæresis tua, ut eam damnent simul & hęretici Pelagiani & catholici. Si non est catholica sententia, si absurdum est credere, ita tantũ auferri peccata ut maneant radices, q̃ absurdum quamq; alienum est à fide orthodoxa, credere omnino non auferri.

Nimis absurda Buceri hæresis.

Hic uide Lector Christiane, quum Bucer & Philippus tam multũ tribuant suæ fidei iustificanti, q̃ iniqui sint in Christum & eius sacramenta? Docent oĩa peccata remitti, hominẽ iustificari, & ilico sanctum esse, ubi cogitata misericordia dei, crediderit sibi peccata oĩa propter Christum gratis remissa. Et tamen peccatum originale in

Heretici maiorem faciũt suam fidem q̃ dei uerbũ.

quod

quod neq; uolentes, neq; ulla nostra opera, sed tantum aliena culpa miseri incidimus, non sinunt per Christum auferri. Omnis propria malicia istis leuis est, & sacrilegia, & incæstus, & quicquid ubiq; est uiciorum, omnia tantum si credas, portat Christus. Et hic ubi alieno malo succumbimus, ubi nihil per nos patratum est, neq; sacramenta Christi, neq; fides quæcunq; satis purificant. Hic nos incurabiles sumus. Hic Christus impotens & fragilis est. Hic necesse est peccatum manere. Quę aures ferant tantam blasphemiam? Quo corde (ut uerbis quibus Augustinus Pelagianos uos alloquar) quo ore, qua fronte, à peccato originali baptizatos negatis liberari, cum Christum ꝑ huiusmodi peccato mortuum non negetis? Si non est pro hoc peccato mortuus, ut quid infantes nullum aliud peccatū habentes, baptizantur? Si autem & Christus pro hoc peccato mortuus est, & paruuli propter hoc peccatum in mortem ipsius baptizantur, quomodo per Christi mortem peccatum illud non deletur? Qui dicitis, peccatum tametsi maneat, baptizato non imputari idq; sufficere, inconuenientia scripturæ loquimini. Apostolus enim ita peccatum mori testatur in baptismo, sicut Christus mortuus est in cruce. Vetus (inquit) homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. Item an ignoratis, quod quicunq; baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus? Itē si mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? Quæro aūt ex uobis: Nū & Christus imputatiue & non uere mortuus fit? Si ille uere mortuus est, quomodo non uere mortuum est peccatū, pro q̄ mortuus est? quomodo illud solū imputatiue potuit mori? An facilius erat, mori dei filium, quàm serui peccatum, ut istud imputatiue in cruce, ille uere moreretur? Aut ergo, fateamini uere mortuum & ablatum peccatum, aut negate Christum pro eo uere mortuum. Nam si uere mortuus est, & non impetrauit peccato mortem, frustra mortuus ē.

Figmentū de imputatiōe.

Quorsum autē toties ingemināt, Omnes pios propter hoc peccatum perpetuo pœnitere, ac semp orare eius remissionem, cum fateant non imputari? Ergo ne oratis remissionē etiā eoꝝ peccatorū, quę non imputantur? Ergo nondum sunt remissa, quæ non imputantur? Et quid iuuat non imputari, si adhuc remissio est necessaria?

Absurda sententia, petēdam remissionem eius quod non imputatur.

Scilicet hic plus tribuunt suæ orationi q̄ baptismo Christi. Nam baptismus hoc solum eis præstat, ne peccatum imputetur. Oratio autem ut dimittatur.

In labyrintho errant hæretici.

Quo tandem quæso euadent isti insaniæ? Sed arbitror tanquam in labyrintho quodam inuolutos & palantes, non uidere hæresum suarum exitum, & sæpius quid dicant, aut ignorare, aut non animaduertere. Strennuus ille orthodoxę fidei assertor Hylarius, in euangelium Matthæi (ait:) Vbi peccatum non est, remissio quoque eius est ociosa. Iam ostendimus in baptizatis nihil remanere peccati, quorsum ergo petitur remissio? Ita beatus Augustinus ad Bonifacium lib. 1. contra ij. epistolam Pelagianorum disertis uerbis ait: Nec propter concupiscentiam, cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione baptizati, Dimitte nobis debita nostra, sicut & non dimittimus debitoribus nostris. sed propter peccata quæ fiunt &c. Et interiectis aliquot uerbis, Illud sane quod in oratione sequitur, propter ipsam dicitur, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Vnusquisq; enim sicut scriptum est, tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, Hæc Augustinus.

Iacob. 1.

Hæc pro defensione, non tam Vniuersitatis & Cleri Coloniensis, quàm doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ de originali peccato & eius remissione aduersus nouas & ueteres hęreses dicta, uelim Lector Christiane, ut ad uerbum dei & scripta patrum orthodoxorum, qui ab exordio Christianismi Ecclesiam dei suis scriptis illustrarunt, conferas. Quibus si non diximus consentanea, & librum hunc & libri authorem quibus dignos duxeris fatis deuoue. Sin nos sacris scripturis consentaneas, ipsissimasq; patrum sententias explicuimus, & nihil nostrum obtrusimus: hæretici uero sua tantum commenta cōtra Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, corrumpendis pijs animis pro doctrina puriore uenditāt, si uerbo dei aduersantur, si ueritatem obruunt, si ueram pietatem uehementer offendunt, quur non publicam animarum perniciem prohibemus? Cur non impietatis magistros arcemus ab Ecclesijs? exibilamus? & in fauillas dispergimus? Cur perpetuum Germaniæ dedecus, adeo gloriæ pietatisq; paternæ im-


Arcendi hæretici.

memores

memores fouemus? Cur fluctuamus sicut paruuli, & à quouis uento doctrinæ circunferimur, in nequitia hominum, in astutia ad circunuentionem erroris? Fit quidem, ut quo quisq; generosior est animo, hoc sit minus suspiciosus, minusque in aliena malicia curiosus, donec tandem incautus & male credulus fallatur: Quod ipsum candidissimorum plerunque est uicium, sed humanum, nec uoluntate peruersa, nec fraude, nec malicia ulla constans. At é diuerso, est etiam ueræ nobilitatis generosa quædam ira, tum demum ac statim ubi se delusos senserint, aut fraudibus circunuentos, in impostores animaduertere, regerere in impietatem quod merita est, plebesq; suas, erroribus improborum hominum circunactas & ludificatas, ab illusionis iniuria uindicare: ut ego nihil ignominiæ, plurimum autem laudis putem contrahære Principes & Magistratus illos qui generositatis (ne dicam simplicitatis) suæ errorem iusta animaduersione in seductores, indole optima pessime abutentes, correxerint. Porro quum sit prorsus ignauum, detectas fraudes conscio fouere animo ac dissimulare, grauem sibi consciscunt ignominiam, qui lupos istos sinunt in plebibus quas seruare & à malis hominibus tueri debebant impune grassari, qui pessimis hominibus faciunt potestatem, bonitate sua per ludibrium abutendi, qui aut supini negligunt, aut meticulosi uerentur grassanti occurrere morbo, cauteriumq; adhibere. Ignauos enim & degeneres animos (ut ille ait) timor arguit.

Generosis animis non illuditur impune.

Quid ualeat Baptismus non credentium auferri peccatum originale.



Vidam in germania Principes & Magistratus, existimant se probe & utiliter consulere tranquillitati publicæ ciuium suorum, si aduersum leges & iura, in gratiam authorum nouę sectę protestentur, si religionem ueterum, nouæ, in quam opinantur populum esse procliuem, permutent, si perniciosa libertate, faciant omnibus omnia licere, si permittant cuilibet de doctrina fidei, de sacramentis, de cæremonijs, de bonis operibus, de ritibus Ecclesiasticis, de Clero & ecclesię ministris, pro cuiusq; arbitrio quid-

Nondum habet hæreticis permissa licentia finem.

libet statuere, introducere nouum baptizandi ritum, nouos fingere cathecismos, noua sacramenta, & plane aliam faciem religioni Christianæ induere. Hæc quidem est sapientia huius seculi, & carnis quędam prudentia. Sed heu quanta perturbatio tranquillitatem hanc breui consequetur, quantam ciebit serenitas ista calamitatem. Dominus in Osee ait: Ventum seminabunt, & turbinem metent. Et quid seminant nouatores isti præterq̃ uentum? Sic omnia eorum sunt fluxa, incerta, instabilia, nuper orta, & breui finienda, flatu populari strepentia, tumultuosa, uentosa, inflata. At uero quãtus hinc turbo eos maneat, quantaq; sit expectanda calamitas, si uolumus, non e longinquo, sed e proximo, non limis oculis inspicere. En hanc solă de peccato originis controuersiam. Peccatum illud a parentibus cõtractum, sola gratia Christi redemptoris per baptismum soluitur. Inducitur autem nouus quidam baptizandi ritus, prophanus admodum: neq; ab apostolis traditus, neq; a patribus receptus, aut in Ecclesiam transmissus & conseruatus. Qui nunc sunt puelli & infantes, nec possunt ante ætatem ipsi quomodo baptizari cupiant uel discernere uel proloqui, offerũtur hęreticis, huiuscemodi baptismo sine crucis Christi impressione, absq; exorcismis, absq; exufflatione contrarię potestatis, absq; chrysmatis unctione, & reliquis sanctæ Ecclesiæ catholicę cæremonijs, baptizandi. Quo certe pacto nemo catholicæ unitatis & fidei sectator uelit baptizari. Olim autem ijdem rationis facti compotes, quando uidebunt catholicum baptisma certis mysterijs & consecrationibus in Ecclesia celebrari, ubi legerint apud patres ueteres, quid apostoli, quid eorum proximi successores, quid Ecclesia primitiua martyrum, quãto religionis cultu obseruauerint, & Ecclesiæ succedenti uelut hæreditario tradiderint in baptismo possidendum & obseruandum, cognoscentq; ea omnia quando baptizabantur circa se neglecta, quas putas uersabunt cogitationes? In quãtam animi conijcientur perturbationem? Num putas tantæ pietatis iacturam æquanimiter laturos? Siquidem hoc fecerint, parũ erũt Christiani. Qui uere Christianus erit, iugi torquebitur animi dolore, semper sibi ob hæc displicebit ipsi, semper queretur de spolio charismatum diuinorum, semper accusabit, semper detestabitur eos, qui

Baptismum hæreticorum qualis.

Ab hæreticis baptizati nũquam securo sunt animo.

& omnium ignarum & innoxium, hęreticis potius & schismaticis, q̃ ueris Ecclesiæ catholicę ministris initiandum tradiderunt. O iniurias dicet & o fraudes. Cognosco me infantem perlatum extra Ecclesiam, ut pollutis baptizarer manibus, ut ore hęretico Christo nuncuparer. Quid coegit? Quæ fuit necessitas apostolicos ritus negligere? Ecclesiam Dei uiuentis (quæ est corpus Christi) noua discordia ꝑscindere? Non ignorabit quidem cęremonias non requiri necessario ad baptismi substantiam, sed non poterit ob id exorcismos, quibus abiuratur diabolus, cõsignationes, mysteria, benedictiones item, & amplioris gratię non uana sacramenta, quibus nulla necessitate fuit exclusus, uilipendere. Quoniam cęremonias pietatis si potest contemnere impius, pius non potest, quem certe iuuat primis rudimentis catholicę obseruantię, etiam in infantili ętate imbutum fuisse.

Fabulentur hic aduersarij quidlibet: quod diximus mens nostra loquitur, omnes conscientiam huius rei testem in nobis circunferimus. Quid prodest aut quid confert alijs polliceri securitatem, quando nostra in nobis conscientia sentit diuersum? Et certe quibus aliud uidetur, uim pietatis parum habent exploratam. Qua de re extat apud Eusebium Ecclesiasticę historię libro septimo memorabile exemplum, ex epistola Dionysii Alexandrini episcopi, ad beatũ martyrem Xistum Romanum pontificem, qui persequutione Deciana pro confessione nominis Christi passus est: Erat (inquit) apud nos frater quidam fidelis, antequã ego episcopus ordinarer, is cum interesset his qui baptizantur, & audiret quid interrogarentur, & quid responderent, flens accessit ad me, & procidens ad pedes meos, confiteri cœpit se baptisma ab hęreticis aliter suscepisse, quod tamen secundum ea quę nũc uideret a nobis ministrari, nec baptisma duceret, eo quod esset repleta blasphemijs omnis illa confessio. Simul & hoc addebat, se in tantum pro hoc errore stimulari, ut ne oculos quidem ad deũ auderet erigere. Propter quod exorabat se mundari & purificari Ecclesiastico baptismate, ut & gratiam posset cõsequi spiritussancti. Quod ego facere ausus non fui, sed dixi, posse ei sufficere tam multi tẽporis comunionẽ, quã in Ecclesia cõsequutus est, per hoc q̃d à nobis eucharistię suscipiens donũ, r̃nderet Amẽ, ex quo & per singula

Notandũ historia de his qui ab hæreticis baptizãtur.

potuisset ipsa sacramentorum uirtute purgari. Cohortabar igitur eum, debere confidere fidei suæ, & conscientiæ iam purgatæ, & ante omnia, quod tamdiu in sacramentis nobis iam particeps fuerit. Sed ille, neq; à luctu cessat & lachrymis, neq; ultra ad mensam dominicã audet accedere, ita ut uix à nobis cohortatus & compulsus orationi audeat interesse. Hæc scribit Dionysius, à Romano pontifice, ne ipse forsan in aliquo fallatur, poscens consilium, & sententiam quam sectetur. Errant quotquot melius aliquid de his qui modo ab hæreticis baptizantur expectant, quibus facilius accident maiores intolerabilioresq; animorum cruciatus, quàm ut possint unquàm fiduciæ erga deum bona & integra esse. Et si quid aliquando in religione patientur, aut tentationis, aut dubitationis, aut hostilitatis, aut tepiditatis, totam culpam in baptisma suum conijcient, non sine desperationis metu, quo uix raro liberabuntur. At ita diuexatis, tum eximant prudentes illi offensæ conscientiæ scrupulos, si possunt, eant, & ciues suos inuita mentis eorum conscientia, iubeant quieto, tranquillo & læto coram deo esse animo. Quanquã argumentum est boni alioqui spiritus, neglectæ pietatis solacium, ægre admittere: Contra uero mali spiritus certissimum indicium est, securus pietatis contemptus.

Quãta perturbatio, quantaq; trepidatio sequatur baptisma impiorum.

Constat quidẽ baptismi ueritas etiã sine cæremonijs, ut sit sacramẽtum remissiõis peccatorum, & adoptionis filiorũ dei. At uero ut baptizatus consequatur gratiã maiorem, perfectioreq; spiritus sancti innouationem, proficiunt nonnihil inuocationes, benedictiones sacerdotales, & reliquæ cæremoniæ: signa quædã gratiæ eius quæ uel confert uel petitur, nunquã ob id à patribus temere neglectæ: spiritus enĩ sanctus dat secundũ mensurã fidei & donatiõis Christi, ut alij plus alij minus ex eo suscipiãt, minimũ uero, ubi q̃ minimum fuerit pietatis. Hinc B. martyr Cornelius Romanus põtifex, Eusebio in Ecclesiast. histo. teste, prodididit in quadam epistola ad Fabianum Antiochenum episcopum, Nouatum authorem hæresis Nouatianorũ, spiritum sanctum non promeruisse, propterea, quod baptismum ad extremam usq; necessitatem cum de uita desperaretur distulisset, quando neq; solennes cæremoniæ poterant in baptismo seruari, neq; ille chrismatis signaculo consummari.

Quid prosint in baptismo cærimoniæ.

Verum

Verum modicus est hic turbo, si turbulentissimam illam de baptismo hæreticorum quæstionem huc reuocemus. Quæ iam inde ab Ecclesię initio multas dubitationes peperit, nec tamen hucusque scrupuli omnes inde prognati ad unum sublati sunt. Quotidie quoq; suboriuntur nouæ hęreses, ut sit nouis inuentionibus repertis, aliter atq; aliter de eorum baptismo constituendum. Quoties enim uariatur quæstio, uarietur necesse est & responsio, si uolumus ad interrogata apte & dilucide respondere.

Dubitatio de baptismate hæreticorū.

Canon apostolorum xlvi. iubet baptizare impiorum baptismate pollutos. Concilium quoq; Nicænū baptizatos à Paulianistis & Cataphrigibus. Beatissimus martyr Cyprianus cum cōcilio unius & septuaginta episcoporum Aphricæ, Numidię, & Mauritanię, uno omnes ore definiebant hæreticorum intinctionem non esse uerum baptisma, nec conferre homini ad salutem, & ob id uenientes ab hæreticis ad Ecclesiam, censebant debere baptizari: non uero proprie rebaptizari, quod id in contumeliam baptismi & sanguinis Christi fieret, si prius illud erat baptisma uerum. Atq; hanc sententiam nō temere aut de suo capite primum finxerunt. Sed ut est uidere apud B. Cyprianum in epistolis ad Iubaianum & ad Pompeium. Itemq; in actis synodi illius, accepta fuit ab Agrippino quondam Carthaginensi episcopo, qui cum cæteris Aphricæ episcopis, ita senserat. Et forsan extiterat hęc eadem opinio etiam ante Agrippinum. Nec abhorrebat a sacris scripturis, quas pro ipsius comprobatione B. Cyprianus plurimas adducit. Quanquam non usq; adeo, uel optime intellectas, uel ad tanti negocij definitionem sufficientes.

Quid de hæreticorū baptismate quidam senserint.

Contra uero, Cornelius, Lucius, & Stephanus pontifices Romani, totusq; Oriens & Occidens, cum sentirent uerum esse omne baptisma, quod in confessione S. trinitatis exhiberetur, nec posse idipsum ullius hominis uel malicia uel incredulitate contaminari, sententiam diuersam damnauerunt. Neq; id sine sacræ scripturæ testimonijs. Quum baptisma quod confertur in nomine trinitatis non sit Cephę baptisma, uel Pauli, uel Apollus, aut alterius cuiusuis hominis, sed eius tantū de quo ait scriptura, Hic est qui baptizat, q est testis fidelis & uerax, etiāsi decies occinat Lutherus, Sacramēta nouæ legis

Alia sentētia uerior.

 non

non conferre gratiã, aut licet sint omnes hoies falsi & mendaces, ut ueritatem Dei nequeat humana falsitas opprimere, aut fidem perfidia expugnare. Vicit uniuersalis Ecclesiæ sententia Synodũ Aphricanam, nec particulare Conciliũ inuitum cessit orbi reliquo, episcopis earundẽ prouinciarũ salubri informatione accepta, sententiam suam emendantibus, in Concilio Carthagineñ. primo, q̃ Syluestri tẽpore super hac controuersia finienda coierat. Sed & B. Augustinus pro hac sententia magna & disertissima uolumina cõscripsit, præsertim septem illos libros, quos de baptismo contra Donatistas edidit, quibus accurate & ingeniose refellit omnia, quibus prior sententia potissimum nitebatur. Stat ergo Ecclesiæ uniuersalis sententia, stat ueritas immota, etiam hæreticos uere baptizare.

An oẽs hæretici baptizẽt

Sed an omnes uere baptizant? Multæ sunt & uariæ discrepantes sectæ, quæ omnes uno nomine censentur hæreticæ. Ergo ne quotquot sunt hæretici: Ebionitæ, Valentiniani, Marcosij, Cerdoniani, Marcionitæ, Montanistæ, Samosateni, Photiniani, Manichæi, Arriani, Eunomiani, Eutichiani omnes ex æquo sicut catholici uere baptizant? Ergo ne diuisus est Christus? Ergo omnes uere dicunt, Ecce hic, Ecce ibi, aut in diuersorio est? Ergo ne in tot hæresum, quibus CHRISTVS laceratur discordia, est quædam ista concordia? Minime. Sed sunt qui uere baptizent, sunt item qui nõ.

Non oẽs hæretici baptizant.

Nouatiani, Origeniani, Melitiani, Donatistæ, Iconomachi, haud dubiũ baptizant. Quis autem tam demẽs est, qui credat uerum esse baptisma, quando Eunomiani ridiculo spectaculo capite deorsum, pedibus in altum sublatis mergunt homines, uerbis quæ Ecclesia non nouit? Aut quis Marcianos, Marcionitas, aut Valentinianos ferat prodigiosis somniorũ suorũ incantamentis in Christũ baptizare? Quis item Paulum illum Samosatenum? quis Ebionem? quis Cerinthum, aut alios sanctæ trinitatis & domini nostri Iesu Christi abnegatores dicat uerum habere baptisma? Itaque soli baptizant, qui formam rerum & uerborum, a Christo institutam retenant.

Qui baptizent.

Qui uero autres mutant, aquæ loco, uino aut alio quopiam liquore utentes, aut uerba quibus docuit Christus baptizare, uel

quibus

quibus apostoli de Christi uoluntate certi, sunt usi, nequaquam baptizant. Docuit enim CHRISTVS baptizare in nomine patris & filij & spiritussancti, Matthaei ultimo. Sed tamen etiam in nomine IESV baptizarunt apostoli, Actuum primo, octauo & decimo.

Canonū quorū supra fit mentio uerus sensus.

Proinde non licet baptizare rebus aut uerbis a Christi institutione diuersis. Hinc arbitror emanasse Canonem apostolorum, qui iubet denuo baptizare eos, qui fuerāt impiorum baptismate polluti: ubi impios sine dubio significat eos, qui Christi institutionem contraria traditione peruertebant. Canonem quoque decimumoctauum magnifillius Nicaeni Concilij, qui habet: Si quis confugit ad Ecclesiam catholicam de Paulianistis & Cataphrygibus, statutum est rebaptizari eos debere: cum tamen de Nouatianis, non idem in eodem Concilio constituatur, sicut Canone octauo satis patet. Similis est Gregorij Magni constitutio, quae legitur in Decreto de consecratione, distinctione quarta: Hi uero haeretici, qui in trinitatis nomine baptizant, quales sunt Bonosiani & Cataphrygae, quia & illi Christum dominum non credunt & isti spiritum sanctū peruerso sensu esse quendam prauum hominem, Montanum credunt, quorum similes multi sunt alij. Tales cum ad sanctam Ecclesiam conueniunt baptizantur, quia baptisma nō fuit, quod in errore positi sanctae trinitatis nomine minime perceperunt. Vnde tēpore Constantini magni, & Syluestri primi, non longe post Conciliū Nicaenum, in Arelatensi orthodoxo Concilio, hoc modo sancitum est: De Arrianis, qui propria lege sua utuntur (ut rebaptizentur) placuit. Si ad Ecclesiam aliqui de hac haeresi uenerint, interrogent eos nostrae fidei sacerdotes symbolum. Et si peruiderint in patre & filio & spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponant ut accipiant spiritum sanctum. Quod si interrogati non responderint hanc trinitatem, baptizentur. Relata est haec constitutio in Decretis, de consecratione, distinctione iam dicta. Hinc consonat Pelagij Canon, Si reuera, qui ibidem legitur, decernitque quod illi qui tantum in nomine domini baptizati sunt, debeant sine dubitationis ambiguo ad catholicam fidem uenientes in nomine sanctae trinitatis baptizari.

Arelatense Concilium.

Si uero in nomine trinitatis baptizati fuerint ab hæreticis, reconciliari debent Ecclesiæ Catholicæ.

Pulchre ergo beatus Innocentius eius nominis primus Romanus pontifex, hæreticorum baptismata discreuit. De Paulinianistis, inquit, uenientes baptizari præcipiuntur. Nunquid nam cũ de Paulinianistis iubent Canones, omnes qui ab hæreticis reuertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipsis tantum esse præceptum, ratio ipsa demonstrat, non de Nouatianis. Quia Paulianistæ in nomine patris & filij & spiritussancti, minime baptizant, & Nouatiani ijsdem tremendis, uenerandisque nominibus baptizant, nec apud istos de unitate potestatis diuinæ, hoc est, patris filij & spiritussancti, quæstio aliquando mota est, & ideo omnibus hæresibus segregatis, sola electa est cui istud crederent concedendum, quia nihil in patris & filij & spiritussancti sacramento peccarent. Si ad eundem modum Beatus Cyprianus quoque & Aphricani episcopi sententiam suam de baptismo hæreticorum fuissent moderati, omnimo recte censuissent. Siquidem non est uerum baptisma, quod in nomine alio quam sanctæ trinitatis, aut domini nostri Iesu Christi confertur, quomodo hæretici, blasphemi illi, aut Christi incarnationem, aut eius diuinitatem, aut trinitatis æqualitatem oppugnantes faciebant. Nunc uero beatus Cyprianus cum collegis suis episcopis, eadem censura perstringit etiam illos, qui nullo in baptizando errore, uerbis Christi & apostolorum utebantur. Respexerunt fortasse uiri illi in sacros Canones, eos qui damnant hæreticorum baptismata, non animaduertentes hæresum differentiam, nec secernentes hæreticos ab hæreticis. Ante Cyprianum fere quotquot erant hæreses, impingebant in deitatis naturam, ob id omes blasphemi in Deum: uti de Valẽtinianis, Samozatenis, Ebionitis & alijs quibusdam constat, ad quos cum putarent hæreticos omnes æstimandos, improbabant simul & Nouatianorũ baptisma, qui sua ætate primum orti sunt: cum tamen horum præcipua hæresis esset, quod lapsis negabant ueniam. Cæterum de fide trinitatis & Christo, recte & catholice docebant.

Baptismatũ discretio.

Quid B. Cyprianum fefellit.

Perspicuũ est igitur, hoc solũ esse uerũ baptisma, à quouis etiam ho

mine tandem administretur, quod recta intentione confertur sub appellatione sanctissimæ trinitatis, aut nominis Christi, ut non referat (quod ad baptismi ueritatem attinet) hæreticus sit minister an scismaticus, Iudæus, an paganus, quod perinde habetur. Omnes enim isti baptismi substantiam tam parum perimunt, quàm Christi institutionē, cui nullius hominis siue malicia, siue perfidia potest uires derogare. Propterea dicit beatus pater Augustinus cōtra Donatist. libro iiij. cap. xij. Cum baptisma uerbis euangelicis datur, qualibet ea peruersitate intelligat ille, per quem datur, uel ille cui datur, ipsum per se sanctum est, propter illum cuius est. Item cap. xv. Satis ostendimus ad baptismum q̄d uerbis euangelicis cōsecratur, non pertinere cuiusquam dantis uel accipientis errorem, siue de patre, siue de filio, siue de spiritu sancto aliter sentiat, q̄ cælestis doctrina insinuat: relatumq; est istud eius dictum in decretis, de Consec. dist. iiij. Et iterum cap. xvij. Potest nobis & hæreticis baptisma esse commune, cum quibus potest & euangelium esse commune: quamuis à fide nostra error distet illorum, siue aliud de patre, uel de filio, uel de spiritu sancto sentiant quàm ueritas habet, siue ab unitate præcisi, non colligant cum Christo, sed spargant. Cui astipulatur responsio Nicolai papæ ad consulta Bulgarorum, q̄ & ipsa decretis loco iam dicto inserta est, ubi ita loquit: A quodā Iudæo nescitis utrū Christiano an pagano multos in patria uestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctæ trinitatis, uel tantum in nomine Christi baptizati sunt, quia non illorum, sed eius est baptismus, rebaptizari non debent. Sic docuerunt & reliqui patres orthodoxi, ipsaque Ecclesia quæ baptismi possessionem, ubicunque locorum sit, sibi uendicat.

Ad ueritatem baptismi non refert qualis sit minister.

Quæ fides requiratur ad baptisma.

Nec obstat dictis, q̄d baptismus nequeat constare absq; fide (utpote fidei sacramentum præcipuum) quodq; omnia sacramenta ipsi fidei potissimū innitant, sine qua sunt mortua, ociosa, sterilia & prophana. Hoc enī non de priuata unius cuiuslibet dantis uel accipientis fide dictum intelligitur, sed de fide cōmuni Ecclesiæ Catholicæ, quæ etiā paruulis, rudibus, infirmis & imperitis, participatione quadam suffragatur, propter cōmunionem quam in uno corpore per

t baptismum

baptiſmum omnes habemus. Huius communis omnium fidei, nō uero tuæ ſolius, aut huius, uel alterius fidæi priuatæ & imperfectæ, baptiſmus eſt ſacramentum. In hac fide ualet baptizatio, etiam cum baptizat is, qui nullam fidem habet, Ethnicus aut Iudæus: ut ſi quis dicat, Ego quidam Iudæus ſum, & nullam credo baptiſmati uirtutem ineſſe, cum credant autem uani Chriſtiani ſe per baptiſma ſuum ſaluari, in illa eorum fide, baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Hic baptizans reſpicit non in ſuam incredulitatem, alioqui ab opere abſtineret, ſed in Eccleſiæ fidem, per quam non eſt ſterile aut ocioſum ſacramentum: hic enim agnoſcit Eccleſia quod ſuum eſt, & Chriſtus inſtitutioni ſuæ ueraciter adſtat.

Quō infideles in fide Eccleſiæ baptizent.

Quid autem ſi neque fides Eccleſiæ, neque priuata ulla habeatur, aut ſi baptizet Turca Turcam, Iudæus Iudæum, nullius fidei reſpectu, nec item quod uelint fieri Chriſtiani, aut quia Chriſtiani ita baptizantur, ſed alia qualibet de cauſa, ubi curioſitate aliqua baptizandi ritum didicerint. An & hic uerus peragitur baptiſmus? Hic ego (donec aliud docear) auſim affirmare nullum eſſe baptiſmi ſacramentum. Non enim ſtatim quæuis lotio facta cum appellatione ſanctæ trinitatis eſt ſacramentum. Alioqui chyrurgi, quando uulnera (ut fit) abluunt, in nomine ſanctæ trinitatis, aut in nomine CHRISTI (ſic enim ueteres Chriſtiani ad ueſtes, ad caligas, ad tunicas, ad manuum mundationem, ad cibum, ad potum, omneſque actiones (teſte Tertulliano) nomen Chriſti inuocabant, id quod facere præcipit Apoſtolus ad Coloſſenſes tertio) aut quando lauant inuicem in balneis, aut ſi forte alter alterum ferat in fluuium, aut extrahat cum inuocatione trinitatis, baptiſmus eſſet aut rebaptizatio: quod arbitror neminem facile conceſſurum. Sicut nec olim habebatur pro circuncifione uera, ſi cui Ethnico pellicula præputij ob uicium forte aut putredinem præciſa fuiſſet, aut modo, ſi cauſa ſimili circuncidatur Chriſtianus.

Non oīs lotio cū inuocatione trinitatis eſt baptiſma.

Beatus Auguſtinus non audet affirmare uerum eſſe baptiſma, quando ſolum imitatione Eccleſiaſtici ritus, alter alterum per ludū baptizat, libro ſeptimo contra Donatiſtas capite quinquageſimotertio. Cum

tio. Cum dixisset enim, absque aliorum præiudicio quid sibi uideatur sentiendum, quando uerbis euangelicis ubicunque, & a quibuscunque, sine simulatione, & cum aliqua fide, baptismus accipitur, statu mutato, subdit: Vbi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre & mimice, & ioculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelatiōis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici deuotione gemitibus, implorandum esse censerem. Ac mauult Augustinus hic aliorū expectare sententiam, quam cum præiudicio aliquid definire.

Non queuis circuncisio præputij est legalis.

Quid sentiendum ubi p ludum qs baptizatur.

Quod autem legitur Ecclesiasticæ historiæ libro decimo de Alexandro, Alexandrino episcopo, qui cum uidisset pueros in litore maris ludentes, imitari episcopos, & mystica quædam gerere, compræhensosque iussisset sibi adduci, & facta inquisitione, comperisset eos ab Athanasio principe ludi catechumenos factos & baptizatos, interrogatos item singula quæ solent rogare episcopi, pro fide sua respondisse, cognouissetque omnia secundum religionis nostræ ritum peracta, communicato cum Clericis suis consilio, statuisse traditur, illos quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua infusa fuisset, rebaptizari non debere. Non probat quemlibet ludum lauatorium esse uerum baptisma. Hic certe non dubitasset Augustinus, quod fecit in aliis, pronunciare, uerum fuisse baptisma, ubi pueri non erant plane pueri, seu rem moliebantur supra ætatem & prudentiam suam, quem tamen serio ac præter iocum gerebant, non aliter quam si tota humeris eorum incubuisset: Sic interrogabant, sic respondebant, sic catechizabant, & omnia episcopi munia diligenter obibāt. Si possunt autem adolescētuli serio dicere orationem dominicam, inuocare deum, profiteri symbolum fidei, discernere inter peccata & benefacta, hæc prosequi, illa fugere, cur ubi eo adoleuerint prudentiæ, qua sciant interrogare & respondere de pertinentibus ad baptismum, non queant etiam baptizare? Cur quod uident facere episcopum, nequeant & ipsi uelle peragere? Cum sit iuuentus præstātium & laudatarum pietatis acti-

An baptizēt pueri.

onum plerunque æmula. Erat ergo absque controuersia in pueris illis propositum quoddam, & intentio hoc faciendi in grege suo, quod in Ecclesia episcopus. Qui si ludum lusissent balneatorium, & non tale quiddam præstare gestiuissent, non Augustinus, non Alexander ille, non alius quisquam rerum theologicarum peritus, diceret eos uere baptizasse.

Quod in baptizāte requiratur intentio.

Tandem igitur quando non baptizat Iudæus Iudæum in Christianum, nisi succurrat intentio hoc faciendi, neque item ulla lotio quamlibet fiat cum inuocatione trinitatis, euadit in baptismum, nisi huc per intentionem & propositum uoluntatis dirigatur, fit manifesto manifestius, quod om̄is theologorum schola hactenus docuit, ad baptismum conferendum, necessariam esse baptizantis intentionem: sicut olim in ueteri lege, ad ueram circuncisionem necessaria erat intentio, in fidem quæ tunc reuelata erat circumcidendi. Quam sententiam si euangelij uerba diligenter ac fideliter expendas, satis indicāt, cum dicitur, baptizantes eos in nomine, &cæt. Vbi intentio actui coniungitur. Idcirco præscribitur non tantum actio, sed quo sit dirigenda adiectum est, Eos, inquit, in nomine patris, &c.

Quæ intentio sit necessaria.

Quam autem requirimus in baptizante intentionem? Non quidem (uti diximus) pro suo arbitratu baptizandi in fidem suam ipsius baptizantis: Cum baptisma non sit sacramentum fidei priuatæ, quam sibi quisque fingit, sed eius quæ est in CHRISTVM. Alioqui, si Turcę & Iudæi possent in fidem suam nos baptizare, iā dudum in Turcas uel Iudæos, non in Christum baptismo suo nos fascinarent. Hinc est apodixis illa celebrata, Nihil efficere eum, qui nitatur baptizando introducere errorē. Extat in Decretis de Consecratione, distinctione quarta, Canon Zachariæ papæ ad Bonifacium, Germanorum Apostolum: Retulerunt nuncij tui, quod fuit in eadem prouincia sacerdos, qui linguam Latinam penitus ignorabat, & dum baptizaret nesciens loqui Latine, infringens linguam, diceret, Baptizo te in nomine patria & filia & spiritua sancta, & per hoc tua Reuerendiss. sanctitas cōsiderauit, eos rebaptizare. Sed sanctissime frater, Si ille qui baptizauit non errorem introducens

cens aut hęresim,sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam,hoc baptizans dixisset,non possumus consentire, ut denuo baptizentur. Vides quomodo hic prauam intentionem (ut uerus sit baptismus)uelit à baptizāte exceptam? Proinde baptizans necesse est,ut hoc facere proponat quod facit Ecclesia,siue quod uoluit institutor baptismi Christus:Quæ intentio sufficit ad sacramētum,adeo ut si proponat Ethnicus facere in baptismo, quod faciunt Christiani,uere baptizet,nec sit impedimento error priuatus, secundum quem non baptizat. Non dedit enim Christus huic sacramēto ministrum proprium,sed quisquis est homo ,habet baptizandi potestatem:qua tamen nemini licet uti temere,sicut Marcionitę faciunt,cum dicat Apostolus:Non misit me deus baptizare sed euangelizare.sed cum aut pro officio pastorali incumbit alicui , aut permittit Ecclesia,nempe exigente necessitate , si tamen & hic & ibi adsit intentio seu propositum,hoc faciendi quod facit S.EcclesiaChristi, alias nihil habet talis ablutio cum baptismate Ecclesię commune. Cum sit enim baptismus catholicæ Ecclesiæ Christi sacramentum, quisquis baptizat, hoc ipso opere constituit se Ecclesiæ ministrum, quamuis forte ad Ecclesiam ipse non pertineat.Debet ergo tanquā minister hoc uelle peragere,atque hoc proponere faciendum quod Catholica Ecclesia,cui seruit,cuique ministrat intendit,etiam si ignoret quid nam illud sit,aut uanum esse opinetur.

Proba baptizantis intētio quæ.

Quibus demonstratis quod erat agendum, ad nostri temporis hæreticos reuertamur,ut quantus turbo tranquillitatem (quam sibi magistratus quidam)sectarum admissione male quæsitam pollicentur,olim sit quassaturus,concussurus & disiecturus,palam intelligatur. Arbitror tam stupidum esse neminem,qui sibi persuadeat, aut cui fiat probabile ,non maximas clades Reipublicæ Germaniæ impendere,non ingentes turbas Religioni Christianæ accessuras,si nō uere baptizant, quos baptizandis paruulis suis iam pleræque ciuitates præfecerunt.Insperatum est quidem aduersarijs, quod moueo. Sed tamen cum debeam operam meam omnibus,siue bene,siue male de fide sapientibus, pro meo in omnes homines, qui Christi

Quisquis baptizat secūdū Ecclesiæ intentionem, hoc ipso est Ecclesiæ minister.

dio connitentes. Qui sic? ut quærat aliquis. Respondeo, sola ad conferendum uerum baptisma, intentio recta est, ad hoc baptizare, ut baptizatus consequatur illud, quod institutor baptismatis Christus in eo confert. Quid conferat autem & donet, credunt Christiani, scire se putant hæretici, Ethnici ignorant.

Christiani ergo credunt & docent institutũ à Christo baptisma in ueram remissionem peccatorum, & adoptionem filiorum dei: sic uidelicet, ut peccatum primi Adam quod per generationem carnis contraximus, baptismate abluatur, deleatur, & prorsus tollatur, regeneremurq; per spiritum sanctum in filios dei, ut simus noua creatura in ipso, Ezechielis xxxvi. Effundam super uos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum. Item ad Titum iij. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum. Et 1. Corinth. vi. Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu dei nostri. Propterea prædicat Ecclesia, nos baptizari in mortem CHRISTI. Roman. vi. An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? ut per baptismum aspergamur ipsius sanguine. Hebræ. xij. & xiij. Item 1. Pet. 1. Nihil est enim aliud baptismus, quàm sanguinis Christi aspersio, quem effudit de latere suo in cruce, ut sanctificaret & mundaret nos lauacro uitæ. Ephes. v. Et lauaret nos à peccatis nostris in sanguine suo. Apocal. 1. Sanguis enim Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. 1. Iohan. 1. & destruit corpus peccati. Roman. vi. Hoc uolunt omnes ueteris legis purificationes, hoc cruentæ hostiæ, hoc aspersiones significant, hoc declarauit spiritus sanctus per prophetas omnes, hoc euangelistæ, hoc Paulus & cæteri apostoli docuerunt, hoc patres orthodoxi aduersus hæreses quascunq; constanter asseruerunt. Hoc sancta Ecclesia Catholica, per uniuersum orbem terrarum diffusa sem-

Catholicorũ fides & intentio.

per credidit. Ideoq; baptizauit paruulos suos, ut hęc dei benficia. Christi morte comparata consequi mererentur. Atq; hæc est Ecclesiæ fides quando baptizat.

Quo infideles intentionem baptizandi cũ Ecclesia habere queant.

Ethnici autem & infideles ista neq; norunt, neq; credunt, sciunt tamen Christianis esse persuasa, qui ea firmiter & credunt, & asseuerant. Proinde si forte interpellati ad baptizãdum in necessitate, uoluerint obsequi uotis implorãtium, baptizabunt in uota nostra, hoc ẽ, in Ecclesiæ fidem, quam ignorant: alias non uerę baptizabunt. Sed hęc satis dicta sunt nobis.

De intentione hæreticorum circa baptisma errantium.

Dispiciendum nunc est, quid proponant aut intendant hæretici baptizante. Quid intenderent, nisi quod docent? Quid docẽts nisi quod credunt? si tamen ex animi sententia docent. Docent autem ijs quæ Ecclesia credit, tradit & affirmat, plane contraria. Aiunt magnoque studio contendunt in baptismo non ablui, nec deleri, nec auferri peccatum originis, sed hoc tantum nos consequi, ne imputetur. Atq; hinc adeo negant uere expiatum peccatum, sanatum, & destructum Chri morte. Aiunt nos in baptismo nõ uere emũdari, nec uere iustificari, sed pronunciari tantum seu haberi iustos, non autem esse. Aiunt in baptizatis quàmdiu uiuunt, manere peccatum illud uere & secũdum propriam peccati rationem, quod efficiat nos æterna damnatione dignos, atq; adeo semper ignoscẽtia eius nobis opus esse, semperq; implorandam eius ueniam. Aiunt nos consequutos in baptismo, non innocentiam aut iusticiam, sed impunitatem. Aiunt remanens illud peccatum iusticia Christi, quæ in ipso, non in nobis est (nisi imputatiue, hoc est fictitie) cooperiri & tegi, adeoq; de Christo tegmen faciunt quo contegantur peccata uiua & uera, ipsumq; Christum nobis ceu laruam quandam, aut personam superinducunt, ut simus Christo nõ uere sanctificati, sed fucati, laruati & psonati. Et hoc putant esse quod iubemur induere dominum Iesum Christum Rom. xiij. Aiunt nos incorporari Christo, & spiritum sanctum accipere, tametsi maneat in nobis peccatum illud indefesse uiuens. Vt sint in uno eodemq; homine spiritus sanctus & spiritus nequam, ut sint membra nostra simul & peccati & Christi membra, atq; ita faciunt cohabitare simul Christum & Belial.

Errores quos baptismo suo inuehunt Buccerani.

Vides lector quanta sit dogmatum istorum contrarietas? Quod affirmat Ecclesia negant aduersarij,traduntq; plane contraria. Iam si formetur utrimq; intentio(ut fere solemus,secundum dogmata & fidem pugnantium partium)uides intentiones fore contrarias,ut necesse sit alteram cum instituto Christi conuenire,alteram aduersari. Vnam polliceri in baptismo peccati ablationem,alteram eius retentionem:unam baptizare in perfectam emūdationem,alteram in palliationem tantum:unam in ueram iustificationem,alteram in pnunciationem quandam uerbalem, rebus nullis subsistentem. Quando autem utrimque tanta pertinacia suam quisq; tuetur doctrinam, & neuter alteri quid donat,aut cedit de proposito,cui nō fiat probabile hoc potissimum unumquenq; intendere & spectare in baptizando, quod doceat fieri,quod uero pars affirmat contraria dānare,nec fere aliter uelle baptizare quàm in eum scopum? Quę si ita habeant, si necessaria est intentio,conciliet qui potest, tam conpugnantes intentiones,& tū demum dicat,utramq; posse baptizare in Christum. Quod si conciliari ob contradictiones non possunt,& ob id necesse sit alteram partium non uere baptizare, utri iustius censeantur non habere uerum baptisma.Ecclesia,an aduersarij? dijudicent quibus pmissum est de rebus dubijs in Ecclesia definire.

Vtrū eadem sit Catholicorum & hæreticorum in baptizando intentio & idem baptisma.

Hactenus sola Ecclesia possedit baptisma à Christo institutum,ab Apostolis & patribus quasi per manus traditum.Omnes in suam fidem & sententiam baptizantes, etiamsi peculiari errore priuatim tenerentur,censuit uerum contulisse baptisma,cæteros repudiauit. Si longæuum istud baptisma damnatur,iam fateri erit necesse,nullum omnino hactenus uerū baptisma extitisse:sed aut magna fraude occultatū,aut suspensum iā annos mille quingentos,quousq; nunc tandem per istos uere eius ratio traderetur.Tam nepharie autem & impie quis de Christo aut Ecclesia senserit,nisi simul annuat dominum Iesum , non Christum, sed pręcursorem fuisse, Christorum scilicet istorum,qui nunc tradant quæ tot seculis latuerunt,nec à Christo satis prodita sunt? Imo nisi fateatur Christi baptisma arrogans & licentiosum fuisse(quod dicens exhorreo)per hos uero moderatores intra suos limites coactum, aut potius nisi Christum & Apostolos fa

De baptismo Catholicæ fidei dubitari non potest.

teatur seduxisse nos promissionibus uanis: istos rigidam illam ueritatem seueriore disciplina modo tradere fidelibus.

Ignosce mihi lector Christiane & pie causam aduersariorum tam horrendis & blasphemis illationibus grauãti. Nihil enim præter meritum & causas facio. Si non arrogant enim sibi perfidi isti tale quippiam, cur dogmata ementiunt contra dogmata? Cur baptisma contra baptismum erigunt? Cur quod Christus abstulit, homini rursus imponunt? Cur mortem eius spoliant suo fructu, & pcium sanguinis fusi mercibus comparatis & emptis? Sicut unus est deus, ita una est fides & unum baptisma. Qui aliud baptisma adornat, alium quoq; deum ut fingat necesse est. Tu ergo aude dicere nouos istos baptistas, quando aliud moliuntur q̃ Christus, uerum habere baptisma: ego non temere ausim, qui confiteor unum tantum Deum, & unum tantum baptisma in remissionem peccatorum. Aliud quod peccata retineat, & hoc præstet ne remanentia imputentur, ignoro. Baptisma quod contra Christi baptisma introducitur, abominor & detestor, qui unicum credo ualere in sanguine Christi, emundante nos ab omni iniquitate, qui nec relinquit in nobis quod oderit, nec reseruat quod displiceat: quod, inquam, sibi dissimilia factus Deus, cũ oderit, dissimulet tamen & non imputet.

In promptu est quid de cæteris sacramentis, ubi similis accidat casus, Theologorum scholæ decernant. Qui inter Theologos plurimum tribuunt sacerdotali potestati (non enim apud omnes eodẽ amplificatur modo) ij asseuerant potestatem illam consecrandi corporis & sanguinis Christi, nulla hominum malicia infirmari aut amitti posse, quantumuis sceleratus & malus sit sacerdos, licet excommunicatus, aut forte degradatus, uel hæreticus, uel schismaticus, modo consecraturus sibi proponat hoc ipsum uelle agere, quod facit Catholica Ecclesia Christi, utaturq; rebus & uerbis ad consecrationem pertinentibus, ea quæ nos ad baptisma conferendum diximus baptizanti necessaria. Adeo prorsus exigunt in consecratione Ecclesiæ Christi intentionem, sine qua (licet alias plurimum tribuant sacerdoti) non pollicentur nobis uerum corpus & sanguinem Christi in altari. Idipsum tradunt & illi qui aliquanto minus huic potestati deferunt.

runt,& negant amissa fide sacerdotem consecrare. Nimirum una est omnium Theologorum sententia, Sacerdotē, cui non sit animo pręstitutum agere seu consecrare secundum catholicæ Ecclesiæ intentionem (quam habeat in uotis necesse est, etsi nonnihil ut fit distractis animis, in progressu forte remissam, nulla tamen intentione contraria dissolutam) licet uir sit alias bonus & pius, nihil efficere sua cōsecratione, sed dicere tantum ociosa uerba, atq; offerre ignem alienum cum Dathan & Abyron. Adeo persuasum est omnibus & indubitatum, omni ministro cuiuscunq; sacramenti, necessarium esse propositum, hoc agendi quod agit seu intendit Ecclesia a Christo instituta, cui sacramenta ab ipso collata sunt, quæq; sola tenet ab institutore Christo eorum ueram rationem & administrationem. Iam omnium sacramentorū ianua & introitus quidam est baptisma, in quo si erratur, quomodo quis ad penetralia perueniet? Si falso & mendaci proposito aliud spectetur q̄ intendat Ecclesia, si non cum Ecclesia in Christi sanguine tanquā peccata nostra emundante atq; auferente, si non in corpus Christi, extincto corpore peccati, quis baptizetur, quomodo intelligatur uere baptizatus? Baptisma enim transitus est, & certa regeneratio ab Adam in Adam, a ueteri in nouum hominem, a corpore peccati in corpus Christi. Hoc igitur, hoc ipsum uult regenerator Christus, & spectat eius Ecclesia. Qui alium finem sibi præfigit, uoluitq; hoc tantum quod ipse commentus est, hic nescio quid faciat: Siquidem intentio dirigit opus quodcunq;. Qui lauat ulcera ut saniem expurget, aut corpus ut sordes abstergat, non baptizat per hæc in Christum: nec rebaptizant sacerdotes populum quem aqua lustrali aspergunt, quamuis id faciant cum inuocatione sanctæ Trinitatis, quia non intendunt eandem quam Ecclesia ab originis peccato regenerationem, sed tantum quotidianorum delictorum remissionem: quanto minus ergo baptizabunt, qui nullam peccati ablutionem sua lotione intendunt?

Sacerdos non conficit uerū corpus & sanguinem, nisi intendat.

Nec patrocinantur aduersariorum baptismo, Theologi, illi qui huic sacramēto uidentur plurimū fauere, omniūq; mitissime de in-

tione quę sufficiat ministro sentire: qualis est beatus Thomas Aquinas. Hic asseuerat, necessariam quidem esse intentionem, qua subijciat se minister principali agenti deo, ut scilicet intendat hoc facere quod facit Christus & Ecclesia. Verum non requirit eam in actu, & putat sufficere habitum: ministri uero oscitantiam (ait) propterea quod baptizet in persona totius Ecclesię, perpetua Ecclesiæ intentione suppleri, dum tamen proferat uerba, quibus Ecclesię intentio significetur. Primum enim in baptismo aduersariorum, nō est cessatio ab intentione ullaue oscitantia, quam suppleat Ecclesia, sed certum propositum, certa quę intentio, Ecclesię fortiter contraria, quàm ipsa potius reprehendat & damnet. Deinde, hic neq; actus neque habitus est, se intentioni Ecclesię quam impugnant submittendi, sed formant sibi priuatam intentionem, quam Ecclesia Catholica non habet, nec agnoscit, nec dirigit, nec rectificat. Nec quidem ferūt aduersarij suam intentionem Ecclesię catholicę submitti, dicentes: mysterium nostrum nobis. Adhæc quisquis antehac expressit formam uerborum baptismi, quam tenet Ecclesia, intentionem quoq; & sensum Ecclesiæ expressit: per istos autem efficitur uox (baptizo) ambigua, nec significat illis quod nobis. Cum dicimus enim, Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritus sancti. significat Ecclesię minister, Ego te abluo, mundo & purgo, non a sordibus corporis, sed ab omnibus omnino peccatis, absolutumq; ab Adam priore, & innocentię iam restitutum, incorporo atq; inplanto te Christo, purum, sanctum & immaculatum. Aduersarij uero quando dicūt, Ego te baptizo &c. significant, Ego peccata tua tibi includo & operio, non aufero: tego, non abluo: relinquo iuste uera & grauia peccata, in quibus natus es: odium dei, contemptum dei, diffidentiam & incredulitatem, quibus dignus sis & maneas ęterna damnatione. Hoc tantum pręsto tibi, ut propter Christum dissimulentur, & non imputentur tibi ad pœnam quam sustinere debueras. Nec plane remitto, sed iubeo te quandiu uiuis ignoscentiam & remissionem eorum à deo postulare. Atq; ut apertius uno uerbo semel dicatur eorū sententia, In nomine (inquiunt) patris &c. ego te baptizo, hoc est, transfiguro te in angelum lucis, cum sis & maneas sathan. Obuelo te nomine

Qualis requiratur in ministro baptismi intentio.

Ecclesia non supplet intētionem sibi contrariam sed damnat.

Quid sit Catholicis baptizare.

Quid huius tempestatis hæreticis sit baptizare.

Absurditas Buceranorū mysteriorū.

te nomine Christi,cum sis & maneas Adam qui eras:non uere rege nero,quia non conuerto in Christum, rata facio tibi peccata tua, neq; te transmuto,sed uolo ut mutetur deus,ut nō puniat,quod sempiterna iusticiæ lex,in te exigit ut puniatur. Claudis pie Lector aures & uultum auertis,atq; id merito facis. Horrenda sunt enim spectra atq; portenta quæ audis & uides. Ego tibi non homines Christianos,sed Antichristos cum mysterijs suis in faciem contuendos propono,nudos & apertos. Isti sunt uere Christi aduersarij, qui fontes obturant aquę uiuę. Isti sunt qui rursus sibi crucifigunt filium dei, & ostentui habent. Isti sunt qui filium dei conculcant, & sanguinem testamenti pollutum ducunt,in quo sanctificamur,& spiritui gratiæ contumeliam faciunt.

Nimium falleris optime Lector si tibi non peiora de ipsis polliceris: & uana est opinio,si putas eos à Christo & Ecclesia non dissentire. Si non moliuntur enim aliud baptisma & Christum aliū, quur propositum suum antequàm baptizent aduersus Christi sanguinē, aduersus gratiam eius,aduersus Ecclesiæ doctrinam, tam diligenter communiunt,identidem renouant & confirmant? Ecce (ad populū prædicant) Hunc paruulum,qui in incredulitate,diffidentia,dubitatione,contemptu dei, qui in concupiscentia contra uoluntatem & legem dei,in peccatis innumeris natus est, modo baptizabimus ad hoc,ne deus propter Christum imputet ei hæc sua peccata: Vos ipsi (inquiunt ad circumstantes) experimini & sentitis omnia ista peccata,in uobis etiamnum perdurare & uiuere, nec adhuc quenquam uestrum ab eis liberatum. Verum non imputantur uobis propter Christum, quem in baptismo induistis: hoc idem orabitis, uti & paruulo huic per baptismum concedatur. Huiuscemodi sunt eorum admonitiones, ita diserte suum baptisma ab Ecclesiæ & Christi baptismate distinguunt, Catholicæq; fidei nostræ simplicitatem, inflati magno supercilio,subsannant,censent deliramentum esse & stultum errorem credere hæc in baptismo ablui, ac Christi sanguine auferri, adeo nolunt in Ecclesiæ fidem baptizare, adeo nouum & proprium quoddam sibi constituunt, adeo catholico baptismati

Quomodo propositum & intentionem suā communiant hæretici contra Ecclesiam.

suas uires detrahunt, & credet aliquis idem esse cum Ecclesiæ baptismate, quod aliud & nouum est? Credit hoc quod uolunt instrumentum esse sui erroris sacramētum fieri salutis? Credent ualere in Christi sanguine, quod contra sanguinem eius erigitur? In euangelio Matthæi, uolebant apostoli ab homine quodam eijcere dæmoniū, cum dubitarent autem, nihil promouerunt, adeuntes ergo secreto Iesum, interrogabant quare nō potuerint eijcere demonium, quibus ille respondit, propter incredulitatem. Hoc est Christi testimoniū de sterilitate fidei, qua apostoli uacillabant. Ecce apostolis, qui dæmonium eijcere conati sunt, non defuit uoluntas seu intentio, sed fide erant infirma. Et credant aduersarios, qui neq; intentionē rectā habent, neq; fidem eorum quæ per baptisma geri debent, diaboli potestatem ab homine posse eijcere? Multum debet diabolus baptizatoribus istis, qui ita baptizant, ut uelint diabolo sua iura in homine pmanere. Siquidem peccato tenet ille humanum genus obstrictum, & æterna damnatione dignum. Iam qui damnatione sunt digni, quomodo non sunt eius? Et hæc forte causa est, quare secundū acceptam à Christo potestatem, nolunt diabolum è paruulis exorcizare & exufflare, cum tamen tota Christi Ecclesia, ab apostolis usque, illud diligēter fieri procurauerit. Diiudica igit̃ nūc lector Christiane & orthodoxe, diiudicent Ecclesiæ catholicæ summa capita, quorum definitioni merito pijs omnibus acquiescendum est, utrum uere baptizent, qui aliud intendunt, quam Christus instituit, aut credat Ecclesia Dei. Certe beatus Ambrosius de huiuscemodi baptistis dicere non ueretur, libro de his qui initiantur mysterijs, capite quarto, Est in aliquibus & aqua mendax: Non sanat baptismus perfidorum, non sanat, sed polluit. Iudæus urceos baptizat & calices, quasi insensibilia, uel culpam possint recipere uel gratiam, &cæt. Quæ est autem aqua mendax? nisi quæ mente peruersa, unde est omne mendacium administratur, qñ aliud agitur & dicitur quàm mens ferat. Et perfidorum dixit potius quàm hæreticorum. In perfidis enim illa duplicitas est, ut aliud agant, aliud cogitent. Simulant sicut apostata Iulianus, Ecclesiasticum ritum, & interim Ecclesiam oppugnāt,

Ad dæmonis eiectionem fides necessaria.

Hæretici quare nō exorcizēt diabolū.

nec id nolunt in sua actiõe quod uult Ecclesia. Idcirco Chrysost. aut quisquis author est scripti illius in Matthæum, quod appellant imperfectum, tales assimulat simijs. Verba eius sunt homilia decimanona, in septimum caput: Simia hominis habet membra, & per omnia hominem imitatur: nunquid propterea dicenda est homo? Sic & hæresis omnia Ecclesiæ habet & imitatur mysteria, sed non sunt Ecclesiæ, &c. Quod in ijs mysterijs locum habet, in quibus ab Ecclesia recedunt. Vbi enim in nihilo ab Ecclesia quidam recedunt, certe habent ipsa Ecclesiæ sacramenta: quod paulo infra latius explicabimus.

Nec te commoueat quod antea diximus hæreticos quosdã uere baptizare, cum & alios quosdam minime baptizare ostẽderimus. Oportet enim discernere inter hæreticos secundum hæreses quas profitentur, & non statim eorum omnia, aut refutare aut recipere. Siquidem hæretici multa habent nobiscum communia, habẽt & alia sibi solis peculiaria: hæc reprobamus, illa agnoscimus. Eorum itaque qui nullum errorem baptismati inuehunt, qui hoc agunt quod Ecclesia, baptisma recipimus & amplectimur. Nõ quia est Nouati, Iouiniani, Vigilantij, Pelagij, Donati, uel Vuyclefi, sed nec quia Cephæ fore uel Pauli est, sed quia est baptismus Ecclesiæ in CHRISTO, quem sibi hæretici ab Ecclesia mutuatum usurparunt. Hinc beatus Augustinus libro primo de baptismo contra Donatistas capite decimoquarto ait: Non baptismum uestrum acceptamus, quia non est baptismus ille hæreticorum uel schismaticorum, sed dei & Ecclesiæ, ubicunq; fuerit inuentus, & quocunq; translatus. Ac interiectis quibusdam: Ecclesia (inquit) omnes per baptismum parit? Vbi ergo illa non parit, nec baptismus est. Non parit autem ubi aliud in baptismo agitur, quàm ipsa credat baptismo fieri. Idcirco peregrinum & alienum baptisma non recipit, eorum uidelicet, qui in aliud baptizant, q̃ ipsa, qui hæresim baptismati suo innectunt, & uel materiam, uel formam, uel institutionem baptismi uariantes, suæ hæresi adaptant, ut de baptismo faciant suum figmentum, non CHRISTI sacramentum: quomodo Valentiniani fecerunt & Pauliniani, & Cataphriges, & Sabelliani, & Photiniani, & alij plurimi, quorum ba-

Quorũ baptisma sit uerum.

Quorũ baptisma falsum

ptiſma non agnoſcit Eccleſia, quia non ſentiunt cum Eccleſia. In Arrianorum uero baptiſmate, ueteres notarunt differentiam, uti in primo Arelateñ. Concilio licet uidere, cuius Canonem ſupra recitauimus. Nam quidam eorum ad Eccleſiam Catholicam uenientes rebaptizabantur, alij non, propterea quod eorum quidam in baptizando propria lege uterentur, formata ſecundum ipſorum dogma, alij uero uterentur communi Eccleſiæ lege. Qui in ſectę illius hæreſim ritu certo, ſeu propria ipſorum lege, fuerãt baptizati, ſicut diſertis uerbis Canon ille memorat, & interrogati de ſymbolo, non reſpondiſſent trinitatem, rebaptizabantur: q uero ſecundum Eccleſiæ prœſcriptum, nequaquam. Cur uero hoc, ut iſti, & non illi rebaptizarentur? Vnde iſta baptiſmatum diuerſitas? cum Arriani om̃es etſi in fide errarent, tamen in baptizando uerba retinerent quæ habet Euangelium, prout liquet in epiſtola Arij & Euzoi ad Conſtantinum Imperatorem, ubi ita ſcribunt: Hanc autem fidem percepimus ex ſanctis Euangelijs, dicente domino diſcipulis ſuis, Euntes docete oẽs gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritusſancti: Si autẽ non hæc ita credimus atq; ſuſcipimus, uere patrem & filium & ſpiritum ſanctum, ſicut omnis Catholica Eccleſia & ſanctę edocent ſcripturę, quas per omnia ſequimur, iudex noſter erit deus, & nunc, & in futuro die &c. Oſtenſum eſt autem iam antea ex beato Auguſtino, ad ſacramenti ueritatem, non pertinere cuiuſquam dantis uel accipientis errorem. Nimirum ideo, ut apparet, quod eorum quidam, non auſi confidere ſectæ, poſito tantiſper contentionis ſtudio, hoc ipſum quod fecerunt maiores ante cõtentionem, quod facit tota Eccleſia, quodque inſtituit Chriſtus, habuerint in uotis. Iſtis non obfuit error priuatus, cui non innitebantur, ſed profuit cõmunis eccleſię fides, in quam (licet in ſua fide errarẽt) reſpiciebant. Secus alij quidam uidentur feciſſe, & formę uerborum quam in epiſtola iam dicta profitentur, ſuum ſenſum proprium, ſuamq; hæreſim impreſſiſſe: nempe, ſic ut nominato filio & ſpiritu ſancto, talẽ intelligerent filium talemq; ſpiritum ſanctum quales ipſi tradebãt, ac eſſe docebant, hoc eſt, creatum filium & creatum ſpiritum ſanctum, licet nomina ipſa creatiõis non expreſſerint, aut formę ſuperaddiderint: nuſquã enim hoc feciſ-

Duplex patrum ſententia de baptiſmate Arrianorum.

Doloſa Arrianorum confeſſio.

Ariani quidam baptizabant ſc'dm Eccleſiæ ſenſum

ſe

te leguntur,sed aut forte (sicut & modo faciunt hæretici) præmissa oratione,populum instruxerint de sua fide,in qua tantũmodo proposuissent baptizare. Vel articulorum prępositorũ emphasi peruersum sensum innuerint, quod Græcis & Germanis ob utriusque linguæ proprietatem est factu facillimum.

Forte etiã non improbabiliter uideri possit, quod Canon statuit de Arrianis sua lege utẽtibus, de illis accipiendum esse, qui proprias habebant Basilicas,altaria,baptisteria:& separati ab Ecclesia catholica docebant,baptizabant,offerebant,& communicabant:quales fuisse olim plurimos constat ex Ecclesiastica historia, libro decimo & undecimo. Item ex Chrysostomo, Epiphanio, Historia tripartita, Theodoreto & alijs sanctis patribus. Ex epistolis item B. Ambrosij, cui cum à Valentiniano imperatore uis intenderetur, nisi Portianã Basilicam cęderet Arrianis,respondit:Si à me peteret imperator,ꝙ meum esset,id est,fundum meum,argentum meum, ius huiusmodi meum,me non refragaturum,quanq̃ omnia quæ mea essent,essent pauperũ. Verum quæ diuina sunt, Imperatoriæ Maiestati non sunt subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite:si corpus,occurrã:uultis in uincula rapere,uultis in mortem,uolũtati est mihi. Ad imperatorem palatia pertinent,ad sacerdotem Ecclesiæ, &c. Et occidi malebat uir ille sanctus,quàm Ecclesiæ Basilicam hæreticis aperire. Quippe antiqui illi Ecclesiæ præsules non tam prompte hæreticis cedebant,quàm nunc quidam sponte suas eis Basilicas offerunt. In ea diuisione, si qui transibant ab Arrianis ad Ecclesiam, ubi Ecclesiæ non poterat cõstare, qua forma ab Arrianorum mystis fuissent baptizati,de symbolo & baptismo interrogabantur, & eorum quidam rebaptizabantur,alij solo chrysmate ungebantur & signabantur, put hoc uel illo modo respondissent. Nam & ita plerunque baptizabant Arriani,ut eorum confessio duplicem haberet intellectum, sicut patet Tripartitæ hist. libro tertio,capite sexto ex Sozomeno: quo artificio & nostræ tempestatis hæretici,præcipue Bucerus, insigniter eminent. Quod si quis contendat eorum quosdam creationis expressum nomen formæ apposuisse,etiam si nõ doceatur hoc certis authoribus,nolo pertinaciter refragari, quia non admodum ad rem

Arriani ab Ecclesia diuisi, proprias habebant Basilicas.

x expri

exprimatur, an aliis modis innuatur. Quid enim interest, utrũ exprimas proprijs uerbis, creatum filium, aut creatum spiritum sanctum, an certo proposito hoc ipsum significes, qualibuscunque uel uerbis, uel signis, uel modis, obstinataque animi sententia nolis filium (quem Ecclesia credit & prædicat) intelligere aut intendere, præsertim cum in omni loquutione uerba discreta, loquentis sensum discretum exprimant?

Si quis roget, quare in Concilio Nicæno, ubi de Samosatenis & Nouatianis fuit constitutum, non etiam de Arrianorum baptismo patres aliquid constituerũt? Is sciat, eo tempore Arrianos nondum eousque ut baptizare præsumpserint, inualuisse, sicut Tripart. hist. libro tertio, capite xi. authore Sozomeno patet, ubi habetur: Arrij uero dogma licet apud multos disputationibus extolleretur, nondum tamen in proprium discernebatur populum, aut in nomine constabat authoris, sed omnes simul in Ecclesia conueniebant, atque communicabant, præter Nouatianos, & qui uocãtur Phryges, & Valentinianos & Marcionistas, & Paulianistas, & qui alias hæreses colebant, &c. Ad eundẽ modum arbitror conciliari posse, quod de Bonosianis statuitur in Decretis, distinctione quarta, Hi uero hæretici. Vbi iubentur Bonosiani rebaptizari, eo quod non baptizent in nomine trinitatis: cuius contrarium de eisdem refertur in Concilio Arelateñ. secundo, Canone decimoseptimo, qui sic habet, Bonosianos autẽ ex eorum errore uenientes, quos sicut Arrianos baptizari in trinitate, manifestum est, dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cũ chrysmate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit. Apparet eos ambigue baptizasse, & uerbis Ecclesiæ machinatos errorem, ideo dicuntur in hoc Canone baptizasse in nomine trinitatis, in alio uero non. Sicut nostri temporis hæretici nobiscum dicunt, Ego baptizo. cum tamen aliud sit baptizare apud eos, aliud apud nos, uti nobis antea demonstratum est. Iam ut forte Arrianorum quidam corruperint Ecclesiæ formã, alij formæ fidem non habuerint, certe omẽs, & hi & illi, hoc ipsum per baptisma quærebant quod Ecclesia, quæ & formam ueram, & formæ fidem habet, scilicet remissionem peccatorum: qua in re Arriani sunt hæreticis

Cõcilij Nicæni tẽpore, Arriani uersabãtur adhuc in Ecclesia.

De baptisma te Bonosianorum duplex patrũ Decretum.

Arriani bapptizãtes idẽ q. ecclesia in.

hæreticis nostræ tempestatis longe meliores, qui & falso sensu formam corrumpunt, & intentionem suam contra Christum & Ecclesiam exacuunt.

tēdūt ac proponunt, quod non faciunt moderni hæretici.

Atq; ut in summa semel quod uolumus comprehendatur. Si qs in omnibus sentiat cum Ecclesia catholica, soli autem baptismati immisceat hæresim contra Ecclesiā, eiuscemodi baptisma Ecclesia non agnoscit. Et rursus, Si quis nihil omniū credat quæ creduntur in Ecclesia, uelit aūt solū baptisma secundūm Ecclesiæ doctrinam & formam administrare, ratum habetur sacramentū, propterea q̄ in hoc ipso cum Ecclesia conuenit. Augus.lib pri.contra Donatist.de baptismo: Dei sacramenta improbare, nec in ipso schismate audemus. In quo enim nobiscum sentiunt, in eo etiam nobiscum sunt. In eo autem à nobis recesserunt, in quo à nobis dissentiunt. Non enim accessus iste, atq; discessus, corporalibus motibus, sed spiritualibus est metiendus. Sicut enim coniunctio corporum fit per continuationē locorum, sic animorum quidam contactus est consensio uoluntatum. Si ergo qui recessit ab unitate, aliquid aliud agere uoluerit, quam q̄d in unitate percepit, in eo recedit atq; disiungitur. Quod autem ita uult agere, sicut in unitate agitur, ubi hoc accepit & didicit, in eo manet atq; coniungitur. Itaq; isti in quibusdam rebus nobiscum sunt, in quibusdā uero à nobis exierūt. Proinde illa in qbus nobiscū sunt, eos agere non uetamus. In qbus autem non nobiscū sunt, ut ueniēdo accipiant, uel redeundo recipiāt adhortamur, &c. Alludit B. August. ad id q̄ habetur Luc.ix. Preceptor, uidimus quēdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eū, quia non sequitur nobiscū. Et r̄ndit Iesus: Nolite prohibere eū, qui enim nō est aduersum uos, pro uobis est. quod dictum uidetur & in hæreticorum baptismo habere locum.

Quatenus sint uel non sint in unitate Ecclesiæ hæretici.

Concilium Mileuitanum cui B. Augustinus interfuit, declarat Pelagianos falsam efficere formam baptismatis, propterea quod dicūt paruulos nō habere peccata q̄ baptismus abluat, adeoq; hinc anathema in Pelagianos pronunciat. Quanto magis falsam baptismi formam efficiunt, qui contra Ecclesiæ sententiam contendunt in baptizatis manere peccatum, quod baptismo non abluatur?

De baptismo Pelagianorū

Nam si de Pelagianis quod uerum est uolumus fateri, tribuebant baptismati omnem ad abolẽda peccata uim quam Ecclesia, confitebantur enĩ baptismate quicqd esset peccatorum auferri, pauca ubi pauca reperirent, plurima ubi plurima. Opinabãtur aũt in paruulis nullum esse peccatum, in quo cespitabant, atq; hinc adeo, nõ habebant, quod dicerẽt in paruulis deleri. Qui si peccatum originis agnouissent, utique confessi fuissent eius ablutionẽ: quapropter uere baptizabant, nulla intentionis aut formę discordia ab ecclesia dissentientes. Siquidem nec ab his quos gratia peculiari spiritussanctus antequã baptizentur prępuenit, aufert baptismus graue peccatum, quia nõ reperit, auferret tamen si reperiret. Certe non oportet propterea necessario ponere peccatum, ut habeat baptismus quod auferat. Neq; enim peccatum est propter baptisma, sed contra baptisma propter peccatum habetur. Quod si adeo fuit patribus psuasum, baptismi proprietatẽ esse auferre peccata, ut falsarios appellarent baptismatis ac damnarent eos, qui non confiterentur in paruulis haberi q̃d baptismus auferat, quanto putamus dãnarent anathemate, ac quanta dignam ducerent execratione eorum blasphemiam, q negant baptismate Christi posse peccatum auferri, quod fateantur, inesse.

Sufficienter (ut arbitror) ostendimus Buceranos, Melanthoniosque baptistas non consentire ecclesiæ Christi, non item hoc intendere pro quo auferendo Christus passus est, sed quod sibi peculiariter confinxerunt, atq; adeo & meritum passionis Christi extinguere, & uirtutem extenuare baptismi. Nunc omnium piorum præsertim ad quos pertinet, relinquo iudicio, qd de huiuscemodi baptismate sit Christianis, Catholicis seu orthodoxis sentiendum. Nemini prąiudico, nec diffinio quicquã temere, adferant meliora quibus datum est, decernant quibus est ea authoritas: Ego rem mouisse contentus, etiam aliorum inquisitioni & definitioni locum relinquo. Si ad salutem reipub. Christianę permagni interest, si fidei orthodoxę requirit integritas, ut sciatur quod baptisma amplectendum, quodue sit fugiendum, quod uerum q̃d falsum. Si in baptismi susceptione (sine quo nemo potest uidere regnum dei) non sine æternę damnationis periculo erratur, puto omnibus incumbere, ut de baptismi sui

uerítate.

ueritate, curent fieri certiores, puto quoq; ad episcopos & Ecclesiarum præpositos cumprimis pertinere, ut hac de re commissum sibi gregem Christi diligenter instruant ac doceant. Alioqui sanguis pereuntium fine salutari lauacro requiretur de manu ipsorum. Ego quidem ampliori inquisitioni uiam aperui. Quod si non feci secundum sacræ scripturę normam, si non sacrorum Conciliorum authoritate suffultus, si commodi uel lucri alicuius spe, si non grauissimis rationibus permotus, quæstionem istam ad communem animarum salutem proposui & tractaui, dicar priuatis seruiuisse affectibus: ta quibus coram deo qui scrutatur renes & corda, quemque nihil potest effugere, semper fui in his quæ ad doctrinam fidei pertinent, remotissimus. Si uero qua oportet animi integritate uolui omnibus syncere iter prodesse ad salutem, boni quęso Lector hanc opellam nostram consulas. Nec uelim te existimare me odio sectæ, isthanc dubitationē alijs mouere, præter causam, sicuti Melanthon criminatur ueritatis odio sibi contradicere, quotquot falsa & intolleranda eorum dogmata impugnāt. Ab odij suspicione me facile liberabunt, cum illi, quibus mores mei ingeniumq; perspecta sunt, tum hi qui rationes, quæ me permouerunt secum prudenter expenderint. Nec enim uindictę cupiditati, nec odio unquam per gratiam dei animum submisi. Cur enim tam atroci persequar odio, quos ex animo cupiam ad ueram fidem & Ecclesiæ Christi unitatem redire? Nec est mihi priuatum ullum cum ipsis negocium, nisi quod publicam seu catholicā Ecclesiæ Christi fidem, sacramentaq; eius, quæ multis modis contaminant & deprauant, defensa, restitutaq; in omnibus cupiam. Quod ipsum candori potius quàm maleuolentiæ candidi, æquissimiq; iudices adscripserint. Vtut uero de nobis iudicent alij, certaminis huius inspector & iudex est Christus, cui si animum conatusq; meos probauero, nihil aliorum iudicia morabor.

Ad præsides Ecclesiæ pertinet curare ne falsum baptisma inueniatur.

Quo animo scriptor quæstionem de baptismo hæreticorū proposuit.

Et si forsan nondum omnibus persuadeo, tamen nemo negauerit periculosum esse, minimeq; tutum fidere alienis baptismatibus. Gratias ago deo meo, cuius indulgentia & beneficio sum in Ecclesia Catholica baptizatus: qui si à Buceranis puellus baptizatus essem,

Periculosum baptizari ab hæreticis.


sacramentum regenerationis nullatenus iteretur, sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per episcopalem manus impositionẽ, uirtutem sancti spiritus consequatur. Est autem per quàm uetus ista Ecclesiæ constitutio, ut uerisimile sit ab apostolis primum fuisse traditam; quod etiam satis apparet Ecclesiast. Hist. lib. vij. ubi dicitur, quod beatus martyr & pontifex Cornelius & cæteri omnes per Italiam sacerdotes, Aphricanum decretum manente sacerdotali concordia refutarunt, statuentes antiquitus à patribus super hoc traditam regulam debere seruari, quæ continebat, Post abiectionẽ praui & confessionem recti dogmatis, sola eos manus impositione purgandos. Sed & hoc notatu dignum est, quod in concilio Romano Felix papa constituit, & allegatur 1. quæst. vij. qui in qualibet ætate. Sic autem habet, illo per omnia custodito, ne ex eis unquam, qui in qualibet ætate alibi quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam miliciam prorsus permittantur accedere. Quibus satis esse debet, quod in catholicorum numero sunt recepti, quoniam de suo ordine & communione uidebitur ferre iudicium, quisquis hoc uiolauerit institutum, uel qui non remouerit eum, quem ex eis ad ministerium clericale obrepsisse cognouerit. Porro non sine diuina prouidentia factum arbitror, ut reiecerint hæretici in baptismo omnes pias cærimonias, neq; enim conueniebat reprobum, deprauatum & toxico hæreseos uenenatum baptisma, pulcherrimis diuinorum charismatum signis adornari & illustrari. Nemo coegit relinquere, nemo cæremonijs interdixit: ipsi se abdicauerunt, ipsi proscripserunt, ipsi sese indignos eis iudicauerũt, ignari diuino fieri consilio, ut Chrisma non haberent, qui uere Christiani non essent. Sic declinantes in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem,

Ab hæreticis baptizati licet reconciliati non admittũtur ad altiores ordinũ gradus.

Vltionẽ esse diuinam q. non habent hæretici Chrisma.

PAX SVPER ISRAEL.

CONFVTATIO OBIECTORVM per D. Iohannem Oldendorpiū, L L. Doctorē.



QVando pro defensione ueritatis inuictæ, de peccato originis, eiusq; in regeneratis abolitione, cōtra Bucerum & Melanthonem factionis Lutheranæ facile capita, tam prolixa disputatione disserui, non indignum aut ab instituto nostro alienum fore arbitratus sum, ut in argumenti huius calce, uelut quoddam corollarium adijcerem, paucisq; uel refellerem, uel lectori spectandas & ridendas proponerem obiectiones, quas odio Cleri simul & impatientia, ob interdictam sibi in schola Colonien. Iuris Cæsarei professionem, concitatus, scripsit Iohannes Oldendorpius, subito nobis e Iurisconsulto factus Neotheologus, in alio foro iam litigaturus.

Cum ante sesqui ab hinc annum in Curia Reuerendiss. Archiepiscopi Colonien. dispersum fama fuisset, Vniuersitatem & Clerum non recipere doctrinam Buceri, neq; item probare eius uocationem ad Bonnam, ac paratos, si exigeretur ab eis, dare Iudicij sui rationem scriptam, quidam Aulicorum quem prius mihi familiarissime coniūctum habebam, nunc uero Religionis dissidio auersum, (a cuius nomenclatura ob ueterem amicitiam abstineo) Iudicium illud nondum aut uisum uel lectum (tantum in noua religione breui profecerat) superbo præiudicio despiciens, prodeat (inquit) libellus, prodeat, Bachantem quempiam eis qui respondeat q̄ mox subornabimus. Quod profecto non inaniter prædictum fuisse probat euentus. Nec enim quisquā scriptorem istum aptiore figura unq̄ depinxerit. Sic Bachatur, sic inuehitur furibundus in Clerum, minatur, fulminat, crepat, non loquitur sua uerba, & Thrasonicam egregie exercet, pronunciat, iudicat, damnat tanq̄ ex authoritate: nesciēs homo stolidus, & ad hanc palestram indoctus, q̄ sit ei in re theologica curta supellex, quantumq; distet a tabula forensi Theologus uerus. Disperеam si quicq̄ uiderim ab aduersarijs stultius & ineptius hucusq; profectum: quod ne ipsi quidem abnuerint aduersarij. Diu mecum hæsitaui sanus ne esset homo, ac Helleboro potius q̄ responsione curandus

Præsagiū de Bachante responsuro.

dus

dus, donec incidit in mentē promissi Bacchantis memoria. Hic nefarium esse duxi, non impendere ueteri amico (licet iam alienato) tantum opellæ, qua bacchantis sui non minus stultas quàm lymphatas furias, neniasque tam delyras q̃ indoctas quiret cognoscere, suauiterque se illis oblectare. En igitur à Bacchante illo taxata Coloniensis Iudicij uerba cum ipsa cēsura primum reponētur: quo me citra omnem calumniam dicere uere, quisquis utraq; scripta legerit, suo etiam iudicio cogatur fateri. Nunc Lector inspice, expende, miraberis, iurabis ex Oldendorpio Dollendorpium factum. En nunc:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes nascetur ridiculus mus.

Secundarij Colonien. in pseudoiudicio. Oldendorpius

Concupiscentiam, quę reliqua est post baptismum, facit esse peccatum seu iniusticiam, atq; adeo contendit, baptizatis perpetua pœnitentia, perpetuaq; ignoscentia ac remissione peccati originalis opus esse. Neque enim fatetur, per baptismum peccatum illud semel auferri, sed tantum intuitu Christi, baptizatis non imputari ad dānationem, si tamen peccato rursus non seruiant. Quo dicto manifeste extenuat gratiam baptismi, & meritum sanguinis. Iudicium.

Quare facitis hic mentionem solius sanguinis, & non corporis: cum alibi adducatis Paulū facientem solius corporis mentionem? Per hoc enim uultis ibi aduersus Dn. Bucerum probare, quod non sit opus calice in Sacramento: quia Apostolus sanguinis non meminit. Iam si omnia uestra debeant accipi pro oraculo Apollinis: certe consequitur, in sacramento non esse opus pane: quoniam uos me Oldendorpius

ritum tribuitis sanguini, nullam mentionem facientes corporis. O perfidi hæresiarchæ.

Orthodox. Obsecro te Lector, num uideris quicq̃ alicubi magis rude aut imperitum? Prouinciam sibi assumit certandi de re theologica, cum ne prima quidem rudimenta cathecumenorum norit. (ut de Theologiæ elementis taceam) Disputat de sacramentis: & nescit babtismate nos in Christi sanguine lauari, Eucharistia pasci. Queritur: *Cur faciamus hic mentionem solius sanguinis, & non corporis: cum alibi adducamus Apostolum facientem mentionem corporis, & non sanguinis.*

Oldendorpius rudimentorũ fidei ignarus, disputat de mysterijs.

Respondeam ne Lector, an irascar tantæ imperitiæ? Sed ne tam acutus disputator se putet contemni, faciam quod monet Apostolus, Infirmum in fide suscipere, instruereq; in spiritu lenitatis. Respondeo igitur, Nos hic sanguinis facere mentionem potius quã corporis, quia aliud est baptismatis, aliud sacramentum Eucharistiæ: aliud est lauare, aliud pascere. Baptismus symbolum est spiritualis lotionis ab omnibus peccatis. quod & ratio nominis indicat: Eucharistia refectionis. Lotio sanguini tribuitur: refectio pani illi supersubstantiali, quo corpori Christi amplius incorporamur. Verum interim non abnuimus corpus quoq; Christi ad baptismum pertinere, ob id quod peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iusticiæ uiuamus, prim. Petri ij. Vnde quicunq; baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus, consepulti illi per baptismum in mortem, Roman. sexto. Atq; adeo cum beato Augustino docemus, Vnumquenq; fidelium corporis & sanguinis Domini sum fieri participem, quando in baptismate membrum Christi efficitur. Sed & cum eodem (ut singulorum sacramentorum proprietas exprimatur) dicimus, nos in baptismo uelut aspergi & lauari sanguine: in Eucharistia uero cibo illo spiritali refici. Vbi ergo de ablutione peccatorũ agitur, sanguinis facimus mentionem, quem elementũ liquidũ in baptismo nobis figurat. Vbi uero de cibo illo agitur, uerum Christi corpus & sanguinẽ sub panis specie exhibemus: Vtran-

que uero speciem, hoc est, panis & uini, quando sacrificamus. Hic si sint Theologi, Clerus, & Iurisperiti, quales tu tibi fingis, non optimo iure dicent tibi? Eatis dñe Doctor de Antiqua Villa, primum ad Catechistas, & (salua excellentia uestra Doctorali, saluis annulo, capitio, osculo, & libro aperto, quorum solus habetis intelligentiã) hæc puerilia fidei rudimenta discatis, & tunc cum Magistris nostris, & Secundarijs, aut Leguleis Colonieñ. si placet, disputetis. Vis & ex sacris audire cur fecerimus hoc loco sanguinis potius mẽtionem q̃ corporis? Apocal. pri. Lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Apocalyp. xxij. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno uitæ, & per portas intrent in ciuitatem: Foris autem canes, & uenefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Vt forsan queratur Oldendorpius Apocalypseos ænigmata se non intelligere, se Iura explicare, non figuras. En quod dicit Iohannes apostolus prioris epistolæ suæ capite primo: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Et Apostolus Heb. xiij. Iesus ut sanctificaret per suum sanguinẽ populum, extra portam passus est, ubi percusso latere eius exiuit sanguis & aqua, Iohan. xix. Vtrũq; in ablutionem peccatorum nostrorũ, quam baptismate consequimur, in quo renascimur per spiritum, aquam & sanguinem. Hoc salutis æternæ pignus ac testimonium firmissimum recipimus in mortali isto corpore. 1. Iohan, quinto: Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. Quomodo uero tria tam diuersa sunt unum? Nempe baptisma unum est. Confitemur enim in symbolo, unum baptisma in remissionem peccatorum. Constat autem baptisma tribus rebus, quæ hic suo quodam modo confluunt in unum: spiritu, aqua & sanguine. Aqua adhibetur in sacramentum uisibile, per inuocationem sanctæ Trinitatis, Spiritus inuisibiliter sanctificat, Sanguis exoluit precium pro peccatis. Hæc respondisse ad primam eius quæstionẽ, suffecerit in præsens. Nolo enim Oldendorpium nostrum rapere mecum in altiorem disputationẽ, & mysteria baptismatis, qualia sunt apud apostolum Paulum in priore & Corinthios epistola, ad Romanos item, & ad Ephesios, a Neotheologo exigere.

Quid sit apud Iohannem, hi tres unũ sunt

Verendum enim, ne si hominem mysteriorum fidei rudem, in mare rubrum (propriam baptismatis figuram) pertraxero, undis obrutus submergatur cum Aegyptijs, qui transitu poterat saluari.

Oldēdorpius. Pergit, *Iam si omnia uestra debeant accipi pro oraculo Apollinis, certe consequitur, in sacramento non esse opus pane, quoniam uos meritum tribuitis sanguini, nullam mētionem facientes corporis.*

Orthodox. Prodigiosa illatio. Non habes disputator acute Syllogismos alios, aut alia Dylemmata, quibus oracula nostra subuertas? Hæc nimis anomala est illatio. Quibus legibus ita permissum est argumentari? Colonienses affirmant merito sanguinis Christi nos baptizari, ergo nō est opus in Eucharistia panis specie? Quæ talis est illatio, ac si quis argutetur: Lotus est aqua in balneo, ergo comesturo nihil opus est pane. Dialecticorum canones huiusmodi argumentationes alapis & ferulis emendant. Ac tu non es legibus Dialecticorum alligatus, habes leges alias, & canones, quibus confidis omnia posse, ex æquo iniquum, & rursus ex iniquo æquum: ex malo bonum, & rursum ex bono malum: e sacro prophanum, & contra e prophano facere sacrum: atq; hinc adeo per Theologorum cēsuras transuersus irrumpis. Sed profer unam ex legibus quæ tam numerosę tibi in promptu sunt, quibus tam malam quoque consequentiam efficias bonam.

Ineptæ Oldēdorpij argumētationes.

Oldendorpius alligatus legibus ciuilibus Dialecticas non putat ad se pertinere.

Male te habet quod Colonienses tribuūt merito sanguinis Christi uirtutem baptismi, nō facta corporis mentione. Male item quod communicaturo Laico dant sacramentum corporis, non sanguinis. Posteriori huic suo respondebimus loco, ne misceamus materias ac confundamus. Verum prius illud ideo faciunt, quia aqua tantum aqua est, & ad abluendum peccata prorsus inefficax, nisi uim accipiat à merito sanguinis Christi in uerbo dei. Sed de sanguinis merito dubitas. Quid audio? fungum ne loquentem, an Iudæum? Saracenum uel Paganum? qui nesciat sanguinem Christi precium esse

Remissio peccatorum in baptismate sanguinis

redemptio-

redemptionis nostræ? Precium qui dedit, precio meruit & comparauit sibi merces remissionem peccatorum nostrorum, iustificationē & uitam ęternā. Vides ergo hęc omnia merita esse sanguinis Christi, quo nihil est in sacris frequentius. Ad Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorū. Item 1. Pet. 1. Non corruptibilibus auro uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati & incōtaminati Christi. Item 1. Corinth. vi. Empti estis precio magno. Et Actuum xx. Posuit uos spiritus sanctus episcopos, regere Ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Tu qui absolutam iuris cognitionem tibi uendicas, qui confidis teipsum esse ducem cęcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, qui in legum & canonum sapientia gloriaris, & huc usq; extolleris, ut etiam de censuris Theologorum audeas sublimior pronunciare, hæc prima elementa ignoras, Magister scilicet in Israel? Et post tam disertam, doctam, ac speciosam argumentationem, uide Lector quantum ferociat, quàm crudeliter desæuiat in miseros Secundarios, ictu uno medios transuerberat omnes. *O perfidi* (inquit) *Hæresiarchæ.* *Christi est meritum.*

Obijcit nobis Augustinum de Cons. dist. iij. per baptismum, ubi Aristarchus noster memoria lapsus est: habetur enim dist. iiij. Nec ad fontem recurrit unde illud Augustini decerptum est, & allegat eū de baptismate paruulorum, cum habeatur libro primo de peccatorum meritis & remissione capite ultimo. Vbi Augustinus ostendit prorsus ablui peccatum in baptismo, manere tamen concupiscentiā ad certamen: id quod etiam alijs libris diligenter inculcat, & nos nō semel allegauimus. Sed quur hunc Augustini canonē nobis obijcit? Quid habet a Iudicio diuersum? Relege canonem illum, relege quoque Iudicium, & uide si non sit eadem utrobiq; sententia, Peccatum auferri, concupiscentiam manere. Næ hic homo egregie delirat, qui nobis sententiam nostram quasi diuersam opponit, aut si putat *Vide quomodo Canones suos teneat & calleat Oldendorpius.*

y iij contraria

quod ipsum etiam in secundo articulo allego, uidelicet q. Dominus ait: Nisi quis renatus fuerit, non potest uidere regnum Dei, Iohan. 3. Et Paulus: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum: legi enim Dei non subditur, neq; enim potest, Roman. 8. Item: Naturalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. In istis & similibus dictis, qualia sunt: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Nemo potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit eum, &c. Testatur spiritus sanctus utiq; aperte, Hominem extra Christum non posse aliud q̃ repugnare Deo. Hoc ipsum, & nihil aliud de potentia uel impotentia naturae humanae docui. Impotentiam ad bonum corruptae naturae, secundum uerbum Dei fassus & attestatus sum: ipsi uero in se naturae nihil derogaui. Unde haec tertia calumnia est Coloniensium Deputatorum. Hactenus Bucer.

Locus quem Colonienses taxauerunt in libello de doctrina & uocatione Martini Buceri ad Bonnam, habet ad uerbum: Orthodoxus.

Secundo. Ex descriptis modo fide & agnitione Dei in Christo, adduco hoĩes in uerã, uiuã & actualẽ agnitionẽ suijpsorũ, & inde in uerã cõtritionẽ ac pœnitudinẽ totius ueteris hoĩs, quo bene & sensibiliter cognoscãt, recogitẽtque, q. propter naturã suã peruersam, Deũ, eius beatificũ uerbum, & dona, non poßint cognoscere, multo minus petere atq; acceptare: ut quorũ sensus, indoles & affectio, deo totaliter aduersentur, sicut B. Paulus testatur, q. naturalis homo res diuinas neq; cõprehẽdere ualeat, neq; acceptare. Bucer. Ita Bucer.

Bucer

Ortodoxum.

Bucer queritur, quod Colonienſes ſententiam eius referant ſubtracta uocula, peruerſa, ac quaſi damnet naturam integram, qualis à deo creata eſt, cum ipſe de peruerſa ſit locutus. Miror quo Iure Bucer queratur, calumnieturq; Iudicium illud. Verba Iudicij ſunt: Dicit naturam noſtram repugnare deo, nec aliud facere poſſe, q̃d ne de diabolo quidē auſint Catholici adfirmare. Quando referunt naturam noſtram, modeſtius aliquanto & uerius quàm ille, peruerſam: quę cauſa eſt, ut intelligatur natura integra, qualis à deo creata eſt? An eſt natura noſtra adhuc integra & nondum corrupta? An adhuc naſcimur quales in paradiſo à deo creati ſumus? Idcirco quando noſtram dicunt, utique corruptam illam ſignificant, in qua omnes naſcimur: quod uel ex eo ſit liquidum quod eamipſam componunt, cum natura diaboli lapſi: cui incorruptam naturam quis conferat? Itaque repręhendunt, quod Bucer naturam noſtram, hoc eſt, naturam corruptam, dicit nihil poſſe aliud quàm repugnare deo: quodipſum ne de diabolo quidem multo corruptiore auſint Catholici affirmare. Et manet Bucer qui erat antea Calumniator, Coloniēſes ueridici & candidi. Si queri oportet de Colonieñ. cenſura, Iuſtior erat querela, q̃d multa pręterierunt, graui cenſura digniſſima. Nam quod Bucer naturam appellat peruerſam, an non eſt reprehenſione dignum? Deinde quod in Chriſtianis & baptizatis fidelibus ad quos ſcribit, & de quorum loquitur natura, potentiorem facit naturæ deprauationem quàm dei gratiam, imo quàm ſpiritumſanctum, quem in baptiſmo omnes acceperunt? An non eſt hæreſis inexcuſabilis? Atqui Colonienſes, cum uitandæ logomachię cauſa, tum q̃d ſingula excutere moleſtum eſſet, non omnia forte annotarunt. Nunquid ob id ſunt & nobis ſilentio comprobanda, preſertim cum tantopere ea Bucerus urgeat? Non opinor. Nec iam eſt logomachia ut de uocibus certetur, quum res ipſę uocentur in diſcrimen. Nimirum Bucer cum tot ſcateret præterea erroribus, deberetq; Colonienſibus, q multos pręterirent intactos, gratiam, queritur q̃d unum indicarunt. Sed ne hoc quidem: accuſat eos calumniæ, quod mitius & modeſtius quàm ipſe locuti, naturam noſtram noluerūt apellare peruerſam. Vult dictum illud, Nō poſſe aliud quàm repugnare deo, ualere de natura peruerſa.

Bucer non bene queritur de Iudicio delectorum.

Delecti Colonienſes non omnes Buceri hæreſes annotarunt.

Quæ

Quæ est autem peruersa ista natura? An humana post lapsum? Sed hanc per peccatum inobedientiæ corruptam legimus, & uiciatam, & prauam, & pronam ad malum: non autem peruersam. Gloriosi uerbi dei iactatores quos, ne iota unum pterit in scripturis, ostēdant in eis si possunt, naturā hominis originali peccato peruersam. An idem ualere putant, puersum esse quod corruptum? At nos hæc tantum fere putamus distare quantum homo distat diabolo. Cecidit quidem uterq; in peccatū, sed alter altero grauius: nec ita ut sit uterque peruersus: cum peruerti sit casus grauissimus. aut dicatur, quid nequius, quid peius adhuc aut grauius cogitari possit quàm esse peruersum? Quēadmodum eñi res uertibilis & incōstans, nunc huc nūc illuc inclinatur, rursusq; erigitur, ac denuo uertitur, donec tādem tota uoluta peruertatur, nihilq; retineat status prioris. Ita homo peccando à rectitudine uarie inclinatur, sed non dicitur peruersus quamdiu restat altius aliquid ad quod inclinetur aut uertatur. Diabolus peruersus est, nec habet quo magis à Deo auertatur, neq; amplius in statum priorem reuertitur. At homo auersus, uiciatus, corruptus, contaminatus, inflexus & infirmatus est, sic tamen ut sanari queat & erigi, & purgari p dei gratiam, conatus arbitrij liberi regentem & perficientem. Quod peruersum est, habet coniunctam obstinationem & desperationem: sicubi enim spes est, aut aliquid huiusmodi, nondū omnia peruersa sunt, quamuis auersa, inclinata & in euersionem sint prona. Omnis natura puersa, hoc quod puersum in ea est, nunquam recuperat. Natura uero humana quantumlibet infirma, sanatur: corrupta restituitur, prona & incurua erigitur. de ea enim scriptum est: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale inmortalitatem Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in uirtute: seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Ostendant Aduersarij similiter & angelos malos suam originem amissamq; naturę dignitatem recuperare. Ergo illorum peruersa est natura, hominum uero tantummodo deprauata. Nec poterit extorqueri nobis, ullum unquā hominum quamuis perditissimum, peruersum natura: quanquam fatemur quosdam peruersi uoluntate, quomodo & patres & scripturæ loquuntur. Vnde pro-

Natura humana corrupta qdem sed non puersa.

Quorundam uolūtas peruersa, non natura.

uerbiorum xvij. Qui peruersi cordis est nō inueniet bonum, hic cordis nomine intelligitur uoluntas. Nec multum distat hoc dictum à sententia Apostoli, qua pronunciat hęreticum hominem subuersum & proprio condemnatum iudicio. Similiter Prouerb. xvi. Homo apostata, uir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tēpore iurgia seminat. Quæ omnia reperiuntur in hæreticis, quos propterea non abnuimus puersos, sed obstinata uoluntate, non natura. Nec aliter patres de naturæ puersitate constituunt: quæ causa est, ut in dijudicando libro Bucerano, non uoluerint Colonieñ. morari in hac una uocula, arbitrati forsan Bucero, casu aliquo, ꝓ natura corrupta, excidisse, natura peruersa. Sententiam tantum censoria uirgula notarunt.

Pręclare uero homo lepidus, putat se ab errore quē Colonieñ. taxarunt satis repurgatum, ubi constiterit ipsum non damnasse naturam integram, factumq; bene, quod tam dire tamq̄ grauiter damnat naturam nostram corruptā, cui tantum illigauit maliciei, ut propter ipsam affirmet hominem nō posse aliud q̄ repugnare deo, quin & uerbis Christi & Apostoli quæ de humana carne allegat, putat dogma illud ita sibi cōfirmatum, ut nobis persuasum uelit nō esse inuentum à se, sed inspiratum, doctum & cōmendatum testimonio spiritus sancti. Equidem facile assensero non esse à Bucero hunc errorem primo oīm dictatum, ut qui ueteres hæreses libēter soleat reuocare & ꝓfiteri. At uero ut spūssanctus tale quippiam nobis testet̃, ita demum credam, dum ꝑsuasum mihi sit, Marcionē & Manichęū, insanos utiq; hæreticos spū sancto edoctos, haud dissimilia de hūana carne docuisse. Sed neque scripturis sacris quas qdem hactenus, siue in libello illo Bonneñ. siue in hac sua respōsione ꝓtulit, hoc ipsum effici posse, erit in ꝓpatulo, ubi sensus earundē scripturarū, certus & uerus patuerit, uoluerimusque q̄ parum dialectice colligat norma adhibita uel altero tantū oculo dispicere. Nam q̄ est consequētia, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non pōt uidere regnum dei, ergo natura nostra corrupta non pōt nisi repugnare deo? In qua syllogismorum figura ita colligitur? Cur non potius contrarium eius infert? Ergo natura nostra nequit repugnare deo, utpote, tam inualida q̄ ne uidere quidem

Bucer contendit naturam hominis non posse non repugnare deo.

Soluũtur Buceri Argumenta.

quidem Deum nisi baptismate refecta queat? Quæ si est absurda cõsequentia, quanto absurdior est hæc quam facit Bucerus? Non potest uidere regnum dei, Ergo non potest non repugnare deo. Perinde ac si quis argutetur, Non datur potestas uidendi Cæsarem, Ergo uires adduntur quibus nequeat non oppugnare Cæsarem. Tales sunt & reliquæ illationes omnes ineptissimę. Nemo potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit eum, Ergo natura nostra non potest nisi deo repugnare. Animalis homo non percipit quę sunt spiritus Dei, Ergo Deo repugnat. Sensus carnis inimicitia est aduersus Deũ, Ergo natura corrupta, non potest Deo non repugnare: quasi idem sint carnis corruptio & carnis sensus.

Præterea & uim facit scripturis illis, in quibus cum sit manifestus tropus, uult ipsam rerum naturam intellectam. Siquidem quando dicitur: Qui in carne sunt Deo placere non possunt, siue carnis nomine ipsam substantiam, siue concupiscendi naturam intelligas, neutrum potest consistere. Si enim substantia intelligatur, iam tollitur uera & naturalis carnis nostræ resurrectio, quid resurgat enim caro quæ Deo placere non potest? Conijciuntur quoque in displicentiam Dei omnes homines, quam propter carnem donec uiuunt euitare nequeant. Atqui ita fiet, ut deo non placuerint sancti patres, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Virgines, deniq; & ipse Christus, nam & Christus ueram habuit carnem. *Carnis natura nõ reddit hoiem Deo inuisum.*

Quod si intelligatur concupiscentia illa naturalis carnis, idem nihilominus fiet, cum nemo sanctorum affectibus, & naturę concupiscentia uacauerit. Quin & de Christo legitur, quod in horto cœpit contristari & mœstus esse, Matthæi uigesimosexto. Item pauere & tedere, Marci xiiij. Orare quoq;, Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste, ueruntamen nõ sicut ego uolo, sed sicut tu uis: quæ oĩa uera argumẽta sunt humanã in Christo naturã, naturali cõcupiscẽtię obnoxiã fuisse. Attamẽ eo uesaniæ arbitror aduersarios nondũ pcessisse, ut & Chisti carnem adseuerent deo placere non posse. *Concupiscentia naturalis nõ est deo inuisa.*

Germanum ergo & uerum sensum talium dictorum, necesse est aliter accipi, & spiritum sanctum, non illud quod Bucerus, sed quod sancti patres intellexerunt uerbis illis significasse.

Opera carnalia Deo non possunt placere.

Chrysosto.

Exponũt autem patres locos illos, de operibus carnalibus quæ destinata uoluntate perficiuntur, non de carne ipsa aut concupiscentia suos limites non egressa. Chrysost. in viij. caput ad Rom. Qui in carne, inquit sunt, deo placere non possunt. Quid igitur? trucidabimus ne corpora nostra, migrabimusque ex hac carne, ut Deo placeamus? An iubes ut homicidæ simus, cum ad uirtutem nos ducere prætexueris? Vides quantæ nascantur absurditates, si quæ dicuntur simpliciter acceperimus. Carnẽ ergo hic dicit, nõ corpus, aut corporis essentiam, sed uitam carnalem ac mundanam, delicijs, luxuque plenam, quæ totum hominem carnem facit. Quemadmodum enim qui spiritu sancto erecti exultant, corpora etiam sua spiritalia faciunt, ita uicissim, qui ab eo resiliunt, uentri uoluptatique seruientes, animam quoque suam carnem faciunt. Non quidem essentiam, substantiamque illius immutantes, sed nobilitatem perdentes. Ponitur autem hic dicendi modus, & in ueteri testamento ubique, quo caro uitam significat crassam, carnosam, hoc est, absurdis uoluptatibus turpiter implicitam. Etenim ad Noe dicit Deus: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod carnes sunt. Atqui & ipse Noe circundatus erat carne. Verum non hoc erat crimen illud, quod Deum offendebat, carne uidelicet circundatum esse. Naturæ quippe hoc erat. Sed quod uitam carnalem susceperant. Propterea & Paulus dicit: Qui in carne sunt, &c. Idem in caput sextum Genesis ubi dicitur: Non permanebit spiritus meus in homine, eo quod caro sit, sic interpretatur: Hoc est, eo quod carnalibus operibus seipsos totos dedunt, & animæ substantia abutuntur, & quasi sola carne circundati anima carerent, sic uitam suam absumunt. Perpetuus enim scripturæ mos est, carnem uocare carnales, sicut & uirtute præstantes, carnis expertes nominat, quemadmodum Paulus dicit: Vos autem non estis in carne, &c.

Per aliam spũ sctõ erectam caro fit spiritualis.

Irenæus.

Multo pluribus uerbis idem ostendit beatus martyr & episcopus Irenæus libro contra hæreses quinto. Et inter alia ita habet: Bene igitur Apostolus ait: Caro & sanguis regnum dei possidere nõ possunt. Et qui in carne sunt deo placere non possunt: non substantiam rejiciens carnis, sed infusionem spiritus attrahens. Et propter hoc

ait, Vos

ait, Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus dei habitat in uobis.

Et Epiphanius aduersus hæresim Dimæritarum: Caro semper in scriptura reprobatur propter fientem in ipsa concupiscentiam. Non omnino autem carnem ipsam reprobat, sed quæ ex ipsa fiunt, reprobauit deus uerbum. Nam opera quæ in ipsa fiunt mala, palam reprobauit, ipsam uero carnem, sanctum dei templum ostendit, in eo qui carnem ipsius sanctificauit &c. Idem contra Marcionitas: Ne quis accuset sanctum Apostolum, uelut qui dixerit: Caro & sanguis regnum dei non possidebunt, non enim omni carni culpam attribuit. Quis enim accusabit electos dei? Quomodo non possidebit Maria sancta cum carne regnum cœlorum, quæ scortata non est, nō petulans fuit, non adulterium commisit, nullum flagiciosum carnis opus perpetrauit, sed impolluta permansit? Non igitur de carne dicit, quod non possideat regnum cælorum, sed de carnalibus hominibus, qui opera mala per carnem faciunt. *Epiphanius.*

Isychius Hierosolymitanus, libro iij. in Leuiticum, Ante circuncisionem homo abominabilem habet carnem & immundam, mundatur autem per circuncisionem, quæ imaginem gerit resurrectionis mortuorum &c. Constat autem circuncisionem figuram tantū fuisse baptismi, gratia longe maiore præditi. *Isychius.*

Augustinus lib. lxv. quęstionum, Carnem & sanguinem Apostolus opera carnis & sanguinis appellat. Nam si propria hic substantia carnis accipienda est, quid dicent de his quibus scribit idem Apostolus, Vos autem in carne non estis, sed in spiritu? Nunquid nam Romani carnem non habebant, quibus Apostolus scribebat? Sed in carne (inquit) non estis, id est, non estis carnales, non facitis opera carnis quæ inimica sunt deo, quæ legi dei non subijciuntur. Qui autē in carne sunt (inquit) deo placere non possunt. *Augustinus.*

Ad eundem modum patres & illud exponunt quod Bucer ex Apostolo allegat: Sensus carnis inimicitia est aduersus deum. Vbi Erasmus & recentiores fere omnes uerterunt affectus carnis. Vetus autem translatio, nunc sapientiam carnis, nunc prudentiam interpretatur: quod nemo unquam accepit de natura carnis dictum. *Quomodo intelligitur Prudentia carnis, inimica deo.*

Alia longe res est, carnis natura, alia sapiētia carnis aut affectus. Natura perpetua est, prudentia mobilis & uolatilis, quæ nunc cupiditatem sequitur luxuriæ, nunc gloriæ, nunc opum, aut deliciarum, nō ad eundem in omnibus modum. Chrysostomus affectum carnis maliciam dicit, nihilq; minus hic quàm de substantia & essentia, sed de uirtute & malicia magis disserit, ostendens te nunc gratia spiritus sancti hoc posse quod in lege non poteras, in tuaq; esse deinceps potestate, carnalem fieri uel spiritalem. Neque enim (inquit) legi mētis nostræ peccatum nunc rebellat, neque nos captiuat quemadmodū antea, sed omnia illa cessarunt dissolutaq; sunt, humiliatis simul terroreq; suppressis passionibus illis, quę spiritus sancti gratiam uerebantur tremebantq; &cæt. Nec aliter eius abbreuiator Theophil. in epistolam ad Roman. viij. Et Ambrosius in eundem locum ita scribit: Non carnem dixit inimicam, sed sapientiam carnis, id est, non substantiam sed actus aut cogitationem siue asseuerationem, quę nascitur de errore &c. Ita & reliqui patres, ut existimem ad ostendendam sententiam uerborum Apostoli, neminem requirere ulteriora testimonia patrum, quandoquidem semper creditum fuit, spiritum sanctum, de quo false Bucerus gloriatur, per hos ipsos, quos modo citauimus docuisse & instruxisse Ecclesiam dei: satis ergo iam perspectum est, Apostolum non uoluisse, carni nostræ tantam infarcire maliciam, ut propter eam nemo queat non repugnare deo, sed eos tantū reprehendere, q nulla impulsi necessitate, ultro & uolentes se cōcupiscētijs & uoluptatibus carnalibus dedūt, inq; eis ipsis malūt uolutari, q̄ secundū spiritū, cui obtēperare utiq; poterant, ducere uitam.

Atq; hic Buceri error, uix parum distat ab insana Valentini, Marcionis, & Manichæi hęresi, qui carnem humanam asseuerant naturā malam & incurabilem, ut hinc negent Christum ueram carnem habuisse, utpote deo indignam. Hoc solo, si exacte rem dispicimus Bucero fortasse deteriores, quod non distinguūt carnem integram, à carne corrupta, & cui Bucer tantam uim malorum tribuit ex propagatione, huic tribuūt illi ex origine & creatione maliciā. Sed quantum discrepat alter ab alteris? Vnus solus Christus carnem habuit incontaminatam. Adam uero & Eua ad momentum duntaxat in

Bucerus lapsus in hæresim Manichæi, Marci

carnis

carnis integritate perstiterunt, ut tantillum tempus damnationem Buceri euadāt. Ergo ījs exceptis, de reliqua omnium hominum carne Bucero cum illis conuenit: quemadmodum enim Valentinus, Marcion & Manichæus humanam carnem (quam uolunt omnibus esse corruptam & malam) faciunt intractabilem, incurabilem, semperq; quoad uiuitur destinatam ad peccandū: Ita prorsus Bucerus, nec uerbulo mutato de carne per propagationē corrupta, docet. Quem si forte propterea nondum quis censeat per omnia Valentinianum, Marcionitam aut Manichæum, constat tamen plus quàm semiValentinianum, semiMarcionitā, ac semiManichæum, necessario fatendum. Quantulum enim interest? Quid de carnis corruptę qualem nos circunferimus malicia, illi constituunt, quod non idem asseueret Bucerus? Iam diu sepulta fuit infamis ista hæresis, sed reuocante ab inferis Bucero omnia monstrorum genera, & hoc quoq; prodigiosum caput rursum terris ostentat.

onis & Valentini de carne hominis qualis nunc est.

Non sum autem solicitus ne scripturæ sacræ authoritatibus aliquid obtineat, sic olim confossa est, sic extincta & ad inferos relegata per egregios orthodoxæ fidei doctores, quorum pleriq; in catalogo numerantur sanctorum, qui non modo authoritates quas Bucerus eodem quo Valentinus, Marcion & Manichęus sensu pro suæ hæresis stabilitione allegat, iam olim aduersus insanos illos, synceriter, pure & catholice explicuerunt, uerumetiam ipsam hæresim uerbo dei solido & indubitato clarissime confutarunt. In quibus sunt beatissimus martyr & pontifex Iræneus. Epiphanius item & Tertullianus & Augustinus, & alij plures ueterum scriptorum Ecclesiæ, qui passim in libris suis hæresim illam insectantur.

Quis confidat autem melius idipsum posse præstare quàm egregia illa Ecclesiæ luminaria fecerint? Idcirco non multum morabor in hæresis istius oppugnationę, tot annis iam antea damnatę. Tantum quo simplicibus quibusque, uenenatis istorum persuasionibus uulneratis, scrupulum eximam, aliquod patrū sententias recitabo, Ex quibus cognoscēt, neq; carnē, neq; carnis cōcupiscentiā,

In baptizatis caro & concupiscentia eius sine uoluntatis cōsensu nihil possunt.

neque item naturam quamlibet corruptam habere in baptizatis ui- res quas eis Bucerus tribuit, impellendi uidelicet hominem ad peccandum & repugnādum Deo, sed adeo emortuas, languidas & impotentes ad peccandum esse, ut nihil ualeant amplius, quàm ipsis permittat renati hominis uoluntas: ut illic sistatur eorum malicia, ubi uoluntas iusserit: ibi pergant male facere, ubi uoluntas subministrauerit robur & facultatem.

Quanquam enim caro nostra sit infirma, cupiditatibus obnoxia, ad bonum uero tarda, segnis, & suapte solius natura impotens: Quanquam item concupiscentia sit ad malum prona, in uoluptates carnales intenta, & inquieta semper feratur (ut Hilarius apud Augustinum inquit) ad peccandum, non tamen caro obtinet statim quod molitur, nec semper eo peruenit, quo tendit, ne in Ethnicis quidem rationis usu uigentibus: acrior licet & potentior sit in his concupiscentia quàm in Christianis. Quod satis probant Stoicorum illa præcepta, fortiaque & egregia gentilium facta. Qualis fuit Fabricij continentia, Reguli fides, Codri & Curtij pro ciuibus deuotio, Lucretiæ castitas: qualis item ueneratio parentum, cōiugia honesta, liberorum educatio, studiū uirtutis, criminum detestatio, adulteriorum, incestuum, furtorum, sacrilegiorum, latrociniorum, omniumq; malorū pœnæ, iusticiæ, æquitatisq; tenacitas, mutuus ciuiū amor, pupillorum & uiduarum defensio, misericordia in egentes, erga calamitosos, erga afflictos, clementia in subiectos. Hinc & leges bonæ, & humanitatis officia nata sunt, quibus omnibus concupiscentiæ impetus frangitur, corrigitur libido, & gloriose summaque cum laude, uicijs, cupiditatibusq; proculcatis, ad uirtutis imaginem peruenitur. Quæ certe si quid post Deum per se bonum est, honesta, pulchra, laudata, per se bona sunt & amabilia, & lege insup naturæ commendata. Quapropter ait Apostolus ad Rom. secundo: Gentes quę legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Quis nisi demēs neget istis defuisse studium uirtutis, etsi ueram ipsam non sint assequuti? Quis dicat in his mentem non præualuisse concupiscentiæ, aut naturā non potuisse aliud

Concupiscentiæ impetus potest ratiōe frenari, sed non purgari.

quam

quàm repugnare deo? Ergo ratio dominatur in homine, ut ualeant etiam Ethnici agere aliud quàm caro concupiscat. Quamuis enim, secundum Arausicani concilij definitionem Homo p offensam praeuaricationis Adę, totus secundum corpus & animam fit commutatus in deterius, & uiribus animæ superioribus magna sit iniecta difficultas, multo tamen minus læsa est aut corrupta Mens quàm corpus: quod Apostolus clarissimis uerbis testat. Video, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. Item, condelector legi dei secundum interiorem hominem &c. Ergo menti licet intellectus obscuritate nonnihil obnubilatę, mansit sua lex suaq; ratio, qua ualeat suo quodam modo corpori imperare.

Omnia gentilium opera uiciosa.

Vide Augu. contra Iulianum lib. 4. capit iij.

Quanquã tamen interim hęc gentilium opera non careant peccato, adeoq; nihil ad æternam salutem cõmodent: Nõ enim quicquid honestum & bonum est, statim est & sanctum & uere bonum ac meritorium uitæ eternæ, sed oportet quod honestum & bonum est, etiam locare bene: quod Ethnici non faciunt, qui non ex fide agunt, neq; ex creatoris sui, quẽ ignorãt amore, sine qbus opera bona nunq̃ rite & bene peraguntur. Quamuis itaq; bona, quamuis laudata & egregia sint Ethnicorum facta, quãuis etiam non contra deum, quippe q̃d remuneret ea deus uel temporali felicitate: habent tamen coniũctum sibi & intextum peccatum, ob id uidelicet, quod male geruntur, haud secus ac si quis uinum bonum colligat in uas putridum, ubi inficiatur & acescat, aut margaritum preciosum uili includat æri: bonum quidẽ est margaritum, sed nihil adfert ornamenti, q̃d male locatum sit & sordibus obductum. Peccant ergo omnes infideles etiam dum uirtutem sectantur, & egregia opera designant, nõ quia agunt quod repugnet deo, aut quod mala sint opera, sed qa opera bona locant male: qui amplius peccarent, si ea ipsa non agerent. Præstat eñ bonum q̃d male locatum sit habere, quàm nullum habere: nec uideo cui repugnent, quàm suæ tantum concupiscentiæ & uitijs. Adeo ab oppugnatiõe dei sunt alieni. Qui uero male operantur, bis peccant, qui & malum agunt, & male. Non potest eñ malum aliter quàm male peragi. Proinde stulta, indocta, futilis, & indigna est sciolorum istorum noua Philosophia, qui omnia Ethnicorum facta ex æquo damnant.

Augu. lib. 5. de ciuitate dei cap. 15.

Quæ ratio peccati ĩ præclaris operibus infideliũ.

Absurda Doctrina Buceri & Melanthonis.

nantnec Ethnicorum tantum,sed & Christianorum, quorum omne opus bonum licet optime factum, asseuerant tamen esse peccatū, Quo quid absurdius excogitari possit,ipse cogitare nequeo.

Iam si possunt infideles & Ethnici, quibus est Deus ignotus, q falsa pro ueris amplexantur, quibus in nullo concupiscentiæ carnalis uis imminuta est, sed tantum naturali mentis iudicio præditi, per liberum arbitrium frangere concupiscentiæ uires, uoluptates spernere, subigere sibi & domare carnem, opera legis naturæ peragere, Cur non multo expeditius queant hęc ipsa præstare fideles in Christum regenerati? præsertim cum ad hoc detur eis in baptismate spiritussanctus, ut contra originalis concupiscentiæ reliquias carni inhærentes pugnent, eas reprimant & doment, ac tandem crucifigant & extinguant. sicut ait Apostolus: Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum uicijs & concupiscentijs. Quibus ijsdem dicit alibi: Vos autem in carne non estis fratres. An mentitur Apostolus? An caro potentior est spiritu? An non prępollet animus corpori, ut nequeat corpus & membra sua regere? Et quid dico, animus corpori? nō ualet gratia superare naturam? Sed inquies, spiritumsanctum & gratiam dei multi per peccatum amittūt. Hoc quidē proh dolor uerum est: constat tamen interim, baptizatos sacramentū regenerationis, nunquam amittere, nunquam redire in priorem natiuitatem, quę concupiscentiæ mater est, constat caracterem spiritus sancti, quo in baptismo signati sumus non abradi, constat post deletum originis peccatum, concupiscendi uires, non parum imminutas, si tamen credimus gratiam dei in baptismate aliquid potuisse: constat in baptizatis, licet in peccatum relapsis, durare cognitionē & fidem Dei, memoriam præceptorum, displicentiam non ignoti peccati, conscientiæ pondus, proprię turpitudinis abominationem, terrorem iudicij, ut tot stimulis punctus peccator, multo (non dico) ualeat, sed cogatur, promptius quam Ethnici concupiscentiæ suę impetum frenare. Et quomodo competet in eundem quod scribit Bucer, nos propter naturam nostram corruptam totaliter repugnare deo, nec posse aliud? Boni carnem suam crucifixerunt, quod secundū Apostolum iam factum est: secundū Bucerum, Originem, & Procliū:

Concupiscentia originalis mitior in baptizatis.

uero.

uero fiet, sed non nisi per mortem, atq; in futura resurrectione, mali crucifigere possunt. Si possunt autem crucifigere carnem, si possunt (quod Apostolus) in carne, non secundum carnem militare, si nondum sunt in malicia obstinati, aut carnis uicijs inextricabiliter inuoluti, quomodo non possunt abstinere animū & corpus, ne repugnēt deo? Est igitur inmobile argumentum, Possunt in carne positi non scdm carnem ambulare, Ergo possunt, depravata licet sit caro, non repugnare deo: nisi credat Bucerus nos necessario scdm carnem ambulare, & apostolum Paulum nobis illusisse, quando palam significat, nos posse non scdm carnem ambulare, & facta carnis mortificare. Si secundum carnem, inquit, uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis. Sed quid opus est multis? Possunt ociari, possunt dormire, possunt alijs rebus intendere, quę nihil deo aduersentur. Num sumus infeliciores bestijs, ut quae ex carne nostra pullulant sint omnia peccata? quae uero eodem naturae instinctu, seu concupiscentiae motu agunt bruta, peccato sint libera? At si concupiscunt bestię absq; peccato, propter arbitrij liberi defectum, Cur sit in homine peccatum, cui nullus accedit arbitrij consensus?

Perniciosa ergo, falsa & infernalis est imaginatio, q̄ spiritus quispiam inmundus Bucerum & suos ludificauit, nimirum peccata omnia ex sola carne per concupiscentiam profluere, etiam si nō accedat perfectus consensus: quod tamen tam persuasum sibi habent, ut putent experientiae contradicere eum, q huic eorum opinioni contra dixerit. Perniciosa qdem, quod falsa peccati cōscientia, destituat hominem uera fiducia erga deum, uera consolatione, uero gaudio, uera cordis pace, omnibusq; bonis fructibus spiritussancti. conijciat autē in perpetuum horrorem, & perplexam quandam animi dubitationem, qua desperet homo posse animum suum, spem & fiduciam uere in Deum erigere. Vt assurgant enim in deum homines malae & erroneae conscientiae, in quam falsa opinione prouoluuntur, remorsus non patitur. Talis est enim conscientiae malae natura, ut hoc ualeat in extinguendo pietatis studio, calore quoq; & amore Dei, quod aqua frigida in extinguendo calore naturae. *Buceri opinio desperatorū & diabolo deuotorū imaginatio est.*

Sic enim ait D. Chryſoſtomus homilia vij.in poſteriorem epiſt.ad Corinth. Quemadmodum in uehementi rigore,cõgeleſcunt membra & moriuntur, itidem & in peccatorum hyeme, horror animæ nihil ſuorum officiorum peragit, concreta uelut à rigore conſcientiæ. Quod corpori frigus eſt,hoc eſt animæ mala conſcientia, unde & timiditas naſcitur. Et in epiſtolam ad Hebræ.homilia xviij. Nihil ſic perturbat oculum,ſicut conſcientia mala. Turbatus eſt,inquit, in ira oculus meus,nihil ſic tenebroſum facit. Ex iſta hominem libera offenſione,& facies eum uehementem & fortem,qui ſemper nutriatur rebus bonis. Ac rurſum in Commentar. ad Romanos capite vij. Quid enim (dic oro) mala conſcientia triſtius eſſe poterit? quid ſpe bona ſuauius? Nihil qppe nos,nihil inquã,ita pcutere ac ꝑmere ſolet, ut expectatio mali: & uiciſſim,nihil ita mentes noſtras erigit,ac prope uolare facit, ut conſcientia bona. Licet autem hoc etiam ab ijs q̃ apud nos fiunt perdiſcere: Etenim qui in carceribus ſunt, condemnationemq; propter commiſſa flagitia expectant, licet innumeris modis opipare paſcantur, triſtius tamen uiuunt, quam qui per plateas & uicos mendicantes,nihil mali ſibi ſunt conſcij,&c.

Erronea conſcientia peccati pernicioſiſſima.

Si tanta eſt perturbatio conſcientiæ de uera opinione & conſtante peccato nata,quam noxia eſt,quam falſa opinio ſine cauſa incuſſit? Ergo de impijs dicitur in Pſalmis,Trepidauerunt timore,ubi non erat timor,& fugit impius, nemine perſequente. Quapropter beatus Auguſtinus iubet nos de primis motibus carnis,ſecuros eſſe, ubi non acceſſerit conſenſus,& delectatio in uoluntate,libro primo, de ſermone domini in monte: tales enim non ſunt in arbitrij noſtri poteſtate,& uel inuitis obrepunt. eſt tamen in arbitrij noſtri poteſtate,eos ne progrediantur comprimere, atque ita de eis triumphare. Quod pulchro carmine Chriſtianus ille,& poeta, & theologus, Prudentius expreſſit:

Primis motibus non committitur peccatum.

Nemo habitu naturę aut irritamina peccans
Corporis accuſet,facile eſt frenare rebelles
Affectus carnis,nimioſque retundere pulſus
Materiæ fragilis & uiſcera uicta domare
Quippe animus longe præſtantior,ut pote ſummo

Aethere

Aethere demissus,subiectos si uelit artus
Imperio quassare graui,iussisq; seueris
Dedere,regnanti domino uis nulla resistit.

Vnde tractatu xli. in Iohannem, Surgit ira,inquit,noli dare iræ linguā ad male dicendum, noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum,teneat arcem imperator interior, quia sub maiore imperatore iuuandus assistit,frenet iram,coerceat concupiscentiā. Proinde quanta utilitas est in memoria peccatorum,quæ uera conscientia agnoscit,ut humilietur,& pœnitentiam agat:tanta est pernicies,conscientiam falsa peccatorum opinione grauare,terrere, in perturbatiōem & desperationem protrudere. quod certe fit quando tale fingitur peccatum, quod nequeas euitare.

imaginatio peccati ubi non est peccatum,mala.

Sed & falsa est imaginatio illa, quod sacris scripturis non fit consentanea.Si nascuntur enim omnia ex carne peccata, Cur dicit Apostolus,Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates,aduersus mundi rectores tenebrarū harum, contra spiritales nequicias in cœlestibus:ad Ephe.vi. Nihil apertius potuit Apostolus contra hanc sententiam dicere. Dicūt naturæ accusatores homines propter carnis naturam corruptam,non posse nō repugnare deo. Apostolus uero, Nō est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem:sed alium fontem peccatorum indicat,nimirum, spiritualem dæmonum potestatem,qui suggerunt cogitationes malas, & carnem ipsam,alioqui mutam, ociosam & torpentem,irritant & excitant potius,q̄ ut sua sponte caro sp concupiscat,in regeneratis illis, qui carnem suā domuerūt.Idcirco iubet tela nequissimi ignea extinguere,nec imputare carni culpā, q̄ iam crucifixa est.Sed obijciet quis eundē Apostolū ad Galat.dicentē:Manifesta sunt opa carnis,q̄ sunt fornicatio,immundicia,impudicitia,luxuria,idolorū seruitus,ueneficia,inimicitiæ,cōtentiones,ęmulationes, iræ,rixę,dissentiōes,sectę,inuidię,homicidia,ebrietates, comessationes. Huic ego respondeo quod B. Chrysost. in eundem locum ait, Hic iam mihi dicito tu, qui carnis accusator es, Sit adulterium & scortatio carnis(iuxta uestram opinionem)inimicitię,æmulationes, contentiones, concertationes, hæreses & ueneficia cuius erunt,

Non oīa peccata ex carne generant.

Diabolus impellit ad mala.

Nam hæc tantummodo sunt corruptæ uoluntatis,nimirum ut cætera,quomodo igitur erunt carnis? Quod si hæc essent naturæ malæ,non uoluntatis prauæ,superflue dixisset,faciunt. At faciunt dicit, non patiuntur. Vides igitur quod hic non loquitur de carne, sed de terrestri cogitatione,quæ humi serpit,&c. Et paulo ante dixerat idē Chrysostomus: Ego quidem fateor carnem anima inferiorem esse, sed hanc quoq; pulchram esse.Non enim quod pulchro inferius est statim malum est,sed & ipsum quoq; bonum. At tu si demonstrare potes maliciam e corpore proficisci,accusa carnem.Hæc ille.

Notabis Lector q̄ strenue pro carne digladietur, quamq; argute hic summus Theologus discriminet peccata in Apostolo enumerata,ostendens quædam esse eiuscemodi ut nequeant aliunde proficisci q̄ ex praua mente,quædam uero ut uideri possint ex carne profecta,non tamen omnia:quod facile fiet manifestum,peccati ipsius speciem atq; principia disquirenti. Sit exemplum:Superbia initium oīs peccati.Si nascitur ex carne,aut naturali carnis concupiscentia superbia,unde pucnit in angelum incorporeum, qui carnem nō habuit? quin etiam qui priusquam condita fuisset caro, peccauerat. Quod si omnis mali initium non uenit ex carne,quomodo omnia peccata ex carne uenient? Sic de auaricia, quæ & ipsa secundum Apostolum, est radix peccati,dicit Chrysostomus:Sed apud nos radix illa est præter naturam rei.non est enim(inquit)naturalis concupiscentia pecuniarum,sed a sordida & praua negligentia uenit.homil.xxiij. in posteriorem epist.ad Corinth. Ergo pro diuersitate peccati, alius atque alius necesse est ut sit eius ortus. Constat de hoc inter Catholicos,nullum peccatum sine uolunta:e hominis committi, siue in cogitatione existat,siue locutione,siue opere aut negligentia. Videndum igitur quid uoluntatem præcedat,trahatq; ipsam in consensum: nam illud utiq; peccati commissi erit fons.Sed tamen quę præcedunt tam sunt plerunq; occulta,ut uix sagaci mente depræhendantur,quo fit ut sit peccatorū origo cognitu difficilis. Certe Chrysostomus non dubitat ad diabolum fere omnem eius originem reijcere,cōmotus(ut apparet)uerbis Apostoli,Non est nobis colluctatio &c. Vnde in calce homi.vij.in post.epist.ad Corin.plixe demōstrat,Venereā cōcupis-

centi-

centiam, ab insultore dæmone hominibus negligētibus uel inuitis infigi. Idem fecit B. Epiphanius inducens ex Methodio prolixam eius declarationem, sub nomine peccati, quo diabolum significat. Verba eius sunt: Hinc obsidens me malum, insidet ac uiget, ut in carne mea inhabitet uelut fucus in fauo apis, circumuolans sæpe circū ipsum ac bombum edens, cum hoc supplicium impositum sit mihi, mandato transgresso, & uenditus sim malo. Quapropter etiam nō cognosco quod operor, cogitans quod non uolo. Nam quod dictū est, q̄d operor, non cognosco, non de eo quod operati sumus, ac perfecimus malo accipiendum est, sed de eo quod solū cogitauimus, cogitationibus insyncerisſępe nobis aduolantibus, & seducentibus nos, ad quæ non uolumus, ita ut anima per cogitationes, circa multa circūducatur. Non enim in nobis omnino est sitū, ut aut cogitemus, aut non cogitemus absurda, sed ut cogitationibus utamur, aut non utamur. Impedire equidē, ut non incidant in nos cogitatiōes, q̄ forinsecus ad probationē nostri inspirant, nō possumus. Non obedire uero, aut non uti ipsis possumus. Et post pauca: Obrepunt enī circa cor nostrū, inscenduntq; etiam non uolētibus nobis sæpe innumerę cogitationes, de infinita curiositate ac negocijs sordidis incidentes. Quapropter uelle quidē, ut neq; cogitemus ipsa, in nobis sitū est: uerū efficere, ac operari q̄ dissipentur ut ne rursus in mentē nostrā redeant, hoc in nobis nō est sitū, sed ut utamur ipsis solū quodāmodo, aut nō utamur. Atq; huc fere ptrahit magnā partē cap. vij. ad Ro. Ac tandē subdit: Vides q̄d cogitatiōes forinsecus nobis instant, uelut canes rabiosi, aut færi, aut audētes latrones cōtra nos semp, instigati à tyranno ac principe iniquitatis, probante nos, an resistere ipsis possimus & aciem contra instruere. Proinde facta parænesi, hortatur stare aduersus insidias diaboli, cogitationesq; destruere. Quia (inquit) non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem.

Epiphan. in heresim Origenistarum.

Pœna est orig. peccati, q̄ nobis inuitis diabolus cogitationes malas immittit.

Adeo sancti isti & doctissimi Ecclesię illustratores, non fuerunt ausi in carnem, aut naturæ concupiscentiam, peccatorum originem referre. Quibus in Hamartigenia sua Prudentius succinit:

Errat (ait) qui luctamen cum sanguine nobis
Et carne & uenis feruentibus & uicioso

Felle putat, calidisq; animam peccare medullis
Non mentem sua membra prẹmunt, nec terrea uirtus
Oppugnat sensus liquidos, belloue lacessit
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieq;
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste
Et pigris densus nebulis obtemperat aer.
Scilicet hoc medium, cœlum inter & infima terrę
Quod patet, ac uacuo nubes suspendit hiatu
Frena potestatum uariarum sustinet, ac sub
Principe Belial rectoribus horret iniquis
His conluctamur prædonibus, ut sacra nobis
Oris apostolici testis sententia prodit.

Spiritus mali uarij.

Fortassis, hoc est, quod legimus tam diuersos spiritus uiciorum in scripturis sacris, apud prophetas præcipue. Sunt enim spiritus mẽdacij, spiritus nequam, spiritus erroris, spiritus uertiginis, spiritus superbiæ, spiritus irę, spiritus fornicationis, spiritus immundiciæ, & aliorum peccatorum, quos non dubium est carnem & animos nostros ad peccandum sine remissione solicitare.

Quorũdam peccatorum origo est animus hominis.

Sed tamen, cum sit in animis quoq; humanis principium quoddam motionis naturalis, uoluntatem præcedens, licet non ab externo aliquo spiritu uel agente commoueatur, non uideo quid uetet & ipsam quoq; nonnunquam fieri principium peccati, & in sese exusci tare, uel torpentem carnem, cui immersa est, ad concupiscendum, uel mentem ad uoluntatem, sicut ueritas ipsa Christus Matth. xv. ait, De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia &c. uidelicet iudicãs & hominis mẽtem in se continere quasdam peccati origines. nisi quis hoc loco, nomine cordis putet uoluntatẽ intelligendam. Sed tamen & alijs scripturæ locis non infrequenter cordi seu menti, incitamentum peccati inscribitur. Hinc Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. xiiij. Vides ergo quia animus noster culpæ author est, itaque innocens caro, sed plerunque peccati ministra. Et Chrysost. sermo. v. in epist. ad Rom. Aperit (inquit) simul, peccata non ex carne, ut quidam hæreticorum uolunt, sed ex mente proficisci: mente siquidem existente

reproba

reproba, cuncta simul, quemadmodum solet auriga corrupto, dissoluta sint & peruersa. Apostolus Iacobus dicit, Concupiscentiam primum concipere, ac tum demum ubi conceperit parere peccatum. Si concipit autem, unde nisi a suggestore diabolo? aut immersa carni uitali anima quæ sentit & intelligit quod concupiscatur. Non cōcupiscitur enim quod neq; sentitur, neq; intelligitur. Et cur nō queat anima in sua carne, aut carnis suæ qualitate concupiscentia hoc quod potest spiritus externus in eadem? Ergo tam cogitatio ipsa, aut memoria aut intellectus uel sensus, carnis cōcupiscentiam aliasq; animi passiones, quæ pulsent uoluntatem, quàm suggestio exterior, exuscitant.

Videntur autem Venerei stimuli & passiones quas cum brutis animalibus cōmuniter patimur, ex carne posse nasci, neq; suggestione diaboli, neq; sensu corporis, aut cogitatione mentis præcedente. Quod uel hinc fit probabile, quod cætera animalia ruant in Venerē, quæ tamen omnis diabolicæ suggestionis sunt expertia, sed tantum instinctu agitantur naturæ. Cur nequeat idem accidere hominibus naturæ suæ propriæ instinctu? *Ad quædam peccata sola incitat caro.*

Atque ita fiet ut in his speciebus nunc a diabolo, nunc ab interiore cogitatione uel sensu, nunc solo naturæ instinctu suboriatur cōcupiscentia ad rem Veneream, uel ira ad inuadendum inuitans. Nec tamē huiusmodi motus naturæ instinctu suscitati (sicut B. Chrysost. ait Homil. xxiij. in xi. cap. posterioris epistolæ ad Corinth.) sunt statim peccata, nisi per abusum uoluntatis. Hæ passiones (inquit) sunt nobis utilitatis gratia implantatæ, nam concupiscentia propter procreandam prolem, ira uero ut læsos adiuuemus. Et in vij. cap epist. ad Rom. Quando corpus mortale factum est, concupiscentiā quoque necessariam deinceps accepit: iram scilicet & tristitiam cum reliquis omnibus, quæ multa philosophia opus habēt, ne inundatione facta, cogitationem nostram in peccati profundum demergant. Ipse siquidem passiones in se peccatum non sunt. Infrenata uero ipsarum immodestia peccatum operata est, ut exempli gratia unam illarum tractem. Concupiscentia quidem peccatum non est. Quando uero in immodestiam foras eruperit, nolens intus nuptijs legalibus esse *Passiones ipsæ non sunt peccata, sed adiaphora.*

contenta, ſed alienis mulieribus inſiluerit, tunc demum adulterium fit. Non à concupiſcentia, ſed à nimio & illicito eius luxu. Hæc ille. Quin ubi naturæ metas ad enormiter peccandum prętergreditur, ceſſat eſſe naturalis concupiſcentia, propter accedentem uel diaboli uel malæ uoluntatis impulſum ad res naturæ non cõſentaneas. Quo modo & in ſpecies non naturales ac prodigioſas nonnunquam degenerat, qualia erant crimina Gomorrheorum & Sodomitarum, à quibus natura abhorret, licet corrupta: tantum abeſt, ut ab ea ſola oriantur. Ideoq; & appellationem obtinuerunt ut uócentur peccata contra naturam. ad Romanos primo: Tradidit illos deus in paſſiones ignominiæ. Nã fœmine eorum immutauerunt naturalem uſum in eum uſum qui eſt contra naturam. Similiter & maſculi, relicto naturali uſu &c. ubi Apoſtolus palam naturæ licet corruptæ, paſſiones, à paſſionibus ignominiæ ſecernit, oſtendens non à natura omnia peccata profluere. Sic & adulterium Chryſoſtomo teſte non uenit à naturæ inſtinctu, ſed à praua uoluntate, in Commentarijs epiſtolæ ad Galatas, capite quinto. Et ſermone ſecundo in primum caput epiſtolæ ad Ephesios.

Peccata quædam odit etiam natura corrupta.

Manifeſtum eſt igitur, eos longiſſime à ueritatis uia exorbitare, qui omne peccatum in naturam corruptam conijciunt, quaſi homo ſi peccato originali corruptus non eſſet, non poſſet peccare. Et non tantum conſequitur ſententia iſta Buceri doctrinam, quam hactenus oppugnauimus, uerumetiam in epiſtolam ad Romanos quinto, diſertis uerbis ita ait: Quicquid ulli unquam homines peccarunt, fructus & effecta ſunt peccati Adæ. quod ita dicitur, quaſi non habeat in ſe homo, aut principia alia aut aliam peccandi facultatem, quàm peccato illo acceperit.

Et quæ eſt ueſania, noſtra omnia peccata corruptioni naturæ imputare, cum primus homo peccauerit incorruptus, & natura adhuc integra? Si potuit autem ille natura peccare integra, cur non modo corruptionem qua deprauati ſumus, grauiori peccato queamus excedere, & non tãtum pro limitibus illis peccare? quod ſi poſſumus & aliquando fit factum, quis non uideat, non omnia peccata fructus eſ-

Homines interdum gra-

se illius peccati,sed ita quædam commissa quo modo etiam commit terentur,si corruptioni carnis non subiaceremus? Hoc fecit angelus incorruptus, fecit idē homo in arbitrij libertate cōstitutus,nulla im- pellente uel necessitate uel corruptione.Cur non queant & nunc ho mines per eandem arbitrij libertatem tale aliquid committere, ad quod neq; necessitas neq; præcedens corruptio inuitat? An corru- ptio illa hanc potestatem homini ademit? An facti sumus ex ipsa ad peccandum minus ualentes ꝗ angelus erat aut homo ille primus? Falsa est igitur & implicita contradictione ineptissima sententia illa, hæreticiq; hominis uanitatem manifeste prodit. Nō ex hac tantum parte, qua huic uni corruptioni omnia peccata male alligat,sed & in de quod de sola carne totum metitur ac æstimat hominem,quasi to- ti simus carnei,& nulla re alia constemus.

uius peccan do excedunt ꝗ orig. deprauatio inclinet.

Esto ut sit talis ipsa caro qualem esse uolunt, fingamus totam per uersam.Sed quur totum hominem de carne, parte eius ignobili æsti memus? An pecus aliquod,& non nisi carneus est homo? Nihilne ualet rationalis anima? Aut est hæc ociosa,tantumq; ut huc illuc te- mere impellatur apta:caro uero digna cui imperium in animam ad- scribamus? An est anima carne abiectior,& non digna de qua ho- mo æstimetur? Ita sane naturæ inuertitur ordo, & dominium quod erat mentis tribuitur carni:seruitus uero, quæ carnis erat, menti præpostere imponitur. Non adeo hæretissauit post Valentinum & Marcionem,Manichæus,qui animam diuinum quiddam in homi- ne esse putauit,ac Dei partem. Non ita priores Valentinus & Mar cion,qui & ipsi supræmum in homine ac dignissimum locum ani- mæ fecerunt:nec ullus unquam adeo delyrauit,ut tam absurde tam- que præpostere de duabus istis hominis partibus constitueret. Vnde ergo istorum tam præpostera ac monstrosa de toto homine diiudicatio? Si præpollet enim anima carni,quare nullo animæ(præ sertim in Christo baptizatæ)respectu,uolunt hominem ob uiciatam tantummodo carnis naturam, non posse aliud ꝗ repugnare Deo? Cur non pocius propter animam iam purgatam & sanatam, per- mittunt homini posse Deo obedire?

Bucerus men te suppressa totum hominem æstimat a carne.

Apost. ab aīa metitur & di iudicat totum hominem.

Aliter Apostolus, qui in ipsam respicit animam, & talem facit totū hominem, qualis ea fuerit. Vos, inquit, in carne non estis. Item: Vos qui spirituales estis. Item: Nos in carne non secundum carnem militamus. Item: Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Item: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Quomodo autem in tales quadrabit, quod asseuerat Bucer, homines propter corruptam carnis naturam nō posse non repugnare Deo? Hærere semper inuisam Deo corruptiōem etiam in membris baptizatorum? Qua confidentia & alibi dicit, hoc unum Adæ peccatum sic ingenium omnium mortalium destruxit, ut tota eorum uita, nihil quàm peccata gignere possit? Quantulū abest, quin faciat ex hominibus incarnatos quosdam diabolos, creatori suo Deo natura recalcitrantes? Proh quanta est insania, non simplex error, talia de hominibus ratione præditis (ne dicam Christo implantatis) credere.

Diluat ista si potest Bucerus

Bucerus sic de hoīe cōstituit, ac si sit hō diabolus incarnatus.

Habe ergo tu Lector Christiane, hominem & ultra modum corruptionis illius & citra posse peccare. Vltra, quando non fragilitate uictus, sed libidine propria maliciave extimulatus peccat. Citra, ut si inter benefaciendum humanum aliquid per carnis infirmitatem patiatur. Nec facit ad peccati rationem (licet rumpantur hæretici) corruptio naturæ, propter quam uolunt omnia nostra esse peccata, sed praua uoluntas, qua peccauit angelus incorporeus, peccauit primus homo, corporeus quidem, sed natura incorruptus, qua & modo peccatur, utut habeat, bene uel male naturæ conditio. Nec ulla potest esse tam uiolenta dæmonis suggestio, nulla potest irrepere in animum hominis tam uehemens cogitatio, nec est ulla quālibet corruptæ carnis siue concupiscentia, siue sensatio, quæ hominē inuitum peccati reatu constringat. His enim datum est hominis uoluntatem pulsare, tentare, & pertentare, nequaquam autem cogere. Proinde iners est diabolus, inefficax concupiscentia, iacent omnia, cadunt omnia, si non accedat uoluntas, qua sola peccatum efficitur, ut merito Prudentius eam peccati parentem appellauerit, qui sic in hamartigenia sua modulatur:

Hoēs infra & supra modum corruptæ nostræ propensionis peccant.

Peccati incitamenta non cogunt hoiem peccare.

Omne peccatum uolunta rie pagitur.

Sed quid ego omne malum,mundiq;,hominumq; maligni *Prudentius.*
Hostis ad inuidiam detorqueo,quũ mala nostra
Ex nostris concreta animis,genus, & caput & uim
Quid sint,quid ualeant,sumant de corde parente
Ille quidem fomes, nostrorum causa malorum est.
Sed tantum turbare potest, aut fallere quantum
Nos uolumus,qui decrepito suggesta leoni
Armamenta damus,friget fera,futile frendens,
Humani generis ni per suffragia gliscat
Gignimus omne malum proprio de corpore nostro.

Hinc beatus Hylarius apud Augustinum lib. ij. contra Iulianum nos contra diabolum uictores facit, quando non accedit uoluntas. *Hylarius.* Tanta enim (inquit) & tam admirabilis in nos misericordiæ dei bonitas est,ut per quem in Adæ offensa generositatem primæ & beatæ illius creationis amisimus, per eũ rursum id quod amisimus obtinere mereamur:tunc enim diabolus inuidens nocuit, nunc autem cum nocere nititur,uincitur. Mouet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela,cum ad lasciuiam accendit, cum ad ebrietatem illicit,cum ad odia stimulat,cum ad auariciam prouocat, cum ad cædes instruit,cum ad maledicta exacerbat. Sed cum per firmitatem animi, horum omnium surrepentia incentiua reprimuntur,emundamur à peccato,per huius uictoriæ gloriam.

Chrysostomus quoq; serm. ij. in primum cap. ad Ephes. prolixa oratione demonstrat,neminem ad peccandũ cogi posse:non à diabolo,cum ira nobis stimuli instar indita sit, ut dentibus aduersus eũ frendamus,& uehementes aduersus ipsum simus: Non à natura,quã deus ita creauit,ut nullã peccati necessitatem haberet, sed potius seminaria quędam ad uirtutem sibi indita:Non à cõcupiscentia, cuius tyrannidẽ facile sit compescere.Ipse uide locum quem breuitati studentes non potuimus hic inserere totum. Idem Homil. lij. in xxv. cap. Matth. Ne desperare faciamus(inquit)et iã uirgines bonas,quia diximus per concupiscentiam animas fornicari.Sciendum est,quod aliud est concupiscere,aliud uelle. Cõcupiscere passionis est,uelle aũt arbitrij:frequenter concupiscimus etiam q̃d nolumus. Si ergo con- *Chrysostom.*

tur,dum contra hoc nostrum quod à iusticia deficit, illo nostro q̃d ad iusticiam proficit,dimicatur,ut uincente, profectu totum surgat in melius: non uincente,defectu totum uergat in peius.Quæ sententia est Augustino in omnibus fere libris perpetua.

Sic Basilius Magnus in concione de hoc dicto: Attende tibi ipsi. Item quæst. xxx.earum quæ compendio explicantur. Sic & Ambros. multis in locis,&patres reliq,qui ea de re mentionem fecerunt: nec est ulla Ecclesiasticorũ scriptorũ discordia, & spectant fere oẽs in sententiã Chrysost.Homil.xij.in v.caput Mat.ubi de diuisiõe uolũtatum aiæ & corporis,ita ait: Sicut duas in nobis habemus naturas, animæ scilicet & carnis,sic duas habemus uolũtates,unã animæ,alteram carnis:duas iras,unam animæ & alteram carnis:duas concupiscentias,unã animæ & alterã carnis. Et natura quidẽ carnis,nõ potest se ab his omnibus separare,quoniam non est in arbitrio suo creata, uenundata est enim sub peccatũ. Anima autem in arbitrio suo creata ẽ,secundũ legem iusticiæ dei, propterea potest & non irasci si uult,& non concupiscere si uult. Quando ergo irascimur & concupiscimus, si displiceamus nobis,& festinemus reprimere uel iram,uel concupiscentiã nostrã,manifestũ est,qa caro nostra irascitur,aut cõcupiscit sola,non anima nostra.Quando aũt cõplacemus nobis in his, & decreuimus si poterimus,nostram implere iracundiam,uel concupiscentiã nostrã,tũc &aĩa irascitur,& cõcupiscit simul cũ carne.Propterea deus non mandat carni quæ mandat. Quis enim sapiens illi ponit p̃ceptum,quę nõ potest obaudire? Sed ad animã loquitur, & animæ mandat,q̃ potest deo in omnibus obaudire,q̃ potest etiã carne irascente& cõcupiscẽte,ipsa nec irasci nec cõcupiscere &c. prosequitur eĩn rem istã longa oratiõe,ostendẽs,carnẽ nõ esse in arbitrio suo creatã,atq; adeo sua cõcupiscẽtia nõ peccare,regi aũt ab anima,in cuius potestate est carnis cõcupiscentia uel uti uel abuti. Vnde uides Lector,q̃ longe à sanctis patribus,noui isti dogmatistę aberrẽt. Eat ergo nũc Philipppus &lapidet Theologos affirmãtes concupiscentiã illã carnis,quæ in baptizatis manet,esse adiaphoron, persuadeatq; suis hoc sentire patres, quod ipse in Apologia hac de re nugatur. Sed ignosce huic domine Deus, & ne statuas ei hoc peccatum

Duplex in homine uoluntas, una animæ, altera carnis.

Animæ non carni dictum est, Non concupisces.

Philippus imperite taxat Theologos, asserentes Concupiscentiam esse indifferentem.

peccatum, quia nescit lapidator iste ueritatis, quid faciat. Putat se & in rebus theologicis posse rhetoricari, & quidlibet affirmare pro uero, q̃d oratione queat uideri probabile, quanquam ut istud probabile uideatur, nunquam effecerit. At qua tandem Bucerus uenia dignus erit non eadem docens quæ sentiat, q non ignarus ueritatis, eam pertinaciter & studiose oppugnat? qui prudens, sciens & uolens suscepit erroris mali patrocinium? Atque ubi se comperit patrum suffragijs destitutum, scripturas sacras miserabiliter torquens, ingenti nec minus scelerato ausu, os tollit in cœlum, in deum, prouocat ad spiritum sanctum, quem utinam non præter suam ipsius mentem tam uane, tam contemptim & irreligiose statueret erroris ac perfidiæ suo magistrum.

Bucerus suffragijs scripturæ destitutus allegat Spiritum sanctũ in testem suæ perfidiæ.

Sed quorsum in eadem cõmentatione, obtexit errori suo Christum? quasi de hoc sit disceptatum, utrum extra Chr̃m, uel in Christo, possit homo non repugnare deo. *Testatur* (inquit) *spiritus sanctus utiq; aperte in his scripturis, hominem extra Christum non posse aliud quàm repugnare deo.* Iam antea dixerat, *homines propter naturam suam peruersam reluctare deo, nec aliud posse.* Nũc dicit, *propterea deo reluctari, quod agant extra Christum.* An hæc sunt prorsus eadem? Quid facit ad naturam agere in Christo uel extra? Christus enim non naturam mutauit, sed uoluntatem correxit, ait Chrysost. in Cõmentarijs vi. capitis ad Rom. Omnium quoq; Theologorum sententia est, peccatum non auferre naturalia, sed dona gratuita. Quod si definire uolebat eos qui sunt extra Christum, quid naturam nobis cõmemorat & accusat? An quibus est natura deprauata, sunt statim extra Christum? Nobis o Bucer omnibus est deprauata, infirma & corrupta natura: an uidemur tibi idcirco omnes esse extra Christum? Rursum, si solos Ethnicos qui sunt extra Christum uolebas non posse non repugnare deo, Quur Bonnneses quibus scribis, dicis propter naturam suam corruptam non posse non repugnare deo? An sunt tibi Bonnenses oẽs Ethnici? qui felices & beati essent si licuisset eis Bucerum

Buceri tergiuersatio & elusio.

Christus habitat in corporibus nostris licet corruptis.

Quales facit Bucer Bonnenses.

nunquam uel uidere, uel audire.

Verum hic quolibet se uertat Bucer, prodet doctrinæ suæ inconstantiam. Siquidem extra Chrm sunt gentiles, Iudæi, & impij quiq;. Sunt item extra Christū hæretici, schismatici & scelerati Christiani, & manēte carne, manēte naturali concupiscentię lege, manēte utriusque natura, possunt hi rursus per pœnitentiam ad Christum reuerti, illi uero in eundem regenerari, quibus factis, erunt in Christo, licet de praua ta sit eis omnibus natura. Vtrumlibet iam eligat Bucer, tales repugnant deo: an non? Videmus in omnibus istis simul & naturam deprauatam, & nihilominus haberi Christum. Si non repugnant deo qui agunt in Chro, frustra accusauit naturā corruptā. Vox eius est, *Nō posse aliud quàm repugnare deo, asscripsi naturæ corruptæ, sicut per peccatum originale facta est deo rebellis.* Si repugnant autē, licet sint in Christo, frustra in eodem contextu, excipit eos, q agunt in Christo. *Testatur spiritussanctus (inquit) hominem extra Christum, non posse aliud quàm repugnare deo.* En hæc est aduersariorum constantia, hęc est noua illa doctrina, quam spiritus qui Bucerum agitat testatur.

Perplexus & inconstans Bucerus.

Constat ergo ex his q̄ modo recensuimus, carnem, naturalemq; carnis cōcupiscentiam, neq; principalem esse originem om̄is peccati, neq; ijs solis peccatū in nobis constare, sed tantū esse quædam instrumenta, quæ malis cooperentur ad peccandum, bonis uero famulentur ad uirtutis exercitium, quanquam interim ad malum semper iusto sint proniora, ad bonum uero tardiora: nisi longo benefaciendi usu, per gratiam spiritussancti nos indies promouētem in contrariam consuetudinem redigantur: quod pijs usuuenire patres clare & aperte testantur.

Om̄e peccatū uolūtati imputandū non carni aut carnis concupiscentiæ, qbus uolentes bene uti possunt baptizati.

Chrysostomus Homi. lxxiiij. in Iohannem ait: Noli quod carnem habeas de uictoria desperare, neq; enim carnis natura Paulo fuit impedimento, quin qualis fuit euaderet, non Petro ut cœli claues acciperet. Et Enoch, in carne translatus nusquam apparuit: ita & Helias cum carne raptus est, & Abrahā Isaac & Iacob in carne claruerūt &c. Item in capit. viij. ad Rom. Idem qui animam saluuit, ipse est qui &

Chrysost.

carnem restituit, ut ductilis esset & morigera &c. Et in eum locum, Vos autem in carne non estis. An non erant in carne? An sine corpore circuibāt? Vides quod uitam significet carnalem. Et quamobrem non dixit: Vos autem non estis in peccato? Vt discas quod non solum peccati tyrannidem Christus extinxerit, sed etiam carnē ipsam habiliorem spiritalioremq;, non naturam illius immutando, sed ipsam magis erigendo, effecerat. Quemadmodum enim igne cū ferro coniuncto, ferrum ipsum quoq; ignem fieri uidemus, cum tamen in sua maneat natura, Ita & credentium, spiritumq; sanctum habentium, caro per spiritus energiam transmutatur, tota iam spiritalis facta, erectaq; omnino, ac simul cum anima in sublime sublata. Et infra, eodem capite: Neq; enim legi mentis nostræ, peccatum nunc rebellat, neq; nos captiuat quemadmodum antea, sed omnia illa cessarunt, dissolutaq; sunt, humiliatis simul terroreq; suppressis passionibus illis, quę spiritus sancti gratiam uerebantur tremebātq;.

Cui adstipulatur beatus pater Epiphanius in hæresi Manichæorum, ubi sic ait: Et non nouit imperitus ille in omnibus, quod opera carnis sunt scortatio, adulterium, & his similia, etenim quando operabitur scortationem, caro ipsa operatur. Si uero habuerit continentiam, non amplius caro, caro est, sed caro in spiritum transmutata est. Quemadmodum etiam Apostolus dicit, Qui ab initio coniunxit ambos, dixit: Quapropter relinquet homo patrem suum & matrem suam & adhęrebit uxori suę, & erunt duo in carnem unam. Quare qui adhęret scorto, unum corpus est, & qui adhęret domino, unus spiritus est. Igitur qui scortationem operatur, caro factus est. Non solum ipsa eius caro, sed omnia, & anima & alia caro fiunt. Adhærens enim scorto, caro factus est, & quum sit carnalis, caro omnino uocatur. Qui uero adhæret domino, unus spiritus est, hoc est, & corpus & anima, & omnia quæ sunt in homine, unus spiritus sunt in domino. Et post pauca: Quoniam transmutatæ sunt non naturæ, sed mentes eorum, qui ex matrum & patrum carne ac sanguine geniti sunt, & geniti sunt secunda natiuitate, quæ contingit ex generatione domini, per spiritum & ignem &c.

Epiphanius.

Et de concupiscentia Chrysost. Homil. xxi. in vi. cap. Matth. ita ait: Ipsam certe concupiscentiam dissoluere potest maximę assi

duus auditus, quod si illius nodis permanes obligatus, intellige quia non est concupiscentia ipsa huius mali causa. Idem in commentarijs super v. cap. ad Galat. Qui spiritum habet, per hunc extinguit omnem concupiscentiam prauam. Ad eundem modum Methodius quem Epiphanius contra Manicheos allegat, dicit: Impotentiã naturalis boni deus in nobis recurauit misso filio suo.

Augustinus.

August. lib. 1. contra Iulianum allegat B. Ambrosium dicentem, paruulos qui baptizati fuerint in primordia naturæ suæ reformari. At naturæ primordia etiam fatentibus aduersarijs fuerunt inculpata. Vide concupiscentiam quoq; subdi deo, apud eundem, de opere monachorum. cap. xxxij. & lib. x. de Genesi ad literam. cap. xij.

Tertullianus.

Tertullianus in libro de resurrectione carnis: Videamus nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quanta huic substantiæ friuolę ac sordidæ apud deũ progatiua sit, et si sufficeret illi q̃d nulla omnino aĩa salutẽ possit adipisci, nisi dũ est in carne, crediderit, adeo caro salutis est cardo, de qua cum anima deo alligit, ipsa est quæ efficit, ut anima alligi possit. Sed & caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut aĩa cõsecretur. Caro signat, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi uescitur, ut & anima de deo saginet &c.

Possem & alia multa ex eodem Tertulliani lib. ex lib. itẽ de carne Christi, & cõtra Marcionẽ, & de corona militis. Itẽ ex Irẹneo cõtra hęreses, & alijs uetustissimis patribus p huius sentẽtię cõfirmatiõe allegare, sed puto Lectorẽ doctrinę Christianæ capacẽ nõ plura desiderare, pręsertim cũ constet apud Apostolũ ad Ephes. v. Nos esse mẽbra corporis Christi, de carne eius & de ossibus eius. Non quidẽ secundũ corporalẽ substantiã, ut putet caro nostra, aut ossa nostra esse carnis illius aut ossiũ partes, sed propter sanctificationẽ ex gratia dei, qua sumus ita Christo implantati, ut carnẽ Christo dignã feramus, tametsi læsa sit & infirma: nã & Christus in carne sua infirmitatis imaginem quandã ptulit, in suscitatiõe Lazari, i horto, & cruce, nec tñ propterea q̃sq̃, nisi sacrilegus & blasphemus Christi carnẽ ausit uilipẽdere. Ad eundẽ modũ habẽt & carnis naturales passiões, qbus uere Christus sicut & nos, fuit affectus, solo dẽpto pctõ, & uicijs qbus nię passiones

Caro nostra per gratiam fit Christo digna.

priusquam ad obedientiam redigantur, solent submitti & feruere. Hinc irascitur propter cæcitatem cordis Iudæorum. Marc. iij. Paruulos prohiberi ne se adirent indigne tulit. Mar. x. Fleuit super Hierusalem. Luc. xix. Misericordia motus est ad lachrymas uiduæ. Luc. vij. Esurijt post ieiunium quadraginta dierum. Matth. iiij. Et apud eundem xxvi. cap. ait: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Qualia plurima reperiuntur in sacris.

Iudicium. Paulum male interpretatur, reddens pro animalis homo naturalis, & uidetur damnare naturam bonā.

Bucer. *Quarta calumnia est, quod dicunt me non recte interpretari illud Pauli. Animalis homo non percipit &c. pro quo posuerim, Naturalis homo non percipit &c. quo ipso uidear damnasse naturam. Responsio. Paulus habet ψυχικὸν ἄνθρωπον, & hunc opponit: τῷ πνευματικῷ ἀνθρώπῳ sicut & capite 15. facit. Quod D. Lutherus bene īterpretatus est, Ein naturlichen vnd geistlichen menschen. Nam interpretari ψυχικὸν ἄνθρωπον ein seligen menschen, a uerbulo ψυχὴ quod ualet ein Seel, teutonice non apte dicitur. Cū itaq; sententiā Pauli claris & intelligibilibus uerbis reddiderim, qua ratione Coloniensium deputati, concludent me naturam damnare?*

Boni & fidelis interpretis est, uocem quam transferat, non detor-
Orthodoxus: quere ad suum commodum, uel institutum, sed reddere ueram & propriam eius significationem pro linguarum idiomate, à quo Bu-
Bucerus infideliter apostolū interpretatus est, cerus longe abest. Quod enim Apostolus habet ψυχικὸν ἄνθρωπος, transtulit, Der naturlicher mensch. hoc sine controuersia est, φυσικὸν ἄνθρωπον, atq; ita pro ψυχικὸν reponit in Apostolo φυσικὸν: qua in re manifeste Apostolū torquet pro suo sensu, nisi idē sint ψυχικὸς φυσικός

quod:

quod quis dixerit? Oportet quoq; in omni translatione linguas utrimq; esse conuertibiles, ut sicut prior illa uertitur in hanc, ita ex hac eadem prior ipsa non mutata sententia reuerti possit. Iam si quis Græcus roget, qd Germanis significet, Ein naturlicher mẽsch, quis huic respondeat idem quod Apostolus habet, ψυχικὸν ἄνθρωπον & non potius φυσικὸν ἄνθρωπον, latine uero naturalis homo.

Deinde, cum non fugeret Bucerum Apostoli sententia, qui τὸν ψυχικὸν ἄνθρωπον oppositum uolebat τῷ πνευματικῷ ἀνθρώπῳ id qd & Bucer fatetur Apostolum hic, & capite xv. in eadem ad Corinth. epistola facere, cur non reddidit germanice hoc ipsum quod Apostolus spiritui perpetuo solet opponere? Solet autem alibi opponere spiritui, non naturam sed carnem, quare ergo non carnem sed naturam transtulit? Si germanicę linguæ idioma Paulinæ uocis abusum non recipiebat, si non licuit imitari & dicere pro ψυχικὸν Seligen, Num nõ licuit etiam dicere ad retinendam Apostoli sententiam fleischlichen? Id quod τῷ πνευματικῷ contrarium est, & Apostolus significare uolebat. Non licuit facere quod alij quidam docti, & eruditi Germani, qui reddiderunt germanice, Thierlichẽ oder fleischlichẽ, quod animalem siue carnalem significat? Cæterum naturalem hominem, Einen naturlichẽ menschen, appellant Germani hominem modestum, tranquillum, ciuilem, sobrium, religiosum, probitatis amantem, ab insolentia, ab agrestibus & prophanis moribus alienũ, qui & naturæ dotibus pręmineat, & uitam ducat naturæ consentaneam: qualis certe spirituali homini non opponitur, quin sicut nihil uetat eundem hominem apud Latinos sancte simul & naturaliter uiuere, ita & apud Germanos, non proprie pugnant, Das geistlich vnd naturlich leben.

Apostolus spiritui carnẽ plerunq; opponit, sed nõ spiritum.

Quis germanis dicatur, ein naturlicher mensch.

Sed Bucer imitari uolebat præceptorem suum Martinum Lutherum. Digna res, Ita ne quod Lutherus sibi permittit, huic iam li cebit? Quanto præstiterat Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, cæterosque Ecclesiæ Latinæ catholicos doctores imitari, qui ψυχικὸν ἄνθρωπον uerterunt hoc loco, non naturalem, sed animalem hominem, futuræ hæresi sua arma detrahẽtes, aut Græcos qui cum

Patribus post habitis, Bucer Lutherũ sequi mauult.

Latinis in eadem sententia omnes conueniunt, docentq; simul omnes, Animalem hominem illum intelligi apud Apostolum, qui sensum carnis ac uoluptatis sequitur. Quæ sententia & præcedentibus & sequentibus Apostoli eodem in loco uerbis, quod infra demonstrabimus, inseparabiliter cohæret. Equidem fateor, non magnopere alias referre, animalem, an naturalem appellemus hominē carni deditum, ubi nulla est peruersæ doctrinæ machinatio. Hic autem appellatio illa periculo non uacat. Non hic sine magna causa recedunt aduersarij a recepta in Ecclesia lectione, a ueteribus & recentioribus interpretibus, a sanctis patribus, expositoribus epistolarū Apostoli. Rem moliuntur non leuem, quando hoc unum tantopere uocabulum urgent: non sane propter ipsam dictionem, sed propter illa quæ hic prædicantur, uerbis inhiant sequentibus, ut infarciant ea humanæ naturæ, cupiunt apostolica authoritate suam hæresim uulgo commendatam, eam nimirum qua fingunt, humanam naturam adeo in carne & mente esse deprauatam, ut homo nec intelligere, nec amare, nec sectari spiritalia bona possit, q̄diu hic uiuitur, q̄uis iam sit in Christum regeneratus, & spiritu sancto donatus. Ait aūt Apostolus (& quidem de baptizatis) Animalis homo nō percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Quod dictum si ad naturalem hominem pro suo uoto pertraxerint, uidebuntur obtinuisse quod uolebant. Proinde non abs re erit ut & uerum eius sensum teneamus, & aduersus perniciosam hæresim eundem tueamur.

Quare Bucer Apost. male interpretatur.

Multum enim interest, utrum de animali an naturali homine hæc ad eum quo Apostolus loquitur sensum dicantur. Animalis enim homo, hoc est, carnalis & uetus, qui propter opera & affectus hanc appellationem accipit, non est sempiterne carnalis, & proinde non semper animalis, sed deponitur pœnitentia per gratiam Dei, sed mortificatur, sed conuertitur, sed transmutatur conuersione actuum, in hominem spiritualem. Hinc Apostolus dicit: Non potui uobis loqui quasi spiritualibus, adhuc enim carnales estis. Cum dicit (adhuc) significat eos alios futuros. Ita alibi: Cum essemus in carne, passiones desideriorum carnalium, operabantur in membris nostris. Dicens

cum

cum eſſemus,ſignificat conuerſionem factam, qua non ſint modo carnales. At uero naturalis homo ſemper eſt naturalis, nec propter opera quæ in diuerſas ſpecies ſubinde mutantur talis dicitur,ſed propter ipſam congenitam naturam.

Senſus autem uerus,ut alibi, ita & hic ſecundum ſacræ ſcripturæ normam,quæ hoc eodem loco traditur,nobis eſt inueſtigandus. Loquimur (inquit APOSTOLVS) non in doctis humanæ ſapientiæ uerbis,ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Hoc eſt (uti CHRYSOSTOMVS & patres exponunt) ſcripturarum in quibus ſpiritus ſanctus loquitur collatione, ut quod breuiter uel obſcure dictum, aut uno aliquo in loco eſt dubitabile, ac difficile intellectu, reddamus per alias eiuſdem ſpiritus ſcripturas intelligibile,clarum & certum.

Ad quam normam,ſi præcedentia, & in eodem orationis contextu ſequentia primum intueamur,ſtatim apparebit de quonam homine Apoſtolus loquatur, Vtrum ne de carnali,an uero de naturali. Dixerat Apoſtolus: Loquimur non in doctis humanę ſapientię uerbis. En præfatur & indicat de quo ſit dicturus. Humana ſapientia de uirtutibus carnaliter philoſophatur,quęrit in uoluptate honeſtatem & felicitatem, boni malique diſcrimen affectibus permittit & ipſius carnis iudicio,quod delectet audire, quod paſcat oculos, quod gulam iuuet & uentrem, probat: ambit honores, contendit pro gloria,ſtudet cõgerendis auare opibus: Humilitatem uero,contemptum rerum, & huiuſmodi uirtutes deridet, & plane ſibi perſuadet ſtultitiam eſſe.

Verus ſenſus eius quod dixerat Apoſt. animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpũs Dei.

Quæ omnia cum animali ſeu carnali potius homini quam naturali proprie conueniant, ſatis indicat APOSTOLVS quid uelit animalis hominis appellatione intellectum. Sunt enim naturales etiam illi homines qui hęc non ſectantur, & in quibus ſapientia iſta humana non inuenitur.

Natu-

Naturales sunt paruuli,sed nondum humana sapientia prȩditi,nondum iudicant de honoribus,nondum inuident,nondum student auariciæ:breuiter,nondum sunt Apostolo carnales, aut si mauis animales. De moribus enim,non de substantia indit Apostolus homini istiusmodi appellationem. Naturales item sunt qui moribus ac malicia sunt paruuli,quales uult nos esse Apostolus,& de quibus Lucæ x.dicitur,In illa hora exultans Iesus in spiritu sancto dixit:Confitebor tibi pater, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et spiritus ipse sanctus in Regio Psalte ait:

Psalm.118 Declaratio sermonum tuorum illuminat,& intellectum dat paruulis.Intellectum utiq; eorum quæ sunt spiritus Dei. Ergo quod hic ait Apostolus, Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei, non potest de naturali, sed de carnali & seculariter sapiente intelligi dictum.

Iam quæ huic proxime in eodem Apostolo subnectuntur,manifestius idipsum indicabunt,statim enim sequitur:Spiritualis autem dijudicat omnia,& ipse a nemine iudicatur. Quis enim cognouit sensum domini qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus. Quibus uerbis probat Apostolus,se, & qui secum secundum eundẽ Christi spiritum sentiebant,non esse animales: & tamen erant homines naturales.ac statim quos ducat animales appellandos, expressis nominibus prodentibus eorum factis, uelut digito demonstrat. Et ego,inquit,fratres non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanq̃ paruulis in Christo lac potum dedi uobis, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Cum sit enim inter uos zelus & contentio,nonne carnales estis,& secundum hominem ambulatis?

Multa nobis in uerbis istis sunt non oscitanter animaduertenda. Primum, Quod in eadem sententia explicanda in eodem perpetuo orationis contextu,opponat homini spirituali,nunc animalem,nũc carnalem. Vnde apparet ipsi Apostolo, non alium dici animalem q̃ carnalem,& apud eum perinde haberi,carnalis uocetur uel animalis:quando non de substantia,sed de actibus sumitur appellatio.Deinde quod indicat,Carnales ad tempus esse carnales,donec fiant qua

Idem animalis homo qui & carnalis, apud Paulũ.

lis

lis erat ipse Apostolus. Ideo dicit adhuc carnales estis, quod de homine naturali congrue dici non potest. Quomodo enim quis dicatur ad tempus uel adhuc esse naturalis homo, cum natura congenita sit homini sempiterna. Ac tertio, quod carnalem uocet hominē & animalem, nū propter naturam uti sæpe admonuimus, aut substantiam, sed propter zelum & contentionem. Nempe actus carnis eiusdemque passiones infrenes, quibus expensis collatisq; inuicem patet euidenter appellatione animalis hominis Apostolum cōplecti, non hominē naturalem, sed carnalem: qui actibus carnis & prauis affectibus talem appellationem promeretur. Ruit igitur aduersariorum fallax, sophistica & uana cōmentatio, qua naturam alioqui satis grauatam, insuper & apostolica authoritate damnare connitebantur.

Porro si ad eundem modum collatis scripturis sensum totius propositionis quæramus, Animalis homo nō percipit ea quæ sunt spiritus dei, stulticia enim est illi, & non potest intelligere, perspicuum fiet, Apostolum, homini licet naturam habenti corruptam, adeo potentiam intelligendi ea quæ sunt spiritus dei, non detrahere, ut etiam ostēdat, quo fiat impedimento ne possit, & quo adiumento, ut possit, consequatur, ut impedimento hactenus sublato p gratiam spiritus, tandem intelligere queat q̄ sunt spiritus dei. Enimuero post uerba illa, quorum sensum inuestigamus, statim apud eundem Apostolum sequitur: Et ego fratres non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac potum dedi uobis, non escam, nondum eñi poteratis, sed nec nunc qdem potestis, adhuc enim carnales estis. Vide lector quàm pulchre uerbis istis præcedentia exponat, quō ei quod antea dixerat (Non potest intelligere) addat suum quendam temporis modum, pro rerum diuersa conditione, aliter atq; aliter habentem. Quemadmodum & ad Hebræ. v. ait, Cum deberetis esse magistri propter tempus rursum indigetis, ut uos doceamini quæ sunt elementa exordij sermonum dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonum iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercita-

tos habent sensus ad discretionem boni & mali. Hinc palam liquet Apostolo hoc esse discrimen inter carnalem Christi auditorem & spiritualem, q̃d est inter paruulum & uirum pfectum, inter rudē nuper initiatum, & magistrum. Paruulus expers est sermonum iustitiæ, nec potest capere doctrinam spiritus, dum paruulus est. Et carnalis existens adhuc carnalis, non potest percipere & sumere escam illam spiritualis intelligentiæ. Propterea non dicit absolute, Non poteratis, sed nondum poteratis, & ne nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Qui dicit, Nondum poteratis, significat postea potuisse. Et qui, Ne nunc quidem, dicit, potestis, quia adhuc estis carnales, significat fore ut possint, tum scilicet, ubi desierint esse carnales, hoc est, ubi secundum carnem sapere desierint. Nam qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui autem secundum spiritum, quæ spiritus sunt sapiunt, ad Rom. viij.

Carnalis existens carnalis, non capit quæ sunt spiritus dei.

CHRISTVS quoq; ipsa ueritas, non aliter discipulorum suorum capacitatem temperat. Iohannis xvi. Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autē uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnē ueritatem. Non detrahit CHRISTVS suis discipulis potentiam illam simpliciter & in uniuersum, sed modo, inquit, non potestis. Nimirum cum adhuc essent carnales, & terrenum regnum cogitarent, cum ob instantem passionem, tristicia & metu cōsternati essent, nec possent animum ad mysteria crucis erigere, ergo addit, cum autem uenerit ille spiritus &c. Alibi dicit Apostolus, Cū essem paruulus loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus, quando autem factus sum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Quo exemplo formam nobis proponit, qua ex carnalibus facti spirituales, & nos quoque dicamus, Cum essemus in carne loquebamur ut carnales, cogitabamus ut carnales, & sapiebamus secundum prudentiam carnis, passionesq; desideriorum operabantur in membris nostris, quando autem facti sumus spirituales, quando manducare cepimus solidum cibum, euacuauimus quæ erant carnis, crucifigentes eam cum uitijs & con-

cupiscentijs

cupiſcentijs donec audiremus, Vos autem in carne non eſtis.

Vides nunc ex iam dictis Lector, quo ſenſu accipiendum ſit quod ibidem dicitur, Animalis homo non percipit ea quę ſunt ſpiritus dei. nempe dum eſt animalis, dum ſectatur uoluptates carnis, tum enim non poteſt ſuauitatem ſpiritus intelligere, & eſſe ſtulticiam ſibi perſuadet. At uero ubi cœperit ex animali fieri ſpiritualis, carniſq; deſideria non amplius proſequi, tum demum percipere incipiet, quæ ſunt ſpiritus dei, eouſq; etiam, ut dicere poſſit cum Apoſtolo: Nos autem ſenſum Chriſti habemus. Itaq; eadem illa uicia quæ animales faciunt, impedimento ſunt, quo minus ea quæ ſunt ſpiritus dei percipiantur. Auferantur autem uicia, eorumq; loco illabatur ſpiritus ſanctus, & non erit quod impediat. Idcirco Apoſtolus ad Roman. Non hominẽ aut naturam uiciatam, ſed maliciam ipſam accuſat & damnat. Roma. viij. Prudentia carnis mors eſt, quoniam ſapientia carnis inimica eſt deo, legi enim dei non ẽ ſubiecta, nec enim poteſt. Vbi de ſpiritu econtrario ait, Prudentia autem ſpiritus uita & pax. Homo quilibet utriuſq; eſt alternatim capax, manens idem ſecundũ naturam qui erat, ut per prudentiam carnis ſit carnalis, & non aſſequatur intelligentiam ſpiritualium, aut prudentia ſpiritus ſit ſpiritualis & dicat: Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

Quo impedimento non percipit homo ea quæ ſunt ſpiritus dei.

Homo nunc animalis eſt, nunc ſpiritualis.

Perperam igitur & non ſine graui in naturam iniuria, ad reliquã eius infirmitatem, accumulant aduerſarij & hanc ignominiam, ut adimant ei omnẽ potentiam percipiendi ea quæ ſunt ſpiritus dei, quãuis ſit quis baptizatus, illuminatus, & à ſpiritu ſancto edoctus: nõ memores illius diuinæ pollicitationis, & æterni teſtamenti, Hiere. xxxi. Poſt dies illos dicit dominus, dabo legem meam in uiſceribus eorũ, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra uir proximum ſuum, & uir fratrem ſuum, dicens, Cognoſce dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſq; ad maximum, ait dominus. Et eius quod Chriſtus ipſa ueritas ait Ioh. vi. Et erunt omnes docibiles dei. Atq; ubi maliciam illam & uicium quod naturæ noſtrę inimicum eſt, accuſare oportebat, ipſa impetitur, accuſatur, damnatur natura.

Hæc est simplex & minime uiolenta scripturæ ad scripturam pro-elicienda ueritate collatio. Nulla fraude, nullis uerborum inuolucris, aut sophismatibus, quid uerum, certum, & solidum sit, religiose inuestigans, cui & patres quoq; unanimi consensu suffragantur, quod tam certa fide compertum habemus ut nihil dubitem, unicuilibet harum rerum studioso, confidenter polliceri non aliud uspiam apud quenquam ex patribus deprehendi. Omnibus itaq; præteritis, unicũ quem pro se facere aduersarij inaniter iactant, proferam aliquot locis. Augustinum. Is lib. de ciuitate dei. xiiij. cap. iiij. ait: Quod ergo est ambulare secundum hominem, hoc est, esse carnalem, quod à carne, id est, à parte hominis minore, intelligitur homo. Eosdem quippe ipsos superius dixit animales, quos postea carnales, ita loquens, Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Stultitia enim est illi. Talibus igitur, id est, animalibus, paulo post dicit, Et ego fratres non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Et illud ex hoc eodem loquendi modo, id est, à parte, totũ intelligitur. Et ab anima & a carne, quæ sunt partes hominis, potest totum significari quod est homo. Atq; ita non est aliud animalis homo, aliud carnalis, sed idem est utrunq; &cæt.

Beda. Beda quoque quem persuasum est, omnia sua in Paulinas epistolas ex Augustino ad uerbum conscripsisse, in commentarijs super viij. cap. ad Romanos, hæc beati Augustini uerba refert: Ille ipse unus homo, eademq; natura à domino deo uero & bono condita, heri sapiebat secundum carnem, hodie sapit secundum spiritũ. Expulsum est uicium, sanata est natura. Nam quamdiu esset prudentia illa carnis, omnino legi DEI subiecta esse non posset, Sanato autem uicio, reparata natura, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Idem eodem in loco, ex sermone sexto B. Augustini de uerbis Apostoli: Prudentia carnis inimica est in deũ, legi em̃ dei non est subiecta, neq; em̃ potest. Quid est, neq; em̃ potest? Non homo non potest, nõ anima non potest, nõ deniq; ipsa caro, q̃a dei est creatura, non potest, sed prudentia carnis non potest.

Vicium non poteſt,ſed poteſt natura. Quomodo ſi diceres, Claudi catio rectæ ambulationi non eſt ſubiecta,neq; enim poteſt. Pes poteſt,ſed claudicatio non poteſt. Tolle claudicationem, & uidebis rectam ambulationem. Sed quamdiu claudicatio eſt, non poteſt. Sic quamdiu prudentia carnis eſt,non poteſt. Non ſit prudentia carnis, & homo poteſt. Et ne quis de fide Bedæ ambigat,multis locis habet Auguſtinus ſimiles ſententias. Lege epiſtolam quinquageſimam ſeptimam ad Dardanum. Item tractatum nonageſimum octauum in Iohannem. Item quæſt. lxvij. libro lxxxiij. quæſtionum. Libro (cui titulus eſt) Expoſitiones quarundam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos,articulo quadrageſimo nono,ſunt hæc eius uerba: Recte appellat Apoſtolus carnis prudentiam, qua hæc appetuntur pro magnis bonis quæ non perſeuerant cum homine,& ne hæc amittantur timetur,quæ quandoq; amittenda ſunt. Non poteſt autem talis prudentia legi Dei obtemperare. Sed tunc obtemperatur legi,cum hæc prudentia extincta fuerit,ut ei ſuccedat prudentia ſpiritus,qua nec in temporalibus bonis ſpes noſtra eſt,neq; in malis timor. Eadem nanque animæ natura (attende uerba Lector Natura) & prudentiã carnis habet,cum inferiora ſectatur:& prudentiam ſpiritus,cum ſuperiora diligit. Quemadmodum eadem aquæ natura & frigore congelaſcit,& calore reſoluitur. Sic ergo dictum eſt: Legi Dei non eſt ſubiecta prudentia carnis,nec enim poteſt. quomodo recte diceretur, Niuem non poſſe calefieri,neq; enim poteſt. Sed cum adhibito calore, ſoluitur,& caleſcit aqua,iam nemo poteſt eam niuem dicere,&c.

Quo ſenſu carnis prudentia dicatur legi Dei non ſubiecta.

Cui conſonat quod quæſtione ſexageſima ſexta in dicto quæſtionum lxxxiij. libro habet: Prudentia carnis dicitur, cum anima pro magnis bonis,temporalia bona concupiſcit. Quamdiu enim appetitus talis ineſt animæ,legi Dei ſubiecta eſſe non poteſt,id eſt,non poteſt implere quæ lex iubet. Sed cum ſpiritualia bona deſiderare cœperit & temporalia contemnere,deſinet eſſe carnis prudentia, & ſpiritui non reſiſtet. Eadem nanq; anima cum inferiora appetit,prudẽtiam carnis habere dicitur: cum ſuperiora,prudentiam ſpiritus. non quia prudentia carnis ſubſtantia eſt,qua induitur anima uel exuitur, ſed ipſius animæ affectio eſt: quæ omnino eſſe deſinet,cum ſe totam

ad superna conuerterit. Qui autem in carne sunt (inquit) Deo placere non possunt, id est, qui uoluptatibus carnis acquiescunt. Ne quis enim de his dictum putaret, qui de hac uita nondum excesserunt, opportunissime subiunxit, Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Vtique adhuc in hac uita constitutis loquitur.

Vult Bucerus ex eodem Augustino audire qui & a'io modo praeterea dicantur animales? Audiat quid in psalmum centesimum trigesimum dicat: Sunt infirmi qui non sunt idonei ualido cibo, uolunt se tendere ad id quod capere non possunt. Et si aliquid utcunque acceperint, aut uisi sibi fuerint capere quod non ceperunt, extolluntur, & inde superbiunt, inde uidentur sibi quasi sapientes. Hoc autem contigit omnibus haereticis, qui cum essent animales & carnales, defendendo sententias suas prauas, quas falsas esse non potuerunt uidere, exclusi sunt de catholica &c.

Nunc ergo tempus est, ut ueritate offensus & concitatus Bucerus, ad Lectorem prouocet, eiusque iudicium de Censura Coloniens. requirat. Nunc & nos, ita ut fiat, ipsi uotis omnibus poscimus, nedum libenter ferimus.

Bucer. *Ex istis nunc iudica ipse Lector Christiane, Vtrum sint christianae censurae, an impiae calumniae, quas Colonienses Deputati de libro meo constituerunt.*

1 *Me manifeste extenuare baptismum & meritum sanguinis Christi.*

2 *Me facere casum Adae grauiorē redēptiōe Christi.*

3 *Me damnare bonam hominis naturam, eique attribuere quod neque diabolo quidem sit tributum.*

4 *Me interpretari Paulum non bene, sed quomodo conducat damnationi naturae bonae.*

Orthodoxus. Arbitror haec omnia ita per nos ostensa ac probata, ut boni & aequi

æqui Lectoris iudicium nulla in parte putemus nobis formidandũ.


SOlent aduersarij doctrinam catholicorum infideliter plerunque recitare, uel fingere etiam absurdas opiniones quas catholicis adscribant, easque ipsas sursum, deorsum, exagitare, fortiter impugnare & iugulare tandem, quo tali uictoriæ specie, apud simplicem & indoctam plebem de catholicis triumphare uideantur, cum nos traducẽtes suis tantũ laruis suisq; commentis insultent.

Vt cognoscas autem Lector orthodoxe & pie, nos non retaliare aduersarios simili artificio, nec quicquam eis affingere quod non dixerint, nec grauare aut inique exaggerare quod ipsis lapsu quodã per incogitantiã alicubi forte exciderit, sed has ipsas quas impugno hæreses pertinaciter ab eis defendi, nõ in hoc tantum libello doctrinæ & uocationis Buceri ad Bonnam, ac eius propugnatione, uerum & in alijs quoque scriptis ante & post æditis, uisus mihi sum non abs re facere, si prodam tibi quæ Clarissimus Iurisprudentiæ Doctor, idemq; ut acerrimus, ita peritissimus catholicæ religionis assertor, D. Iohannes Gropperus, insignis collegij S. Gereonis Scholasticus, cuius indefatigabile studium, labores & industriam pro prisca illa & apostolica Ecclesię Catholicæ pietate conseruanda ac tuenda, sæpius iam omnibus totius diœceseos ordinibus perspecta, nemo non miretur, aut satis extulerit, dum scripta Buceri à colloquio Ratisponensi percurrit, eaq; confert cum articulis, illic per colloquutores conciliatis, ad dispiciendum quàm sibi constet Bucerus, inter alia innumera plurimum dissidentia ab his quæ ibidem uelut concordiæ studiosus Bucerus receperat probaueratq;, obiter offendit atq; annotauit, de p̃cto originis potissimũ. Nõ suspicat̃ ille quidẽ me suam uenationẽ publicaturum, alioqui petenti mihi nõ fecisset eius copiã, nam sic exploratũ ipsius animum habebã. Verũ ego arbitror proditionẽ hanc publicæ utilitati cõducere, nec parũ momẽti p̃fidæ ac detestabilis hæresis cognitione allaturã ad ejusdẽ odiũ & execrationẽ.

tiam auferimus animæ rationalis, secundũ quã est imago. Et dragma non amiserat impressam sibi imaginẽ, nec ouis simplicitatem.

minis, asserit, non tantũ uiciatum hominẽ totum, sed & uniuersam hominis naturam, cunctaq; in homine deprauata, & ab illa imagine ad quã factus & effigiatus ẽ demutata: seu amissam & deperditã esse diuinam illã conditionẽ ad imaginẽ Dei. Breuiter, quicquid in nobis est, ut ab Adam nascimur, uiciatũ & corruptum esse.

Non adeo deprauant hominem Manichæus & Marcion: licet alteram eius partem dicant a malo principio creatam: Agnouerunt enim mentis & rationis bonitatem, cuius creationem idcirco bono principio asscripserunt.

Deinde ut intelligatur quatenus detrahat homini posse cognoscere & amplecti bonũ, asserit in qualibet hoĩs parte successisse motus detestandos, ut nec ꝓbare nec sectari quæ recta sunt homines possint: sed in contraria ferantur toti, mẽte, uoluntate, ac cæteris uiribus, adeoq; carnis nostræ naturam (qua totã hominis naturã intelligi uult) legi Dei repugnare. Et ꝓinde naturæ carnis esse aduersari Deo, inimi

cum esse deo. Breuiter, quicquid est in hoīe inimicũ eē deo.

Deniq; ut intelligatur se nō diffinire peccatũ originale tā tum p priuationē, seu etiā habitũ uiciosum, sed includere quoq; in rōnem eius actualē rebellionem, ait nos oēs deo rebelles nasci, atq; oībus uiribus nedũ auersos, sed etiā aduersarios, & inimicos dei esse: quo fiat ut cōtraria oīa deo, & probemus aīo pperā iudicādo, & expetamus uoluntate, & sectemur reliqs uiribus. Hoc sempiterno uicio obnoxios sp. esse rebelles & inimicos deo, hoc solo originis uicio deprauatos nũq; nō repugnare & inimicari deo, puerse & iniuste oībus nostri partibus uti, & nō solũ alienos esse a dei cultu, sed etiam odio quodam dei uoluntatis teneri.

Interim dũ has assertiōes trāctat, ex diametro sibi pugnantia scribit.

Contra illud, Cor meum & caro mea exultauerunt in deũ uiuum. Itē: Sitiuit anima mea ad deum uiuũ quādo ueniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerūt mihi lachrymę meę sicut panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est deus tuus? Item, Deus meus exultatio cordis mei. Qui talia dicebat, in originali peccato fuerat utiq; natus, & tamē nulla sui parte deo ad hunc modum aduersabatur.

Falsum, de quo uide Epiphanium in hæresi Audianorum, & in epistola ad Iohannem Hierosolymitanũ, contra Originem.

Nũc enim ut præscribitur asserit eã cõditionẽ qua homo ad imaginem Dei factus est, amissam & perditam.

Catholice.

Nũc uero hominẽ ad imaginẽ dei conditũ ea natura factũ ac etiãnum præditũ esse, cum qua uicia naturæ pugnent.

Hæretice duplo q̃ Manichæus & Marcion de homine constituerint.

Rursus, nũc quicquid in nobis est cũ nascimur, plane uiciatũ & corruptũ esse, & totũ legi dei repugnare cõtẽdit, adeo ut in omni nostri parte deo aduersarij gignamur.

Catholice.

Nũc uero legẽ inscriptã mẽti manere, & diuinitus inditã & infixam esse.

Si hoc uerum est, uiuunt semper hæretici in extrema nequitia: fatẽtur enim se semper dubitare, adeoq; uacant uera fide in Christum: quãq̃ interim uerum est ita se habere hęreticos, falsum autem omnes homines peruerse iudicare & expetere omnia.

Deniq; nũc asserit nos peruerse & iniuste oĩbus partibus nostri uti, omnino cõtra eã rationem ad quã cõditi sumus, hoc est, ut subiũgit, de oĩbus peruerse iudicare, & expetere oĩa cõtraria deo. & inde eos qui nõ ex fide Christi uixerũt, in extrema semp nequitia uixisse.

rebus expetendis & agēdis nouerit bonū esse, id non posse uoluntatem non statim expetere, & ad quærendū aut agendum moueri: neq; nō auersari ac fugere hoc, quod mens intelligit esse malum.

ex multis locis Apostoli cōuincitur. Et ne Ethnici quidem tam inconsiderate aut fatue loquuti sunt, quorum ait quidam: Video meliora, proboque, Deteriora sequor.

Asserit deinde, quicquid a perfecta illa Dei imagine, quæ Christus est, alienum fuerit, id damnabile, & damnans uicium atq; peccatum esse.

Ambiguum dictum, & sensu quodam plane erroneum, damnans omnes actus humanos.

Asserit sibi non necessario recipiendā esse sententiam de inspiratione nouarum animarum:

Platonizat forte, nec putat sibi necessarium manere in Ecclesiæ unitate. Leo magnus in epistola Decretali ad Turbium Asturicensem, cap. x. ait, Omnes eos qui impietatis fabulam ex multis erroribus de origine animarum sibi traxerunt, Catholica fides a corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans atq; ueraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirentur corporibus, nō fuere, nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice deo, qui & ipsarum est creator & corporum. Sic Leo magnus hunc draconem iugulat.

Et ut sententia illa recipiatur, corpori deprauato indi etiam deprauatam animā, Deum creare generationē peccato obnoxiā, animamq; in ipsis,

Ergo non ab Adam uel a carne, sed a Deo est originale peccatum: quod sentire cum blasphemum esse Manichęus animaduerteret, finxit diabolum creatorem es-

quæ sint & pœnæ, & peccata quibus gentes implicentur, faciens Deum authorem maliciæ & peccati. Quod non tantum permißiue hoc fieri, sed & actiue & efficaciter hæc Deum facere blasphemet.

tinue locum fugisset, in quo sedens uel stans huiuscemodi uerba audisset. Vide Eusebium Ecclesiasticæ historiæ libro quinto, capite uigesimo. Hanc hæresim neque ex sacris literis, neq; ex patribus hausit Bucer, sed primus eius inuentor (ut ibidem habetur) fuit Florinus quidam, Seleucus quoq; & Hermias Galathæ, ipsam quoque in parte, ut Philastrius & Augustinus testantur, sunt amplexi.

In peccato originali, non solum rationis cæcitatem, tarditatem, ignorantiam, difficultatem, & uoluntatis infirmitatem, & pronitatem concupiscendi seu faciendi quod non debet, sed & incredulitatem & contemptum Dei comprehendi dicit.

Aequum erat Bucerum non obijcere paruulis tam ingentia scelera, nisi claris scripturis, aut euidentia aliqua probarentur. Accusator fratrum tuorum, ista peccata in paruulis esse quomodo probabis? Sed ad præcedentia remitto, ubi nobis hæc ipsa satis cõfutata sunt.

Et ut infantes iam recens natos (in quibus considerare est peccatũ origĩale p se tãtũ) diffi-

Magnũ nimis imperiũ diabolo in paruulos pmittit cũ ne in porcos qdem p sua

hinc tamen non consequi, eis non positam legem, uel eos nulla legis transgreßione teneri,

Stulta de ignoratione opinio, quæ non datur paruulis uicio magis q̃ iucunda ipsa pueritia: uti supra suo loco ostendimus.

Cum tam profunda ignoratione, ut præceptum Dei nõ poßint intelligere, & ea naturæ rebellione nascantur, ut legi Dei toti renitantur, damnari eos iure, non solum propter inobedientiam aduersus deũ, sed etiam propter ipsam ignorantiam, quæ non tantum in ipsis sit pœna peccati, sed etiam peccatum.

Contra illud Iohãnis nono: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Quod dictũ Christi in quos rogo tam uere, tanq; proprie, atq; in paruulos ob ignorationis excusationem competit? cum & Apostolus dicat, se ideo misericordiam consequutum, quia ignorans errauit in incredulitate.

Rursus infantibus ignorãtiam in qua nascuntur, peccato deputari, & rebellionẽ qua in omnibus legi Dei reluctentur, ignorationis excusatione haudquaq̃ leuari, sed ob hanc ignorationem (quam ignorantiæ facinora appellat) iusto Dei iudicio æternũ damnari.

Augustinus de peccatorũ meritis & remiss. lib. 1. An

Affingit Augustino q̃ agnoscat infantibus ea oĩa pec

ff cato

tempus ad hoc impensuri sumus, ut probemus quomodo nihil mali commiserint infantes, qui propter hoc uocantur ab omnibus innocentes? Nonne tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus uel naturalis, uel scriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis usus, hæc multo testatiore silentio, q̃ sermo noster proclamat atq; iudicat? Valeat aliquid ad seipsam persuadendam ipsa euidētia. Nam nusquam sic non inuenio, quid dicam, q̃ ubi res de qua dicitur, manifestior est, q̃ omne quod dicitur. Vellem tamen quisquis hoc sapit, diceret, quod peccatum uiderit, uel putarit infantis recentis ab utero, quid mali in hac propria sua uita per animũ proprium, corpusve commiserit? Si forte quod plorat, tædioq; est maioribus? mirum si hoc iniquitati, non infelicitati potius deputandum est. An quod ab ipso fletu nulla sua ratione, nulla cuiusquam prohibitione compescitur? At hoc ignorantiæ est, in qua profundissima iacet, qua etiã matrem cum post exiguum tempus ualuerit, percutit iratus, & sæpe ipsas etiam mammas, quas dum esurit, exugit. Hæc nõ modo feruntur, uerumetiam diliguntur in paruulis &c. Hinc de libero arbitrio lib. iij cap. xxiiij. ait: Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Obserua quod dicit, incipit posse peccare, antea enim non potest.

cato deputari, quæ in adultis iure reprehenduntur, & tribuere infantibus damnabilia & uicia, & facta uiciorũ. Et proinde damnabiliter infantes rebelliõis uicio apud deum detineri.

De pœna mitissima habet Augustinus in Enchyridio ad Laurentiũ cap. xciij.

Addicit itaq; infantes æternis supplicijs, nec permittit illis mitissimam pœnã cũ Augustino.

Vbi

Minus Pelagiani errabãt, asserentes paruulos non baptizatos ad beatam aliquam uitam migrare, sed extra regnum dei, quod absq; ulla cõtrouersia concedebant, ut habet Augustinus lib. de hæresibus, ad quod uult deum. Et episto. 105. oppugnat

Vbi hanc crudelem sententiam in infantes deprompsit, asserit econtrario, infantes Christianorum priuatos baptismate, sine culpa sua, regeneratione & regno dei nõ priuari.

quoq; eandem hæresim Hyponosticon. lib. v. Bucer autem non priuat eos regno dei. ex quo Euangelio o Euangelice? Eodem tenebatur errore Vincentius uictor; de quo August. lib. primo, de anima & eius origine, sic ait: Non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnumq; cœlorum, quietis uel felicitatis cuiuslibet, quasi medium locũ. Hoc eñi eis etiã hæresis Pelagiana promisit, quia nec damnationem metuit paruulis, nec sperat eis regnum cœlorũ, si non perueniunt ad baptismatis sacramentum. Iste autem cum confiteatur paruulos originali obstrictos esse peccato, eis etiam regnũ cœlorum non baptizatis ausus est polliceri. Quod nec illi ausi sunt, q eos asserunt, sine ullo prorsus esse peccato. Ecce qualibus se laqueis præsumptionis innectat, nisi eum talia scripsisse pœniteat. Ita Augustinus epist. quoq; xxviij. ad Hieronymum, contra eundem errorem sic ait: Quisquis dixerit, quod in Christo uiuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de uita exeunt, hic pfecto & cõtra Apostolicã prædicationẽ uenit, & totam condemnat Ecclesiã. Vbi propterea cũ baptizatis paruulis festinatur & curritur, qa sine dubio creditur aliter eos in Christo uiuificari oñino nõ posse.

Contra omnem sacram scripturam, & prima salutaris doctrinæ fundamenta. Duo sunt in scripturis Adã, & duo populi, nec plures. Prioris Adæ populus carnalis, alterius spiritualis.

Tres hominũ gradus facit, Natos simpliciter ex Adã. Afflatos spũ, Renatos ex deo. Vnde plerosq; ex gẽtibus etsi non renatos nõ excludit a regno dei.

 In

In uno omnes morimur, in alio omnes uiuificamur. Clara & expressa Christi uox est, Oportet nasci denuo. Ioh. iij. Quod malum est ex carne, caro est, & quod malum est ex spiritu spiritus est. Vnde ergo hi tres Bucero populi? Qui sunt afflati isti non regenerati, & tamen saluandi? Spiritus sanctus enim quos sanctificat ut saluentur, eosdem & regenerat. Sed Bucerus forte loquitur de spiritu quo furere solent poetæ. Sicut Ouidius ait,

Est deus in nobis, sunt & commercia cœli
Sedibus ęthereis spiritus ille uenit.
Hinc sacri uates, & diuum cura uocamur.
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Longiori disputatione in aliud tempus, aliumq; locum prorogata, sufficiat modo annotasse, quod deus unam sibi Ecclesiam semper elegit, extra quam non est salus. Et prorsus insanum est credere aliquem extra Christum & Ecclesiam posse fieri saluum. Si quos afflat ex gentibus, hos uocat ad suam Ecclesiam, ut olim Achior, Raab, Ruth, & proselytos. In nouo testamento Cornelium centurionem. Non est em̃ aliud nomẽ sub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Actuum iiij. Proinde prophanum, imo Antichristianum est, Buceri figmentum de gentium Philosophorum ductu, saluatione. Esaiæ. xlix. de uno Christo philosophis ignoto dicitur: Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Idẽ Apostolus quoque Paulus pro gentibus prædicationem fidei expectantibus, allegat Actuum xiij.

Et quid hoc uelit satis ostendit Commentarius eius in Epistolam ad Roman. in præfatiõe, Quæstiõe, An sit in Philosophia quod cum doctrina Pauli cõgruat? Vbi cõtendit deũ quantũ ad religionem attinet.

Si uerbis prophetarum & Apostolorum credimus potius, q̃ Bucero eis contradicenti, non admodum fecit deus ueritatem suam manifestam gentibus. Psal. 147. clare dicitur, Qui annunciat uerbum suum Iacob, iusticias & iudicia sua

Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Secundum Esaiam, Populus gentium ambulabat in tenebris, habitabatq; in regione umbræ mortis. Pauli quoq; & Barnabæ luculentissimum est testimonium, Actuum xiij. Qui in p̃teritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas, ubi nulla ē exceptio. Num poterit Bucerus apostolos Christi falsitatis arguere? Si autem cõfiteatur illos esse ueros, se ut falsum fateatur necesse est. Hic uide Lector aduersariorum inconstantiam: alibi dicit sanctos omnes iacere in graui ignorantia dei, quæ uera sunt bona, neq; cognoscere, neq; amplecti posse: cum hic prophanis philosophis tribuat absolutam cognitionem omnium, quæ ipsos in solidæ religionis studio ualeant conseruare. At non ita apostolus Paulus (cui forte erroris sui prauitatem inscripturus est Bucer) Rom. 1. Hic enim nihil amplius tribuit Philosophis, nisi quod inuisibilia dei, sempiternam quoq; uirtutem eius & diuinitatem, ex uisibilibus cognouerunt. Non autē eo progreditur, ut dicat, quod Bucerus, eos omnem ueritatem tenuisse, & uiam salutis: sed contra, qui cum cognouissent (ait) non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, &

nem attinet, suam ueritatem gentibus admodum manifestã fecisse, nec ullo dogmate destituisse ad constituendam illã necessario. In philosophia nihil præteritũ, quod dei metu animos replere, inq; solidæ religionis studio conseruare ualeat, & nihil omnino ad salutem cognitu fuisse necessariũ, quod deus gentibus nõ primis etiam illis seculis manifestauit per Philosophos, indubie (ut inquit) sanctissimos homines. Quorum uero dicta non minus sunt oracula habenda, q̃ quæ sacris literis cõtinẽtur.

uolucrum & quadrupedũ, & serpentum &c. En Bucer, hæc est Philosophorum apud Apostolum sapientia. Quem iuuat eorum dementiam amplius cognoscere, legat disertum illum & eloquentissimum Lactantium Firmianum, diuinarum institutionum lib. iij. qui totus est de falsa Philosophorum sapientia. Vbi eorum omnium stultissimas rixas, errores, & uanas opiniones de deo, de uero eius cultu, q̃ est sola uia ueritatis, per multa capita diligenter excussis, capite xxx. prorumpit in hanc exclamationem: Omnis sapiẽtia hominis in hoc uno est, ut deum cognoscat & colat. Hoc nostrum dogma, Hæc sententia est. Quanta itaq; uoce possum, testificor, proclamo, denuncio. Hoc est illud, quo Philosophi omnes in tota sua uita quæsieruut, nec unquam tamen inuestigare, comprehendere, tenere ualuerunt, quia aut prauam religionem tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes qui humanam uitam non instruunt, sed turbant. Quid enim docent, aut quem instruunt, qui seipsos non instruxerunt? Quem sanare ægroti? Quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ conferamus. An expectabimus donec Socrates aliquid sciat? Aut Anaxagoras lumen in tenebris inueniat? aut Democritus ueritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Archesilas & Carneades uideant, sentiant, præcipiant? Ecce uox de cœlo ueritatem docens, & nobis sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus, & sapientiam suscipere cunctamur, quã docti homines contritis in quærendo ætatibus suis, nunquam reperire potuerunt?

Libro xx. de ciuitate dei, producit B. August. de futuro iudicio multa eadẽq; clarissima prophetarum ueteris legis oracula. Et quid mirum si philosophi quidam hinc suas prædictiones mutuati sunt, præsertim cũ huc potissimũ contẽderent Philosophi, ut rara de ignotis rebus doctrina, quæ

Imo plusculũ quiddã in Philosophia traditum, nẽpe, iudicii futuri seculi, quod a Moise potius significatum sit, q̃ expositum. In Philosophia uero admodum expressum.

ma quæ fidē popularem superaret, conciliarent nomini suo maiorem existimationem? Stultissimum est autem opinari, hęc posse alicui ratione naturali, cui philosophi nituntur cōstare: nam quod de extremo iudicio creditur, fidei articulus est, qui non magis ratione cōuincitur, quàm deum esse trinum & unum, aut filium dei incarnatū. Articuli creduntur, non demonstrantur ratione. Adhæc quando de iudicio & resurrectione Philosophi loquuntur, de rebus fabulantur nō intellectis, sicut Virgilius de campis Elysijs beatorum, de Minoe iudice apud inferos, de pœnis & cruciatibus malorum, Cerbero trifauci, Charonte, & fluuijs infernis. Sic Lucanus in principio belli Pharsalici dicit rediturum mundum in antiquum chaos. Et Ouid.

Esse quoq; in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Quę nō sunt Philosophica, nec illis ad iudiciū pertinere sunt uisa.

Vide Lector pie qualis sit hæreticorum Ecclesia, quæ tales habet prophetas & religionis suæ antistites. Numa Pompilius, cum uideret populum Romanum, multis uictorijs elatum, iamque nullis legibus in officio contineri, commentus est deos quos nullos & falsos esse ꝓbe sciebat, atq; eis proprios cultus instituit & sacerdotes, Diales, Flamines, Vestales, Salios, Confinxit mitras, uittas, ancilia, armillas, scandalia. Inuenit ritū ꝓsagiorū, ab augurijs, & ab extis pecudū q̄ docuit scrutari, instituit sacrificia, ignē perpetuū, lustratiōes, annū distinxit in dies festos & nefastos. Quæ omnia mentiebatur se monitu Aegeriæ Nymphæ, cum qua

Inter altos Numā Pompilium facit omnis diuini & humani iuris consultissimum, quē (ait) pectora omniū pietate instituisse, & tantū religiōis antistitē, hoc imprimis cauisse, ne in sacris ædibus ullū esset simulachrū. Quod nimirū odio imaginum sacrariū in pessimo Idololatra & oīs idololatriæ apud Romanos authore, tantopere prædicat.

authoritati inhæsit. Vnde in uarios errores prolapsus est: quapropter Philosophiæ debet non quod uult Bucerus sua recte dicta, sed mala quibus ueritatem aliunde acceptam turpiter deprauauit. Testatur beatus Augusti. lib. viij. de Ciuitate dei cap. xij. Plotinum, Iamblicum, Porphyrium, Apuleium & Platonicos omnes, sicut Platonem, multis dijs sacrificasse. Libro quoque de uera religione capite iij. ait, ipsum sacrificasse naturæ. Et hūc Idololatram audet Bucerus æquare Moysi? de q̄ ait scriptura: Dedit illi cor deus ad præcepta & legem uitæ, & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel. Sed & animas humanas arbitratur Plato ante, corpora uixisse & quando docentur, reminisci eas priora, non cognoscere noua, ut habet beatus Augus. de Ciuit. dei libro x. cap. xxx. Pytagoram quoq; secutus est, & dicit animas hominum post mortem reuolui ad corpora bestiarum: quod in Phedro & Timæo Platonis manifeste patet. Libro de republ. ultimo, dicit animas post mille à morte annos, redire ad uitam, optione unicuiq; proposita, ut quod uelit eligat: fieri autem electionem magna ex parte iuxta uitæ prioris mores. Sic Orphei animam, cygni corpus elegisse, nec uoluisse in fœminam transire, odio illius sexus. Animam Tamiris, philomelę, Cygni quoq; animam in hominem demigrasse, Aiacis animam optasse Leonem, Agamennonis, aquilam. Thersitis, simiam. Quæ cum sunt absurdissima (ut alia multa præteriam) dignus tamen uisus est Plato Bucero, quem dicat ita gentibus datum, ut Moysen Iudæis. Eccl. 45.

Ex quo satis intelligitur, quod cum Zwinglio faciat Herculem, Thęseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, prophetis & apostolis in regno cœlorum pares.

Quod quid aliud est, quàm Bucerum ex Christiano factum plusquam Ethnicum? Quid enim opus est Christo, Euangelio, Prophetis, & sacris literis, baptismo & reliquis sacramentis, si eiusmodi gentiles impij homines, cum sanctis in regno dei uiuunt? Quid hic scriptor & concionator aliud credere potest de fide & religione Christiana, quàm quod sit cuilibet alij religioni similis, & quod quilibet in Ethnicismo ex doctrina philosophorum in sua religione & fide saluari possit?

Et quanti habeat Zwinglium, quamq; uelit doctrinam eius uideri minime suspectam, etiam quod ad articulum originalis peccati attinet (de quo tamen is pessime & hæreticissime sensit) uidere est in memorato Commētariū in caputquintū, ad Romanos.

Interim is qui tam præclare de Ethnicis sentit, ne uirginem quidem matrem à peccato Originali, & horrenda illa rebellione, & cæteris effectis eius (quæ in infantibus iam recens natis, contra omnem ueritatem exaggerat & confingit) eximendam putat.

Scio uix paucis fieri credibile, Bucerum de peccati Originalis reliquijs, post baptismum manentibus, tam insanas, atque horrendas hæreses tueri, quàm in præcedentibus serio magnoq; studio oppugnauerim, confutauerimque. Idcirco subijciam paucis & eas quas idem ille D. Gropperus Scholasticus annotauit, & è scriptis Buceri posterioribus tumultuarie congessit: uisum tamen fuit à superfluis annotationibus abstinere, qbus liber frustra turgescit, cum sint omnia prius abunde satis, & luculenter confutata. Tantum in hoc, ut cognoscas Lector candide, me non luctari cum laruis, sed ingentia monstra persequi.

ERRORES BVCERI DE CONcupiscentia reliqua in baptizatis.

Palam abrogat baptismo & spūi regenerāti suam uim.

SIc manere in renatis malum deprauatæ naturæ, ut etiamsi nulla uel actionis uel consensus nostri iniquitas adijceretur, tamen hoc tam graue esse, ut uel ob hoc unum condemnationem mereremur, nisi non imputaretur.

Contra illud Colloss. 1. In ipso complacuit reconciliare omnia p sanguinē crucis eius. Et uos cū essetis ali.

Quod renati ratione huius mali bonæ uoluntati Dei, uere aduersentur, & ob id iniqui, praui, & ipsi Deo inimici, uereq; perditi & condemnati sint, iureq; eos abijci & condemnari: Nimirum quod in ipsis sit malum damnationis meritorium, nisi id eis post baptismum non imputaretur per Christum. Christum autem remanentem huius mali

mali reatum a baptismo continua non imputatione dissoluere. Quod alibi sic explicat: Quanquam renati ob hoc malum displiceant Deo, & sint odio condemnationeque digni, Deus tamen diligit eos propter Christum. Confiteri proinde se hanc concupiscentiam seu contra Deum rebellionem, semper quidem ut iniquitatem, ita etiam peccatum esse, quod iniustum & odibilem Deo hominem reddat, faciatque Deo displicere illos quibus inest, nec tamen condemnet, quia non imputetur, nec alienos a regno reddat, quia Christi merito contegatur. Contra illud, Iudiciū Dei est secundū ueritatem.

quando alienati & inimici sensu, nunc reconciliauit in corpe carnis suæ p mortem, ut exhiberet uos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles corā ipso.

Non solum quælibet praue & inique facta peccata nobis habenda esse, sed etiam omnes ad praue faciendum motus, animique inclinationes, etiam quibus non assentimur. Et has res quia inuisæ & detestandæ nobis sunt, multo magis detestandas & condemnandas Deo esse, cuius imaginē sic deturpent, & a suo ad Diaboli obsequium depellant.

Copiose ostendimus hæc esse falsissima. libet tamē de uolūtatis consensu adijcere quod habet August. lib. de uera relig. c. 14 Vsque adeo uolūtariū peccatū est malum, ut nullo modo sit peccatū si nō sit uolūtariū. & hoc quidē manifestū est, ut nulla hinc doctorū paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat &c.

Quod sancti suo modo etiam contra Deum concupiscant, aduersentur Deo, bonæ uoluntati Dei, habeant in se sensum carnis, sintque & ipsi eatenus inimici Deo. Nullū quoque hominem sine peccato hic præter unum Christum unquam uixisse. quo Virginem Matrem peccato actuali impie implicat. id quod Melanthon disertis uerbis facit in annotationibus suis, in euangelia Dominicalia, in illud, Cum esset Iesus annorum duodecim. Contra illud, Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerūt cū uicijs & concupiscentijs. Atque utinam a corporali & uiuo templo dei, uirgine (inquam) genitrice Christi abstinerent. propter hoc quod Apostolus ait, Si quis templum dei uiolauerit, disperdet illum Deus. 1. Cor. 3.

Ab quantam uim facit apostolo, uasi illo electionis, cōtra omnium patrū expositionem, & infinitos scripturæ locos.

Hinc quod sancti obsiti sint in peccatis, Paulum de se in hunc modum queri dicit, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Miserum (inquit) ille se uocat, hoc est, deo exosum & abiectum. Quod alioqui nemo miser dicatur, nisi qui talis sit. Paulum eodē dicto testari, mortem esse stipendium illius reliqui mali, & propterea id censendum sit esse damnabile peccatum. Quum mors non ueniat nisi a peccato merente condemnationem.

1. Falsum istud esse, plus 50. paginis demōstrauimus

1. Vicium quod in sanctis reliquum manet, uere, recte, proprie, & formaliter peccatum uocari. Modo formale peccati id intelligatur, quo aliquid peccatū est, & proprie dicitur.

2. August. ad Valeriū de nup. & concupis. lib. 1. cap. 26. Hoc est non habere peccatū, reum non esse peccati.

2. Licet ad rationem peccati propriam, consequatur necessario, quod faciat nos reos, id tamen uidelicet, facere nos reos, remoueri ab eo posse quod in se peccatum sit. Qua assertionis repugnantia, quæ potest esse maior?

3. Contra illud, bonū certamen certaui, cursum consummaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. 2. Tim. 4

3. Alteram partem pugnæ mentis & carnis (de qua Rom. 7.) miris modis exaggerat decernitq; carni, & abrogat Paulo in eo conflictu uictoriam.

4. Negat caput illud 7. ad Roma. intelligi posse de homine existente sub lege, ante regenerationem; imo hunc intellectum uult esse Pelagianum.

4. Vbi sanctiss. atq; doctiss. patres Christ. Amb. Hieron. Theoph. &c. astrigit.

Augustinum cum dicit, Concupiscentiam in renatis non esse, sed uocari peccatum, loqui uulgari modo, non proprie de peccato. Sed Augustinus contradicit.

Calumniatur, hactenus in Ecclesia de concupiscentia, do-

tia, domestico nostro hoste altum fuisse silentium ante Lutherum, & proinde homines hoc mali in se neglexisse. Impudens mendacium.

Asserit in renatis hanc prauam uim & hostem legis dei, nunquam non, & absq; intermissione, reluctari bonae menti legi dei consentienti. Et falsò existimasse homines (si consensus fœdis animi motibus non accederet) se satis mundos a peccatis, & sanctos esse. Ostendimus esse falsum pag. 186.

Institutum Lutheri, & eorũ qui eius partis sunt, fuisse haec naturae uicia in renatis reliqua, diligentius explicare. Quanquam pudenda & detestanda sint, declarare ea tantum de causa, ut homines ad ueram pœnitentiam & agnitionem propriae perditionis adducerent, & Christi gratiam plus cognoscerent. Cum tamen ex hac doctrina uera pœnitentia plane obscuretur, & Christi beneficium euacuetur.

De peccato originali in eam sententiam, ut praescribitur, Ratisponae conuentum esse, ingẽti malicia (ut solet) mentitur.

Asserit in hac sententia Pauli, Caro concupiscit aduersus spiritum (quae tantum locum habet in renatis) carnis nomine significari non tantum concupiscentiam in sensualitate remanentem, sed uiciositatem totius humanae naturae in nobis a baptismo reliquae. Item spiritus nomine non significari animum seu praecipuam eius partem, aut illius bonos, singulares & spirituales motus, uel afflatam nobis sapientiam & rectam uoluntatem, sed spiritum illũ Bucerus de suo sensu, cõtra omnium orthodoxorum patrum interpretationem.

nis, seu spiritum Dei, qui nostro spiritui testimoniũ praebet, qui ueteri in nobis homini a baptismo, hoc est, toti ingenio nostro aduersetur.

Etsi interim alibi diuersum (nihilominus tamen erroneum) scribat, nempe spiritum nostrum ut est iam afflatus spiritu Dei, pugnare contra totum hominem, hoc est, contra spiritum, animam & corpus, eo quod adhuc mens nostra (ut ipse uult) a baptismo caecutiens ad diuina, & sensibus in cognoscendis & iudicandis rebus utens, praeferat terrena coelestibus, sectetur praesentia, negligat futura, diffidat Deo, confidat sibi, & rebus quas cernit, ac anima quae praesenti uitae uidentur accommoda & iucunda, immodice & cõtra rationem expetat. corpus uero ea quae sensus titillant.

Contra illud, Nos in carne non secundum carnem militamus. 2. cor. 10. Et illud, nostra aũt conuersatio in coelis est.

Cognitionem Dei a baptismo, propter inhaerentem etiamnum renatis membrorum legem, repugnantẽ legi mẽtis, adeo esse ex parte & imperfectam in renatis, ut nec amare, nec colere Deum toto pectore, nec praeceptis eius plẽno studio sese dedere ualeant.

Falsum esse istud & quae sequuntur, in praecedẽtibus demonstrauimus, fol. 190.

Itaq; semper in sanctissimis quoq; hominibus, reliquum manere uicium incredulitatis, & contẽptus dei, neglectũ proximi, & cupiditatem deprauatam omnium rerum: unde subinde existant in eis praua desideria.

Hac

Hæc tametsi Christi spiritu inhabitante reprimantur & condemnentur, tamen quia existunt, argumento esse nondũ diligi a renatis Deũ ex toto corde, ex tota anima, & ex totis uiribus, peccaitq; legem, atq; adeo peccatũ ipsum adhuc inhabitare in eis.

Detorquet illud Gene. 8. Omnis cogitatio hominis ab adolescentia &c. ad renatos, asserens, Quicquid homines etiam sanctissimi, ex seipsis, & eo spiritu quo natura hominis pollet, concipiunt, instituunt, agitant, moliuntur, tantũ modo semper & necessario malũ esse, & neminẽ hoĩm ex suo illo naturali spiritu, etiam postq̃ renatus est, quicq̃ ad Dei gloriã & ueram proximorum salutem (ut quam ex eo spiritu, quatenus natura nobis inditus est, ignoret) referre posse. Quasi scilicet renati etiam quod ad spiritum attinet, ueterem hominem circunferant, nec suo spiritu spiritui Dei cooperentur, concurrente eorum uoluntate in omnibus operibus bonis uelut parciali agente, quod tota Ecclesia adfirmat.

O plusq̃ Manichæus hæreticus.

Interpretatur præceptũ, Non concupisces, sic ut non tantum eo concupiscendi actus, sed & male concupiscendi morbus prohibeatur, ut sensus sit, præcepto requiri, ut nedum malis desiderijs, sed etiam male appetẽdi morbo, imo quoq; male iudicandi morbo careamus: & collocat tam actuale q̃ originale nedũ in uolũtate, sed etiã in intellectu.

Stulta & inepta interpretatio mandati diuini, uerbo dei nullo pacto cõsona.

Renatos nunq̃ satis expetere posse quæ Dei sunt, nec arcere cupiditatẽ. Esse nos plane mortuos ad omne opus bonum ex nobis, & sanctos euitare non posse ne quandoque prauis desiderijs consensum præbeant.

Contra sensum communem & scripturas sacras

In

In hominibus triplicem esse iniquitatem, indiciorū, desideriorum, & in omni officio cessationum. Nec tertiam arceri semper posse.

Imo affingit sanctis patribus, credidisse illos & agnouisse, renatos etiam in Christo, dum hic a domino peregrinantur, sic peccato uenundatos esse, sic esse carnales, sic in eis legem peccati uigere, ut non solum non sit in eorum manu, amaram & perniciosam radicem peccati, uicium rebellionis contra Deum, excindere, sed nec praua & turpia eius arcere desideria. Imo nec semper etiam cohibere posse, assensum horum, damnatamq́; inobedientiam.

Impietas ista luculenter & copiose ī præcedētibus confutata est.

Et tamen interim Deum iure nobis præcipere, & lege sua poscere, ut nulla unq̄ praua cupiditate titillemur, & ut nullas etiam habeamus malas cupiditates, utq́; innato illo concupiscendi morbo careamus, ac Deum ea quoque prohibere, quæ nos in hac uita nunq̄ uitare possumus, & a nobis exigere quæ in hoc mortali corpore nunquam præstare ualeamus. & sic dicit Deum præcepisse impossibilia nobis.

Contra illud, Mandata eius grauia non sunt. 1. Ioh. 5.

Atq́; hæc se docere asserit, qui non Antichristi Romani, sed Christi magistri cœlestis gloriam asserere studeat.

Imo q̄ Christū expugnare conetur.

Conferat nunc qui uolet Bucerana cum Manichæi dogmatis, & diudicet quę sint in deum plus blasphema, quæ in Christum & uirtutem passionis ac resurrectionis eius magis contumeliosa, quæ sacramentis dei magis iniuria, quæ deum (quem uerum, iustum & bonum scimus) magis ridiculum faciant, & quæ demum Christianum hominem

nem uertant in portentosius monstrum

Vt autem Bucerus hanc impiam, blasphemam, & secum multis modis pugnantem doctrinam, simplicibus animis probabilem faciat, atq; etiam persuadeat, mirabili uafriciæ ad suum sensum scripturas sacras, & sanctorũ patrum sententias, partim deprauate, & truncatim citat, partim misere & coacte detorquet.

Et satis hinc deprehenditur, q̃ uerum sit illud Hieronymi, Pene inauditum esse, hæresim ita ab Ecclesia depellere, ut emendetur, nõ perdatur erroris author. Qui licet uideatur interdum mitigare suã sententiam hæreticam, adhuc tamen uetus uirus, intima mente tectum continebit. Nam ut finxerint isti (ut omnia agunt ficte & simulatorie) Melanthonem, quæ in ipsorum doctrina iure offendere bonos potuerunt, magna dexteritate mitigasse. quis tamen non uidet eos adhuc in eodem cœno impĳssimarum & deprauatissimarum hæresum, de causa peccati, de libero arbitrio, de originali peccato, & iustificatione hominis, ut de cæteris sileamus, hærere?

Opera quæ gratiam præcedunt, an sint omnia peccata, & nihil hominem ad gratiam præparent.



Am quod restat in eodem illo articulo Iudicĳ, de sententia illa Martini Lutheri, *Cõtritio ante gratiã gratum facientem, facit magis peccatorem,* prosequamur, (Pertinet enim ad superiora, quæ de potentia uel impotentia naturæ, ad opus bonum, ante & post gratiam dicta sunt nobis.) Censuerunt Delecti sententiam hanc Bucero probari, ex eo, quod hic damnet om̃ia opera quę ex naturalibus proficiscuntur, Et dicat alibi, pœnitentiam non nisi ex fide uera, & charitate dei nasci: quæ cum sint dona dei iustificantia hominem, non habentur ante gratiam. Sed Bucerus quanquam fateatur se hãc Lutheri sententiam probare ac defendere, negat tamen eam sua dicta consequi, & non esse, neq; colorem hic, neq; apparentiam ullius illationis. Quod ita dicit, quasi captemus per calumniam litigandi cum eo occasionem, quam ipse non obtulerit. Inspice Lector, sententias Bu-

ceri in Iudicio recitatas, ex quibus nullius est artis formare Syllogismum, unde inferatur illa Lutheri sententia, ordine ita disposito: Quicquid inest homini extra fidem ueram & charitatem dei, repugnat deo, Contritio quæ præcedit gratiam gratum facientem, inest homini extra fidem uiuam & charitatem dei, Ergo Contritio quæ præcedit gratiam gratum facientem, repugnat Deo. Si repugnat deo, facit magis peccatorem, quod ex dictis suis negauerat Bucerus consequi. Propositio est Buceri dicentis: Naturam extra fidem & charitatem dei, nihil aliud posse, quàm repugnare deo. Assumptio similiter est Buceri dicentis, quod fides uera & charitas debeant pœnitentiam seu contritionem præcedere. Atq; hinc per Syllogismum primæ figuræ, infertur Lutheri damnata illa sententia. Quod cum sit luculentum, cur nos perstringit, quasi calumniatores. Sed hæc parerga. Ad rem progrediamur, Buceri post Lutherũ sententia est, *Contritionem ante gratiam facere magis peccatorem, & ueram pœnitentiam, non nisi ex uera fide & charitate nasci.* Si diceres non existere pœnitentiam uiuam & ueram sine donis illis, non reprehenderemus: At tu dicis non nasci nisi ex illis donis pœnitentiã. Qua persuasione homines à deo in peccatis aberrãtes, in grauiorem protrudis errorem. Contra Delecti, qui didicerunt nõ omnes peccatores eodem affectos modo, nec esse omnibus ista principia, & quosdam hoc, alios alio modo, ad contritionẽ & pœnitentiam peruenire, asseuerant contritionem, plerunq; pręparare hominem ad fidem uiuam & charitatem dei, quę sunt magna & specialia ipsius dona, hominem uere iustificantia. Atq; hoc ipsum probant per illud, quod Euangelium prædicat pœnitentiam in remissionem peccatorum, tanquã consectarium ad pœnitentiam. Item quod Simoni Mago post receptam fidem & baptismum grauiter relapso, dicitur, Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga deum, si forte remittatur tibi: Vbi clare suadet apostolus Petrus, pœnitentia & oratione, se pręparare ad ueniam, & hanc nondum acceptã, talibus medijs quærere & ambire. Item per exemplum Cornelij Centurionis, qui Eleemosynis & orationibus iam se præparauerat ad fidem Christi

Diuersis modis peruenitur ad pœnitentiam.

Cõtritio plerunq; prępa rat ad fidem uiuam & charitatem.

Christi, quam nondum fuerat consecutus, atque adeo nondum iustificatus. Quibus breuiter uolunt Delecti ostensum, non inutilem esse contritionem aut bona opera, quę ante acceptam fidei uiuæ & charitatis gratiā fiunt. Nec esse ea homini impedimento, aut in cumulum peccatorum, sicut fingunt Luther & Bucer, sed contra, adiumento esse, & ualere ad præparandum hominem, uenienti gratiæ dei.

Vide hic quomodo expendant homines isti scripturas, & qua utantur Dialectica, Impijs qui Christum ignorauerunt, aut grauiter peccauerunt, prædicata est pœnitentia, Ergo uera pœnitentia & contritio peccatorum, non oritur ex uera fide & amore dei. Hæc est eorum illatio. Sed in qua figura & in quo modo? Ita Bucer. Bucerus.

Quorsum autem istud Bucere? Qur tibi fingis consequentias nouas quibus cum ludas, & non retines nostras? An hic tangitur tibi ulcus? Nam quod ad scripturarum quas citauimus expensionē attinet, non est quod uereamur Lectoris iudicium. Vtinam & tu quoque non lippis oculis uideas, quomodo scripturas expenderimus, claroque uerbo dei, non ita proterue reluctareris. Illa autem, quā tu uelut parum Dialecticam derides, non est nostra consequentia: Figmentum tuum derides. Tali sophistica soles imponere simplicibus. Nostra sic habet: Impijs qui Christum ignorauerunt, aut grauiter peccauerunt, in Euangelio ubi omnia ordine traduntur, prædicata est initio pœnitentia in remissionem peccatorum, Ergo plerunque pœnitentia, fidem uiuam & charitatem, eximia illa dei dona, præcedit. Illude huic illationi si potes. Hæc conclusio contra te, & magistrum tuum statuitur, qui uultis necessarium esse, ut uera fides, ueraque charitas, priores excitent pœnitentiam, non ipsa contritio, ijs dei donis adhuc destituta, quam fingitis efficere magis peccatorē, tantumque abesse ut ad ueniam præparet dolentē. Quæ pniciosissima ē assertio, facitque peccatorē necessario pplexū, ut uel in desperationē corruat, aut plane reddat securus. Nam qd faciat, quid conetur aut pertentet miser homo, his dei donis uacuus, & peccatis grauiter inuolutus, si non Orthodoxus. Buc. cauillum.

Quo Bucerus reddat peccatorem sua doctrina perplexum.

permittitur ei resipiscentia, & amara contritione resurgere ad pœnitentiam, nisi expectet, donec primum accipiat fidem uiuam, & charitatem illam dei, præsertim cum non ignoret hæc dona suis studijs, neminem assequi posse, quę Deus gratis, ultro & immerentibus largiatur? Ingemiscat ne & doleat? tondat pectus? lachrymetur? fugiat ad contritionis & orationis consueta præsidia? Sed ita per Bucerum amplius peccabit, erit hypocrita, & iam se minus idoneum ueniæ seu gratiæ (quæ datur immerentibus) præbebit. Perseuerabit in peccatis, & fructur cupitis uoluptatibus? Sed ita immergetur in profundũ, & damnabitur. Quoquo igitur se conuertat, inueniet miser offendiculum. Proinde hoc pacto secum ratiocināti, quid restat, nisi ut animo perplexo desperet, seq; iam totum in pelagus peccatorum præcipitet: aut securus de misericordia præsumat, statuatq; expectare, & differre suam pœnitentiam, donec experiatur se dona illa dei accepisse, charitateq; & fide Christi in trāsuersum rapi & impelli? Quod ipsum tamen per uos nunquam quis experietur, qui asseueratis omnem hominem licet regeneratum, iacere in graui ignorantia dei, in dubitatione, in incredulitate, contemptu & odio, eaq; ipsa in se nunquam non sentire, atq; hanc esse experientiam piorum. Quod si est ista bonorum & piorum experientia, qualis erit impiorum & malorum? Quam procul mali semper à sensu donorum dei aberunt, si ita affecti sunt boni? Ergo fidei uiuæ, & charitatis impulsum, expectabunt frustra, cuius sensu nunquam tangentur.

Iam quibus persuasum est priusquam dolorem & contritionem admittant, seu ut mollius loquar & sensum explicem aduersariorum, priusquam arbitrij sui libertate, contritionem peccatorum concipiant, ipsaq; peccata detestentur, habendam esse fidem & charitatem, quibus ad pœnitentiam incitentur, ijsdem decretum esse oportet, manere in peccatis & ociose expectare, dum largiatur sua misericordia deus fidem & charitatem, quo tum demum præbeant se ijsdem donis ad pœnitentiā excitandos, atq; interim non uelle quid conari frustra, aut committere, quo deum anteuertant, ei resistant, aut præpostere, quod muneris diuini est sibi usurpent, quę omnia se credant incidere, ubi ante charitatis & fidei calorem de peccatis conterantur.

Adeoq;

Adeoq; iacebunt inertes,squalidi,fuliginosi & stertentes in peccatis suis,nec audient uocem filij dei, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.Nec Apostoli clamnatis, Surge qui dormis,& exurge à mortuis.

Matth. 11.
Ephes. 5.

Quis autem facile colligat segetem malorum quanta ex hac semente in inculto & squalido corruptarum mentium agro nascatur? Hac nimirum opinione simplices quiq; & superstitiosi, & hebetes persuasi,uere examinabuntur,ut resurgere,ne tentent quidem: stolidiores deterrebuntur à resipiscentia, ne uidelicet contritione sua fiant(quod prędicant aduersarij)hypocritę.Superbi uero,fornicatores,adulteri,incestuosi,immundi, delicijs & uoluptatibus dediti, bibones,epulones,sordidi,fures,sacrilegi,auari,iniqui,fraudulenti, nequam,scelesti,iracundi,arrogantes,uiolenti,oppressores & emunctores pauperum,seductores & corruptores aliorum, & quotquot sunt quos sua uicia alioqui plus satis delectant,hoc manebunt quod sunt, donec instillet eis deus,uiuum charitatis & fidei sensum,hoc est, donec prius fide & charitate iustificet,alto peccatorum somno stertentes,aut fatigati,lassi,& ad nauseam expleti,destituantur peccandi facultate,non uoluntate. Talibus enim dum aderunt uires, decretum erit edere,bibere,ludere,& prędentibus explere delicijs animum. Si deo (inquient)sumus curæ,non sunt illa eius dona nobis defutura.Si uero nos habet pro deploratis,abiectis,& inimicis, si non sumus ei amplius curę,quid fraudamus nos cupitis uoluptatibus? quur sumus iniqui in nos ipsos, & nobis inferimus ipsis quod nolimus ab alio perpeti,crucem,solicitudinem, mœrorem,afflictionem: pręsertim cum nihil proderit omne studium nostrum nobis, nec uiribus nostris hoc assequi possimus,ut redeamus in eius gratiam? Hi sunt doctrinę istius fructus,sic iacent studia bona,uigent pessima.Inde homines mali credunt se iam habere paratam aliquam sui excusationem, nempe,quod non senserunt sibi datam resipiscentię gratiam. Videbuntur sibi iam habere insaniæ rationem,& reperisse defensionem suam non qualem seruus ille piger,qui dicebat,Sciebam quod homo durus esses,metis ubi non seminasti, congregas,ubi non sparsisti, & timens abij,& abscondi talentum tuum in terra, Ecce habes quod

Fructus Bucerana doctrinæ de contritione.

Matth. 25.

tuum est. Sed omnino negabunt se talentum ullum accepisse. Tua est crudelitas, inquient, quod perdes nos, quos bonorum operum fe ceras impotetes, etsi quidem permissa nobis fuisset resurgendi facul tas, quam tibi ut donares reseruasti soli, utiq; fructus pœnitentiæ dignos protulissemus, parati semper expectabamus, ut fide uiua & charitate conuerteres nos, quorum sensum dedisti nullum.

Absurditas Buccerana sententiæ.

Obsecro te lector pie, num sapietiam aliam poterit Buccerana ista doctrina filijs huius seculi inspirare? Num meliores inde sperabimus fructus? Idcirco etiam si nullum aliud præterea incommodum doctrinam illam sequeretur, essent tamen eiuscemodi fructus, uel soli, abunde sufficiens & digna causa, propter quam deberet tanquam publica religiõis pernicies, ac pestis animarum, cum suis authoribus ipsa explodi, & procul exibilari. Nunc uero ad hæc omnia, & à rationis rectæ dictamine, sensuq; communi, sententia illa prorsus abhorret, & sacræ scripturæ neutiquam est consentanea. Quo uero hoc palam demonstrari queat, prius constituendum nobis est, uitandę ambiguitatis causa, quid pœnitentiæ seu contritionis nomine utrinq; intelligatur. Nolim cũ aduersarijs hærere in lubrico, ubi pateat tergiuersationi locus. Non hic contendimus de pœnitentia, aut contritione iustorum & perfectorum, qui commissum aliquando peccatũ, non contenti iam sibi donatum esse, & à deo penitus dimissum, insup illud tota uita quoties uenit in mentem oderunt, detestantur & ulciscuntur: non quidem spe ueniæ, quam remissione obtenta nullam quęrunt, sed amore iusticiæ, & cupiditate uindictæ, quam certum est ex magna charitate dei proficisci, proq; charitatis magnitudine augeri. Sed de pœnitentia seu contritione incipientiũ, atq; in ipso peccandi cursu resipiscẽtium, quam Theologi scholastici donec imperfecta est, attritionem uocant, est disputatio. Hæc enim est dolor & detestatio agniti in se peccati, cum aliquanto emendationis propositio, spe ueniæ. Concipitur autem, nunc metu ultionis diuinæ, nunc suasionibus, aut humano pudore, interdum ab exemplo bono, nõnunquam aduersa ualitudine, fit etiam ut desiderio regni cœlestis, aut formidine pœnæ suboriatur. Oderũt enim peccare boni, ut Ho

De qua pœnitentia hic cõtenditur.

Quid contritio & unde concipitur.

ratius ait, uirtutis amore. Oderunt peccare mali, formidine pœnę.

Hoc rude & informe conuersionis initium (quando non nisi raro miraculo à perfecta auspicemur) tollunt hæretici, & cum sit quędam reuersio, aut certe compressio à peccato ulteriori, ipsi auersionē faciunt, & eo dicunt hominem magis peccare. Videndum nunc quibus hominibus conuersis, an conuertendis, hoc est, iustis, an iniustis pœnitentia prædicetur, & qualis pœnitentia. Iustis profecto & innocentibus seu conuersis, nunquam leguntur apostoli uel prophetæ pœnitentiam prędicasse. Quin Magister cœlestis disertis uerbis ait, Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et tamē iusti perfectam pœnitētiam quo sunt iustiores, hoc amplius sua sponte, nec urgente prædicatore sectantur. Non quomodo peccatores illi grauibus criminibus obruti, qui nondum remissionem peccatorum acceperunt, cum ipsi (nisi forte exigua & uenialia) peccata nulla habeant, & iubeantur de remissione esse securi. Vnde ad Hebræos decimo ait Apostolus: Vbi peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato, nimirum expiando. Habentes itaq; fratres fiduciam (remissionis peccatorum) accedamus cum uero corde (quod de reconciliatione nostri & propiciatione dei non sit amplius solicitū) in plenitudine fidei, aspersi (sanguine Christi purgati) corda a conscientia mala (quæ nos stringebat) & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ indeclinabilem confessionem. Vides quomodo Apostolus post remissionem acceptam, iubeat nos esse tranquillo animo, & à mala peccati conscientia securos, non indicta compunctiōe ulteriori, nisi forte quotidianorū & minimorū. Quid enī ueniam quærant eius peccati q̄d remissum non dubitant? Quid petant ignoscentiam criminis, quo non sunt obstricti? cuius non sunt sibi amplius conscij? Sed pœnitentiam agunt quæ iustis conueniat, cum gratiarum actione, perseuerantia in bono, & assidua castigatiōe, ac satisfactione dimissorum, nisi utiliora eis deus inspiret.

Pœnitētia iustorū qualis.

Matth. 9.

Iusti non quærunt remissionem peccatorū nisi uenialium.

Ergo pœnitētia pctōribus prædicat̄, ligatis illis & reis, ac iacentibus adhuc in pctīs. Non quidē statim pñia iustorū, q̄ à malis cōcipi & apprehēdi nō pōt, cuius nondū sunt capaces, sed primū ad infimos pñiæ grad9 uocāt̄, ut gradatim ascēdāt ad altiores, nisi raro miraculo,

Qualis pœnitentia prædicetur criminosis.

ficut Paulus, prçter expectationem fubito in deum rapiantur. Hinc eft quod proponuntur criminofis ea quæ humanos affectus potiffimum follicitant, metus gehennæ, ultio diuina, legum feueritas, exempla, calamitates aduerfç, uenia quoq;, & regnū cœlefte, pœnitenbus oblatum. Si uolueris Teftamētum uetus cum nouo totum reuoluere, uix aliud reperias. Sic mittitur ad Dauid Nathan, plenus terroribus. Ionas ad Niuinitas. Efaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel & prophetæ oēs ad reges, principes & populum: fic prçdicarunt Apoftoli, & omnes pœnitentiæ prædicatores. Chriftus quoq; propofito exemplo turris Siloæ, & Galilçorum quos Pilatus trucidauerat, ait:
2. Reg. 12. Dico uobis nifi pœnitentiam habueritis, omnes fimiliter peribitis. Nulla eft hic fidei aut charitatis mentio, fed tantum refipifcētiæ. Non expectatur quoufq; doceantur de fide, quoufq; uero dei amore ferLuc. 13. ueant, fed iubentur pçnitētiam habere, ab hoc aufpicio, clementia eis infinuatur. Quod fi peccatum eft talibus initijs ad contritionem & pœnitentiam permoueri, iam prophetæ, iam Apoftoli, iam & ipfe (quod nephas eft cogitare) Chriftus, ad peccandum inuitant. Quod cum humana mens non admittat, infanum figmentum eft puerforum hæreticorum. Nec prodeft Buceri cauillus, quo contendit, talem pœnitentiam prçdicari impijs tantum & grauiter criminofis. Quid refert enim, criminofos in altiora peccata protrudas, an peccatores minores, modo protrudas in peccata? Nec tamen uerum eft ijs folis ita prædicari, cum & fidelibus, amiffo charitatis feruore, in pauca eademq; non omnino grauiffima peccata prolapfis, contritio interminatoria prædicetur. Apocal. ij. Ephefiorum epifcopo fideli, non criminofo, uerum multis & egregijs uirtutibus pdito, attamen in defidiæ peccatum lapfo, nunciatur, Scio opera & laborem & patientiam tuam, & quod non potes fuftinere malos, & tentafti eos, qui fe dicunt Apoftolos effe & non funt, & inuenifti eos mendaces, & pacientiam habes, & fuftinuifti propter nomen meum, & non defecifti: fed habeo aduerfum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquifti. Memor efto itaq; unde excideris & age pœnitentiam & prima opera fac. Sin autem, ueniam tibi cito, & mouebo cādelabrum tuū de loco fuo, nifi pœnitentiam egeris. Audis has minas? Sin aūt

(inquit)

(inquit)ueniam tibi cito &c. Tales sunt in scripturis loci plurimi: & fingent nobis impij hæretici informes & imperfectas contritiones, quæ metu pœnæ cōcipiuntur, facere magis peccatorem, esse hyprocrysim, & non ueram pœnitentiam? Non est quidem perfecta, seria tamen & uera est minimeq; fucata.

At ego ab hæreticis illis nunc quæro, cur prædicetur, cur quoque recipiatur agenda pœnitentia uera? Nonne in remissionem peccatorum? Hoc si negare uoluerint, conuincentur innumeris & clarissimis uerbi dei testimonijs. Iam si oportet habere prius fidem uiuam & charitatem dei, consequitur, quod oporteat prius dimissa esse peccata q̃ pœnitentia suscipiatur: Cum fides uiua & charitas ubicunque sunt, uere iustificent, & peccata oĩa deleant, ut contendens habendam fidẽ uiuã & charitatem, cõtendat simul habẽdam quoq; remissionem peccatorum. Atqui si hæc prior haberi debeat quàm pœnitentia, quid pœnitentia queritur? cur pœnitentia suscipitur in remissionem peccatorum? Qui querit enim, significat se non habere. Ergo in uere pœnitente secundum uos, & habetur remissio, & non habetur. Quæ est nuda, euidens, & inexcusabilis contradictio. Vides ergo, quanta absurditas doctrinam hanc consequatur, & quod sese ipsam discordi contradictione euertat. *Compugnantia in dogmate aduersariorum.*

Adhæc pœnitentia est medicina quædam animæ, docente ueritatis Magistro nostro Christo, qui ob id sese medicum appellauit. *Matth. 9.* Non est (inquit) ualentibus opus medico, sed male habentibus. & uertunt homines isti medici nostri aphorismum in sententiam contrariam. *Luc. 5.* Dicunt: Non male habentibus querendum esse medicum, sed fide & charitate ualẽtibus. Quæso aũt te, Non est egregie stultum iubere ualetudinario ut prius sanetur, ac tum demum querat pharmacum? Dicere quando præmit & sentitur morbus, non esse dolendum, ut queratur medicus, quod si quis faciat hunc incurrere morbum maiorem, sed expectandum, donec conualescat, ut medicum adeat sanus? Nimirum hoc faciunt aduersarij, qui præcipiunt prius habere fidem & charitatem, quàm a peccatis resurgere, hoc est, prius sanari quàm querere medicinam. Quisquis enim fide & charitate iustificatur, ab omni sanatur peccato, aut dicant aduersarij, fidem *Prepostërum aduersariorũ iudicium de contritione.*

cenarius in domo patris sui,ut uictum consequatur,(qui est amor cõmodi proprij) q̃ uestiatur stola prima,q̃ accipiat annulum,calciamenta,uitulum saginatum.Surgam(inquit)& ibo ad patrem meum,& dicam ei:Pater peccaui in cœlum & coram te,iam non sum dignus uocari filius tuus,fac me sicut unum de mercenarijs tuis &c.Et cum adhuc longe abesset,uidit illum pater,& misericordia motus est,& accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Quid est longe abesse,nisi peccatum habere? Sicut scriptum est: Iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & deum: fide autem & charitate deo sumus proximi. Ergo prodigus ille cum longe ad huc esset, pistillo atterens & conterens peccata sua rudi pœnitentia,in cordis mortario, ut propius accederet,ad fidem & charitatem præparabatur. Charitas autem est stola,quæ operit multitudinem peccatorum: fides annulus est quo desponsi sumus Deo.quæ dona gratiæ diuinæ cum alijs bonis,non præcesserunt,sed sequuta sunt miseri contritionem.

Præparamenta gratiæ.

Esaiæ.5.9

Non negauerim tamen aliquantam fidem & amorem aliquantũ, contritionem præire. Nam quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Et quomodo sperabunt,si neq; amant neq; credunt? Sed talem fidem & amorem talem,habent etiam peccatores, mortui coram Deo,& grauibus peccatis oppressi. Verum aduersarij uiuam fidem & charitatem illam quæ est finis præcepti,prius exigunt:in quo uehementer aberrant.Siquidem falsa est imaginatio, Omnem fidẽ, omnemq; amorem quem habent homines ad deum, statim uiuere & deo placere. Est enim fides quædam informis in peccatoribus,& amor informis,quouis glacie frigidior,qualis est amor commodi sui, amor concupiscentiæ,amor inordinatus: & tamen hic amor, est amor quidam Dei,quem habere possunt sceleratissimi,& a deo longe alieni. Si possunt enim Idololatræ diligere deos suos falsos,uerũ deũ quare diligere non poterunt? Si possunt homines mali & pessimi amare suos parentes,natura impellente,aut benefactores propter beneficia,aut propter uirtutem homines bonos,cur non & deum Optimum Maximum,qui omnes benefactores,parentes, & illustres homines in immensum exuperat, etiam ipsorummet æstimatione.

Romano. 10

Fides & amor informis præcedũt cõtritionem.

Amor peccatorum informis.

modum nos identiden recurrere oportet ad pœnitentię & contritionis remedia, donec tandem misereatur nostri deus, & benedicat nobis, illuminetq; uultum suum super nos. Ita enim monet psalmographus ille, Accedite ad eum qui procul estis, qui charitatis & fidei lumen nondum habetis, & illuminamini, & facies uestræ, licet informes, non confundentur. De patre uero cœlesti, pollicetur nobis Christus in parabola. Luc. xi. quod licet mali simus nos, dabit tamē ille nobis non lapidem pro pane quem petimus, neq; serpētem pro pisce, nec scorpionem pro ouo, nec pro remissione uindictam. Quid ergo dabit? Spiritum (inquit) bonum petentibus se. Ipse quoq; inuitat nos ad se Christus? Venite ait ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Quis magis laborat, aut oneratus est magis quàm peccator, fide & charitate uacuus, grauiq; peccatorum sarcina depressus?

Psalm. 66.

Psalm. 33.

Matth. 11

Matth. 17.

Nec quia Iudas pœnitentia ductus retulit xxx. argenteos, & abiens laqueo se suspendit, debemus & nos a pœnitentia deterreri, aut precium retinere sanguinis, sicut suadere uidentur hæretici, iniquam facientes nostrę pœnitentiæ cum illa collationem. Ille conterebatur pœnitētia, quia desperauit, nos cōterimur, quia speramus. Qui uero ne conteruntur quidem, quam spem habebunt? Poterunt ne melius sperare qui non dolent de peccatis, quàm qui spe uenię dolent? Non opinor. Ergo sunt desperationi uiciniores. Ergo & qui asseuerant homines contritione informi magis peccare, spem amputant remissionis peccatorū, qua & Scariothes caruit. atq; hinc adeo iudica Lector, an non sunt ei simillimi.

Soluitur argumentum quod Bucerus ab exemplo Iudæ obijcit ijs quos peccatorum pœnitet ante gratiam iustificantē.

Hic tota sententia non lecta, præcipites calumniatores protinus clamabunt Pelagianos nos esse, & tribuere uiribus humanis facultatem resurgendi a peccatis, adscribere meritis humanis gratiam dei & remissionem peccatorum, liberum arbitrium extollere, gratiam euacuare, aliaq; monstrosa, quibus indoctis & rudibus, ut solent, cum magna exasperatione causę, fucum faciant. Nos uero sicut à Pelagianis sumus remotissimi, ita non possumus & istorum hæreticorum

perfidiam, contritionem peccatorum damnantium, non execrari. Nec eorum quę de uiribus & meritis humanis statuit Pelagius quicquam nobis probatur. Quis enim tam blasphemus sit in gratiam dei, qui dicat eam deberi nostris meritis? Aut quis tantum fiduciæ de uiribus suis cõcipiat ut confidat ab æterna morte & peccatorum caligine uirtute propria resurgere? Absit à nobis tam arrogãs, tamque superba blasphemia. Hæreat hęc in Pelagio, sicut illæ quas oppugnamus, in suis authoribus. Pelagius asseuerat hominem proprijs uiribus per liberum arbitrium posse mereri gratiam dei, & remissionem peccatorum, atq; adeo uitam æternam: Nos uero dicimus, ad omnem hominem pertinere, ut ad gratiam dei accipiendam se pro uirili præparet, quo non repellat, aut prohibeat à se, quod gratis & non pro meritis datur. Nec ullo pacto cogitationem nostram intrat, gratiam dei uelle mereri. Scimus enim quod non ex operibus iustitiæ quę fecimus nos, sed secundũ misericordiam suam saluos nos fecit, iustificatos gratis gratia ipsius. Nam si ex operibus gratia, iam gratia non est gratia. Et si per legem iusticia, iam Chrs frustra mortuus est. Gratia enim salui facti sumus, & hoc non ex nobis, dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Sed & gratia dei, ad Romanos, inquit, uita æterna. Scimus quoq; & fidem & charitatem & plurima alia esse dei dona, nõ meritum humanum. Sed nunquid ideo non debemus gratiam à deo petere, & offendicula quibus repellitur, quantum in nobis est, tollere, nosq; ad ipsam toto conatu præparare, quia non possumus mereri? Aliud est mereri gratiam (quod dixit Pelagius) aliud se præparare. Impedimenta auferre, & eam petere, quod nos suademus. Illud hæreticum est, istud præcipit uerbum dei. Ad hæb. xij. Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus uestris, ut nõ claudicans quis erret, magis aũt ut sanetur, contemplantes ne quis desit gratiæ dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Et iterum: Videte ne recusetis loquentem, Si enim illi nõ effugerunt, recusantes eum, qui super terram

Error Pelagianorum.

Gratiam dei nemo meretur.

Tit. 3.
Rom. 10.
Gal. 2.
Ephe. 2.
Rom. 6.

Homo debet curare ne ponat in se gratiæ dei offendiculum.

ram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus. Item ij. Timoth. ij. In magna domo non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo se emundauerit ab istis, erit uas in honorem sanctificatum, & utile domino, ad omne opus bonum paratum.

Vides hic, debemus (quod in nobis est) nos emundare, nimirum p̄ pœnitentiam, quo sic ab illo gratis sanctificemur, ut simus utiles, & ad opera bona parati. Ergo p̄misit, Cognouit dominus qui sunt sui, & discedat ab iniquitate (quod fit utiq; per pœnitentiam) omnis qui inuocat nomen domini. Sic in Apocalypsi Laodicensi angelo nunciatur, Nescis quia miser es & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, emulare ergo & pœnitentiam age. Ecce sto ante ostium & pulso, si quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cęnabo cum illo, & ipse mecum. Prophetæ & omnes sacrę scripturę sunt rerum istarum plenę, iubent surgere, præparare in occursum domini, dissoluere cogitationes impietatis, fasciculos deprimentes. Tunc (inquit propheta) erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iusticia tua, & gloria domini collliget te &c. Apocal. 3. Esaiæ 58.

Sæpe cum uult deus dare incidit in repugnantes. Matth. xxiij. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ergo uides quàm necessaria sit præparatoria quędam, licet informis adhuc, in peccatoribus contritio. Vides quantum illis cum Christo, apostolis & prophetis cōueniat, qui pręparamenta eiuscemodi damnant, contritionemq; peccatoris, dicunt peccata accumulare?

Sed dicent aduersarij illud se facere ideo, ne conuersio peccatoris adscribatur meritis humanis, id quod faciebant impij Pelagiani. Pulchre sic, Dum uitant stulti uicia, in contraria currunt.

Opera iustificationē præcedentia nihil merentur & tamen sunt utilia. Neque nos dicimus istiusmodi operibus pcedentibus mereri quenquam suam conuersionem, sed tantum aptare se uoluntati & gratiæ dei. Imo ubi omnem animi præparationem, pro uirili nostra perfecerimus(si tamen quis unquam hoc fecit) fatemur nihilominus nos manere inmerentes, nihilq; propterea nobis à deo deberi, & non sumus Pelagiani. Verum animo nō ficto, quod est, humiliter fatemur

Luc .17. & dicimus, cum fecerimus omnia quæ pręcepta sunt nobis, serui inutiles sumus, quod facere debuimus fecimus: debemus enim quātum possumus præparare nos ad ipsius uoluntatem & gratiam, atque ita dispositos cōmittere deo ut faciat nobiscum secundum beneplacitum suum. Si dat gratiam, hanc suæ liberalitati, non nostræ pręparationi debemus adscribere. Si non dat, non debemus propterea à pœnitentia illa cessare, ipse enim nouit quid suis electis & quando dare disposuit.

Omnis præparatio ad deum, uenit a deo. Et ne hanc ipsam quidem quamuis informem pręparationem solis nobis adscribimus, sed gratiæ dei, uoluntatē nostram ad hanc qualēcunq; pœnitentiam excitanti, conatusq; nostros adiuuanti. Multiplex est gratia dei. Sed quod attinet ad pręsens argumentum duplex nobis consideranda uenit. Vna iustificans, alia præueniens seu præparans. Vtraq; datur gratis, & nullis nostris meritis præcedentibus, attamen, non utraq; idem operatur. Prior illa incomparabilis, redemptionis, sanctificationis & iustificationis gratia sola saluat: Altera

Quicquid boni est in operibus hominū licet infidelium, a deo est. præueniens illa, pręseruat à malo ulteriori, & præparat uoluntatem nostram, ut fiat homo aptus gratiæ maiori percipiendæ. Sed tamen non saluat, neq; iustificat sola ad æternam salutem. Nec debet hoc alicui mirum uideri, gratuitum gratiæ donum dari & conseruari in peccatoribus, cum beatus August. libro contra Iulianum quarto, in libris item de ciuitate dei, & plusculis alijs locis, uelit gratiæ dei speciali tributum, quicquid laudatorum & bonorum operum etiam infideles, ac idololatræ gesserunt, supra naturæ uires: sic gratia dei erat donum pphetiæ Balaam: cum esset Balaam peccator, & gratia illa abuteretur. Porro ego arbitror, omnem bonum motum uoluntatis humanæ, ad deum tendentem, etiam inperfectum, informem, & spiritu uiuificāte nondū pręditum, haberi nihilominus à deo. Quod ipsum

apostolus Paulus haud obscure indicat secūdo Corinth.iij.cuius uerba sunt: Fiduciam talem habemus per Christum ad deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est. Operatur enim deus oīa in omnibus. Quapropter pri. Corinth.x.cum dixisset, Abundantius omnibus Apostolis laboraui, statim subiūxit: Non autē ego, sed gratia dei mecum. Sic & in epistola ad Philip. Cum metu, inquit, & tremore salutem uestram operamini. Deus est eñ qui operatur in uobis & uelle & perficere pro bona uoluntate. Itaque nostra ac solius arbitrij uidentur opera q̄ speciem boni habent, nostroq; conatu solo constare, si tñ consideremus omne, licet exiguum opus bonum, & prorsus informe, præsertim peccatorum nostrorum contritionem, plurimum à moribus & concupiscentia infirmitatis nostræ distare, non temere adscribemus poenitentiæ initia, affectibus nostris contraria soli uoluntatis nostræ arbitrio, sed gratiæ dei, insensibili modo arbitrium nostrum præuenienti & ducenti. Iam sicut in naturalibus donis habent alij plus alij minus, hic tardum, ille præcox & promptum ingenium, ita & in gratuitis, unus minorem, alius maiorem accipit gratiam. Multi gratiam dei, quæ poterat ipsis esse præparatoria, amittūnt sine fructu, per eorum negligentiam. In alijs uero augentur hæc dona sensim, in his scilicet qui eis non desunt, ipsaque pro facultate arbitrij sui amplexantur, quousq; tandem propitio deo accedat gratia illa uiuificans, Eo perueniunt quidem q iustificantur, sed insensibiliter. Punctum & horam primæ gratiæ iustificantis assignare non est nostræ peritiæ, qui non redditur meritis, sed pro dei uoluntate nos latente, nisi quod postea signis ceu indicijs quibusdam ubi operatur possumus præsentiam eius probabilem & aliquando certam, in nobis deprehendere. Sed de hoc alias. Nunc uero dictum suffecerit, & informes contritiones, & reliquos bonos arbitrij liberi motus, quamuis inperfectos, esse à gratia dei, nos exercente pro sua uoluntate.

1. Cor. 12.

Philip. 2.

Gratia dei non est in omnibus æqualis.

Forsan hic rogabit quispiam: Si & informis illa contritio est donum dei, ꝓpter spem ueniç supra naturam, cur exigit à nobis ꝑceps & festina, & non potius expectatur quousq; fides uiua, & charitas ad uiuam contritionem inflammment? An potest homo informe illud

ff donum

donum, sed non contemnendū, priusquā des apprehendere? Cui respondeo, Donum illud non posse quidem ab inuito Deo extorqueri: sed ille nemini fideliter petenti negat, ultro exponit, & oblatione eius præuenit appetentes. Non potest homo Deum anteuertere, qui nunquam in conferendo hoc munere est apprehendēte posterior. Nam sicut lumen solis prius est nostro aspectu, & tamen nō habetur, nisi quando apertis oculis hauritur, ita & ille prior est sua gratia, quæ tamen non habetur nisi ab accipiente. Hoc, hoc ipsum est, ꝙ prædicat Dauid in psalmis canens: Deus meus, misericordia eius præueniet me semper. Quantumlibet igitur properet homo, semper ille expectat, paratior ad dandum, quàm homo ad accipiendū. Nisi præueniret enim, non inuitaret. Omnes uocat, omnibus exponit parata munera, & quod uniuersaliter ꝓmittit, gratia speciali, omnibus appræhendentibus singulariter reddit. Sed quæret aliquis, Si præuenit omnes, quare non habent omnes præuentionis eius dona? Nimirum, quia dantur solis uolentibus & arripientibus, nisi forte raro miraculo, dentur non petentibus, sicut Paulo, aut aliud agētibus, sicut Matthæo. Tantum quisque donorum Dei habet, quantum accipit. Accipientis est donum, non negligentis, aut ociose stertentis. Videtur itaq; homo per arbitrium suum liberum concipere pœnitentiam, sed reuera arbitrium illud homine non aduertente a Deo excitatur, & fit quod ait Christus: Nemo potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Itaq; homo concipiens contritionem, seu pœnitentiam, præbet uoluntatem & arbitrium suum præuenienti gratiæ dei exercendum & dirigendum, licet non tam prompte aut perfecte, quam facit ille quem iam gratia iustificans regit & ducit. Talis enim iam plane spiritu dei agitur, tanquam filius dei. Proinde quantum contritionis & pœnitentiæ, aut alterius boni operis concipit homo supra humanæ prudentiæ uires, quæ ad spem remissionis peccatorum se non extendunt, tantum Deus inspirat ac donat. Hęc si deo pro qualicunq; conuersionis initio non ingrati agnoscimus, nullus metus est, ut in hęresim Pelagianam prolabamur. Sed quanto poterimus arbitrij conatu, adnitemur pœnitere, & tamen hunc

Grā dei excitādo pūenit arbitriū nostrum

Actuum 9. Matth. 9. Lucæ 5.

hunc ipsum conatum Deo excitanti adscribere non dubitabimus. Quæ est omnium orthodoxorum patrum sententia, quam Augustinus multis uoluminibus prolixe explicat, & post eum Prosper ille Aquitanicus, quam Innocentius primus, Bonifacius primus, Sosymus Celestinus, & alij non minus pij quam docti Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ pontifices, in diuersis Concilijs fideliter tenendam commendarunt & explicarunt. Chrysostomus quoq; aureum illud Paulinæ doctrine armarium, libro primo de compunctione cordis ita ait: Si gratia dei nihil requirit a nobis, ut faciat unumquenq; perfectum, cur non omnibus ex æquo infunditur, ut fiant omnes repente perfecti? Non est enim personarum acceptor Deus. Sed quoniam non sola gratia Dei hoc agit, requiritur ut & nos quod in proposito nostro & uiribus nostris est expleamus. Idcirco uenit quidem ad unumquenque gratia DEI, sed apud eos, qui digne explent ea quæ in ipsis sunt, permanet. Ab his uero qui minus digne agunt, cito discedit. Ad eos autem qui nec initium faciunt conuertendi ad dominum, omnino non uenit. Ita Chrysostomus, quem cum cæteris orthodoxis ecclesiæ patribus præstiterit sequi, quam nouitiorum dogmatum authores, præsertim, quando hac in re communis eorum omnium consensus, cum sacra scriptura tam exacte conquadret. At Bucerus patribus & scripturis posthabitis, mauult sequi magistrum sum Lutherum. Videamus autem qua ratione permotus. Nam nulla est, sicut diximus, neque scripturæ, neq; patrum authoritas quam prætendat, aut saltem prætexere possit. Itaque inter alia perperam dicta, quæ recitare piget, quod nihil ad causam faciunt, hoc solo colore conatur tam horridam sententiam facere probabilem, ait: *Quicunque non est in gratia Dei, est DEO contrarius seu rebellis* **widerwertig**, *nec potest habere contritionem aliam quam Iudas cum desperatione, sine fide, sine affectuoso desiderio gratiæ DEI, sicut quem non nouit, cum sit sine fide, & ideo non*

Chrysost. sententia aurea

Bucer.

diligit quia non nouit. Propterea homo qui non est in gratia dei, contritione illa ex fide & charitate non proueniente, amplius atque amplius peccabit, sicut & in omni opere suo. Et post pauca: Fatemur secundum uerbum dei, omnia opera hominis ante gratiam dei & fidem, non solum non præparare ad bonum, uerumetiam cumulare peccata.

Ortodoxus. Vide qua ratione procedat, quasi qui extra gratiam est, sit continuo deo in omnibus contrarius: quasi contrarium sit Deo quod peccatores diligunt suos parentes, quod exercent iusticiam ciuilem, subueniunt pauperibus, magistratui obediunt, reprehendunt ac detestatur sua malefacta. Ex qua Theologia Bucer ista probabis? Sic & reliqua quæ sequuntur, sunt omnia palam falsa. Qua tu fronte audes dicere, hominem Christianum, qui amissa tantum uera charitate, adhuc retinet mortua quidem, sed preciosa dei dona, fidem, spem, cognitionem dei, non posse habere contritionem aliam, quam habuerit Iudas cum desperatione? Licet enim mortua sint hæc dona Dei ad pariendos fructus dignos & meritorios, non tamen ita plane sunt mortua, ut eorum nullus sit usus: credunt enim & sperant & cognoscunt Deum etiam peccatores. Tam frequenter ut nihil accidat frequentius, amittitur uno superbiæ, aut libidinis peccato, gratia dei, & ira incurritur, sed tamen non continuo amitti scientiam dei, fidem, spem, desiderium regni, quæ tu hic enumeras, uel ipsa experientia compertum habemus. Quot pene sunt homines Christiani, tot argueris testibus, quod negari non potest: sentimus hæc in nobis dona permanere, quanquam sine fructu, peccato durante. & non pudet, haud secus ac si quis stulta pertinacia uidentem quempiam amisisse oculos, aut ambulantem carere pedibus, contendat, Ita cauillari, peccatorem credentem amisisse fidem, & cum deum cogitet atque timeat, deum ignorare? Aut stolida dementia totus laboras, qui talia habes tibi persuasa, aut nos credis adeo sensu carere, ut ignoremus nostros affectus.

Quomortua censeatur fides, quæ nihilominus creditur.

Bucer. Pergit: *Fatemur secundum uerbum dei, omnia opera hominis*

minis ante gratiam dei & fidem, non solum non præparare ad bonum, uerumetiam cumulare peccata.

Vani iactatores uerbi dei, nihil frequentius habent in ore, quam uerbum domini, uerbum domini, cum nihil minus exhibeāt. Proferant audeamus ubi scriptum sit: Bona opera ante gratiam non præparare, & esse peccata. Hic tam muti sunt quam pisces. At nos iam abunde monstrauimus contrarium: idq; ex uero uerbo dei. & si res poscat, multo possumus idem copiosius per dei gratiam præstare. Quod ut uideas, En unum aut alterum scripturæ locum huic negocio percommodum in præsens proferā. Lucę xi. sunt uerba Christi ad pharisęos, plenos, ut ibidem habetur rapina & iniquitate: Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & omnia munda uobis. Audis hic quid ualeat unum opus bonum perditorum? Solā eleemosynam tanti facit Christus, ut tot eorum mala testetur hac una mundari. At iisdem erat Christus iratus, erant ob scelera sua extra gratiā, in quos & uæ illud æternæ damnationis comminatorium intonat. An obstrepet hic etiam Christo Bucerus sicut nobis, & dicet eleemosynam impiorum esse peccatum?

Ortodoxus.

Opa bona ante gratiā iustificantē nō esse peccata.

In Apocalypsi cap. ij. & iij. scribitur ad Asiaticos episcopos, ubi eorum bene & male gesta quę deus probet, & quę improbet conscribuntur. Ad Ephesiorum episcopum: Charitatem tuam primam reliquisti dicitur, ac pręcipitur ut agat pœnitentiam. Qui relinquit charitatem, à gratia excidit, quia recedit a deo. Est enim deus charitas, & qui manet in charitate in deo manet &c. Atq; interim alia eius opera, laborem & patientiam, laudat is, de cuius ore procedit gladius utraq; parte acutus. An Bucerus melius & acutius examinauit opera extra charitatem facta quàm ille, & dicet esse peccata?

Ibidem Pergamenus episcopus arguitur neglecti officij, quod non depulerit ab Ecclesia sua tenentes doctrinam Balaam, docentes ponere scandalum filijs Israel, edere & fornicari, quamobrem & ipse monetur agere pœnitentiam. At eidem dicitur: Tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Ita Deus agnoscit benefacta etiam eorum qui adeo offenderant, ut iuberentur pœnitentia Deum sibi

reconciliare. Sic ad Thyatirensem episcopum scribitur: Noui opera tua & fidem & charitatem tuam: & nihilominus eidem obηcitur, habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetam, docere & seducere seruos meos &c.

Cui simile est quod habetur de Iosaphat. ij. Paralip. cap. xix. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum amicitia iungeris, & iccirco iram quidem domini merebaris, sed bona opera inuēta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum ut requireres dominum deum patrum tuorum. Quàm multæ sunt in libris Regum, Iudicū, & prophetarum historiæ, malorum hominum, quorum tamen benefacta non improbat scriptura, sed laudat & prædicat: quæ si sunt peccata deo exosa, cur laudantur? nō à uulgaribus scriptoribus, sed à uiris qui spiritu sancto inspirante, ea ipsa tradiderunt.

In euangelio qui eηciebat dæmonia, nec tamen Christum sequebatur, ob id peccator erat, quòd Christi discipulus non esset & si quidē uera fuisset in eo charitas, conuenisset utiq; inter ipsum & Christi discipulos. Nunc uero talis erat, cui apostoli prohibuerint dæmonia eηcere. Quæro ex te, eηciendo dæmonia peccauit an non? Vtrumuis elige: si dicis peccasse, quare Christus iussit ne prohiberetur, & factū habuit acceptum? Si non peccauit, quid clamas opera extra charitatem esse omnia peccata?

Apostolus Paulus ad Roman. indicat gradus quibus ad fidem & inuocationem dei perueniatur. Omnis (inquit) qui inuocauerit nomen domini saluus erit. Quomodo autem inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum dei. Vbi Apostolus salutem non gradibus inferioribus, sed inuocatiōi nominis domini refert acceptā, ad quam dicit perueniri fide, ad fidem autem præparari, auditu uerbi. Ergo ne qui docebantur, & ad fidem erudiebantur, non iam secundum Bucerum præparabantur ad fidem & inuocationem, sed peccabant.

Cornelium quoq; Cēturionem illum, de quo Actuū x. producerem in medium, sed hunc Bucer non sinit sibi opponi. *Vide* (inqt)

Lector

Lector Christiane, quid faciant Deputati, obijciũt mihi Cornelium Centurionem, cui dicunt profuisse sua opera, priusquã fidei lumen reciperet. Ex qua Theologia ita ratiocinantur? Dominus per dispersionem Iudæorũ in oẽs terras, quam Assyrij & Chaldæi fecerunt, passim multos gentiles ad fidem ueram, in deum conuertit, quorũ quidam legem Mosi receperunt. & προσήλυτοι facti sunt, hoc est, aduenæ, Iudgenossen. Alij non receptis Mosaicis ceremonijs, addixerunt se deo, & promissionem saluatoris mundi uera fide amplexi sunt, in qua deũ inuocauerũt, & ei per charitatis opera seruierũt, quos εὐσεβεῖς religiosos Gotselige luydt appellarunt. Talis fuit Eunuchus Candacis reginæ Aethiopũ, sicut & magnus rex Nabugodonosor, & alij plurimi. Ex hac fideliũ sorte, fuit hic Cornelius: qua de causa B. Lucas, appellat eũ εὐσεβῆ qui deum uere & serio honorauit, eiq; seruiuit. Vnde Christianus quisq; homo põt cognoscere eũ habuisse, etiã ante prædicationẽ Petri magnũ fidei lumẽ, q̃uis mysteria Christi, nõ ita diserte, nec q̃ Iesus crucifixus uerus Christus esset, cognouerit. *Bucer.*

Rogo te nũc uicissim, qua Theologia, nobis tot sortes credentiũ facis? Platonica, an Numę Põpilij? Nulla fit eñ earũ in sacris mẽtio. At tu numeras nobis tres fideliũ sortes, cũ annotatiõe marginali, Triplicẽ fuisse olim fideliũ religionẽ, unã Iudęorũ, alterã proselytorũ, tertiã religiosorum gentiliũ. Quã distinctionẽ, q̃d ad Ethnicos attinet, paulo superius in erroribus annotatis per clarissimum uirum D. Ioh. Gropperũ excussimus. Næ tu magnam iniuriam hic facis Samaritanis, quibus pręstiterat sortem unam concedere, quàm Ethnicis. Nũc relinquis eos extra oẽm sortẽ miseros, cũ neq; inter Iudęos, aut proselytos olim numerarent̃, Ioh. iiij. q̃modo tu Iudæus cũ sis bibere à me *Ortodoxus.* *Tres credẽtium classes, olim secundũ Bucerum.*

poſcis quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis, neq; inter Ethnicos, ut qui Iacob appellarent patrem ſuum, ut patet ibidem. receperant quoq; legem Moiſi, quam Ethnicorum ſapientes, uelut indoctam, ridiculam & ſuperſtitioſam contempſere: ſed & deum uerum, in monte Garizim adorabant. hos miror quomodo prǽterieris, & non eis quos Chriſtus non eſt aſpernatus, adeo, ut etiam ſuſtinuerit ſe Samaritã appellari, & Samaritæ figura ſignificari, uel quartã ſortem conſtitueris, cum ſis tam clemens in Ethnicos? Nota eſt Ethnicorum pietas. Numæ præſertim tui Põpilij & Platonis, & Eneæ, quem quur omiſeris non uideo, cum habeat Virgilius:

Sum pius Aeneas raptos qui ex hoſte pœnates
Claſſe ueho mecum, nulli pietate ſecundus.

Extra fidem Chriſti nemo eſt in Eccleſia. Sed neq; Samaritani, neq; gentiles, neq; alij quicunq; euſebes extra Chriſti fidem agentes, aut fuerunt unquam, aut ſunt modo, aut erunt aliquando in Eccleſia dei uiuentis, quę eſt corpus Chriſti, columna & firmamẽtum omnis ueritatis. An habes adhuc ullam Chriſtiani ſanguinis in te guttulã homo infidelis, uane & gentiliciſſime, q homines Ethnicos, alienos & incredulos, Eccleſię Chriſti audes cõparare? Scin etiam quæ ſit Eccleſia? quomodo ex omnibus gentibus electa? *Galat. 3.* quomodo ſub lege olim tanquã pædagogo in Chriſto ſit cuſtodita? pręceptis, iudicijs, cæremonijs, figuris & myſterijs inſtructa, & concluſa in eam fidem quę reuelanda erat? quomodo per Euangelium genita? pręcioſo ſanguine filij dei empta & ſanctificata? *Ephes. 5.* Scin quomodo Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundãs eã lauacro aquę (audis lauacro aquæ?) in uerbo uitæ, ut ipſe exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, nõ habentem maculã aut rugã, aut aliquid huiuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata? *Ephes. 4* Scin ipſam ſolam habere quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios uero euãgeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorũ in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei (auſculta quod dicitur) in unitatem fidei, & agnitionis filij dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ut

iam non

Iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, in astucia ad circunuentionē erroris? Si hoc nosti, qua fronte, quo ore, quo corde, audes tam alti consilij, nempe diuini, electionem, tam pretiosum sanguinem, tam inæstimabilem gratiam, transferre ad gentes quę ignorant dominum nostrum Iesum Christum, quæ ambulant in uanitate sensus sui? Esto habuerint Eusebes tui, speciem aliquam & imaginem pietatis. Nunquid potest deo esse digna Eusebia quæ est extra dominum nostrum Iesum Christum, in quo solo est salus, uita, & resurrectio nostra? Nunquid potest hæc à morte redimere? nunquid sanctificare, & regenerare? O insensati, quis uos fascinauit non credere ueritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, & in uobis crucifixus? Hoc solum uolo à uobis discere: Ex Philosophia, sapientia & eusebia carnis, spiritū accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. At at malum, dicatur quod est. Non defenditur hic ulla pietas. Ab ecclesia prolapsus est desertor apostata, multosq; secum in eandē ruinam pietatis obtentu protraxit. Ergo adeo spes erat istis facienda, posse & extra ecclesiam saluari? Iam si saluantur Platones, Numæ, Nabuchodonosores, & id genus idololatrę homines impij extra ueram ecclesiam, quomodo non saluentur, qui Christum licet extra eandem, tamen sonant, & prædicant? Hi sunt eusebes illi atheosebes, qui arbitrantur obsequium se præstare deo, quādo Christum, quādo corpus eius scindunt, lacerant, & persequuntur. Verum non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terrę.

Gentiliū pietas non saluat.

Gala. 3

Bucer pollicet eis quos seduxit salutem extra Ecclesiam.

Vna fuit semper omnium in salutē credentium ecclesia dei, sicut una fides, & deus unus. Hęc ante legem Moysi continebat illos qui appellabantur filij dei, cum cæteri filij hominum uocarentur. Exiguum sane fuisse hunc populum ostendit diluuium, quo tempore cum genus humanum in inmensum creuisset, solus reperiebatur cum filijs suis Noe qui saluaretur, ubi totam Ecclesiam, unica arca continebat, omnesque Buceri Eusebes diluuio periere. Sub lege uero Iudæos & proselytos, pari conditione colligebat, sicut nunc undecunque collectos Christianos, Bucerus uero nouorum cœlorum fabri-

Vna tantum Ecclesia credentium.

cator, cōcedit paradiſum & regnum etiam ĳs,q̄s putat olim extra fidem Abrahæ fuiſſe,aut nunc ſine fide Chriſti eſſe,extra Chriſtianorum Catholicā eccleſiam Euſebes,religioſos Ethnicos, qui ſua opinione,ſuaq; fide ſaluentur: inter q̄s alibi numerat Platonē, Numā Pompilium,& alios Idololatras, hic addit Nabuchodonoſorem, & neſcio q̄s alios,quorum nos adhuc celat noīa. Fortaſſe Catones, Fabritios,Regulos,Ariſtides, Minoes,uult & eorum ſimiles: recēſet tñ Eunuchum Candacis, & Cornelium Centurionē. Vbi iterum q̄ſo, è qua Theologia,aut ex quibus ſcripturis? Chriſtus unam ædificat credentium eccleſiam ſuper firmam petrā,& nō eſt in aliqua alia ſub cœlo ſalus. Propterea ait Apoſt. ille doctor gentium in fide & ueritate,qui nullos nouit alios Euſebes gentilium: Fundamentū aliud nemo pōt ponere,p̄ter id q̄d poſitum eſt,quod eſt Chriſtus Ieſus. Qui ueniens euangelizauit pacē uobis q longe fuiſtis, & pacē ĳs qui prope,q̄m per ipſum habemus acceſſum, ambo in uno ſpiritu ad patrē. Ergo iam nō eſtis hoſpites & aduenę, ſed eſtis ciues ſanctorū & domeſtici dei, ſuperædificati ſuper fundamentum apoſtolorū & prophetarum,ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto,in quo oīs ædificatio cōſtructa creſcit in templum ſanctum in domino,quapropter oportuit ipſum adducere omnes oues in unum, ut eſſet unum ouile & unus paſtor,unus Chriſtus & una Eccleſia: ad quam & Eunuchum illum,& Cornelium uocauit. Si poſſunt Euſebes Buceri in ſua fide extra Eccleſiam ſaluari,cur Eunuchus ille & Cornelius in Eccleſiam uocantur & baptizantur? Cur ad Cornelium dicit angelus: Mitte in Ioppen & acceſe Simonem qui cognominatur Petrus, hic tibi dicet,quid te oporteat facere. Quid eſt,oportet? Sic tractat Bucer ſcripturas,ut illud quod oporteat nō uiderit, atq; interim Delectos irridens, rogat qua nam Theologia efficiant Cornelio profuiſſe opera ſua, antequam fidei lumen acciperet. Non ſane Theologia Bucerica,quę non uidet quid oporteat, ſed ueteri patrum Theologia, quæ non negligit, quæ diligenter quod oporteat perpendet, quæ inquirit & uidet, quo profuerint Cornelio ſua opera. Non enim profuerunt ei ad ſalutem æternam, neq; ad meritum regni, ſed ut mitteretur ad eum angelus, ut doceretur, quibus ad æternam ſalutē

Bucer opinatur gentiles extra Eccleſiam poſſe ſaluari.

Matth. 16.
Actuum 4.
1. Corin. 3.
Ephe. 2
Iohan. 10.
Actuum 8.
Actuum 10.
Eunuchus & Cornelius uocant ad eccleſiam.
Quatenus profuerunt.

profut

proficeret. Profuerunt ut informis formaretur, ut preparatus ad fidem, fidei lumen acciperet.. *Cornelio ante fidem Christi sua opera.*

Sed Bucerus contendit ipsum iam magnum fidei lumen habuisse, & cæcos arbitratur Delectos Colonień. qui hoc non uiderint. Homo perspicax, linceis suis oculis uidit plus aliquid in Cornelio solus, quàm octo Deputati Colonień. quàm angelus, quàm princeps apostolorũ Petrus, quàm deniq; & ipse Deus, quos oẽs latuit magnũ illud fidei lumẽ in Cornelio, Bucero perspectum. Dicentibus Iudæis: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Respondit Christus: Adhuc modicum lumen in uobis est, Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Qui si tantum luminis & in Cornelio perspexisset, dixisset utiq; adhuc lumen in te est, dum lucem habes, crede in lucem & eris filius lucis. Iam ne modicum quidem in eo animaduertit Christus, idcirco non audit quod Iudæi. Quid autem? Mitte & accerse Simonem, hic tibi dicet, quid te oporteat facere, ut lumen accipias. *Iohan. 12.*

At quod est magnum illud fidei lumen o Bucer, quod Cornelio tribuis? *Licet ignoraret,* inquit, *mysteria Christi, & quod Iesus crucifixus ille esset Christus, tamen magnum fidei lumen habuit. Alioqui non potuisset obtinere laudem Eusebeos & timoris DEI, nec potuissent orationes eius & Eleemosynæ tanti ualere apud Deum.* *Bucer.*

Non ita Bucere, cessa nobis dicere, alioqui. Non habet enim hoc scriptura, q̃ hoc docet, ꝙ nos asserimus: Nimirũ opera bona ante gratiã fidei iustificantis, nõ solũ non improbari deo, sed & placere hactenus ut pparent hoĩem gratiæ maiori recipiendæ. Nõ pclaram adhuc fidẽ habebat, & tñ opera habebat admodũ pclara, qbus pparabatur, ut illuminaret. An tibi q̃uis de deo opinio est magnum fidei lumẽ? Scis quid sit lumẽ fidei? Nobis nõ est aliud tam uerum fidei lumen q̃ Christus, Lumen illud à deo paratum ad reuelationem gentium, quodque illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, & lucet his qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. *Lumen fidei quod.* *Lucæ 2.* *Iohan. 1.* *Lucæ 1.*

ll ij Hoc

Hoc lumē si habuisset Cornelius, nihil Petro opus erat. Ergo Petrus aduenieñs, qd egit? Statim pdicauit fidē Christi, ut lumine fidei Cornelius illuminaretur, ac fumus cogitationū, quibus æstuauerat spū sctō inflāmaretur & arderet in salutē. Vides ergo (qd rogabas) vñ Coloniensium, imo unde Ecclesiæ Theologia constet, q dicit opera ante gratiam sic placere deo, ut pparent ad fidei lumen? qd nemo habet nisi q Christū habet. Vides quoq; q asymbola, q Ethnica & pphana sit tua de Eusebis, & Lutheri probata tibi de contritiōe, aliisq; bonis, ante gratiam iustificantē operibus Cacologia. Non credatur nobis, nisi & patres tradant nobiscū eadē: in quibus non postremū locum obtinet diuinum illud organum Ioannes Chrysost. qui sermone de fide & lege naturę ita ait: Testimoniū bonū habuit Cornelius de eleemosyna & pcibus, sed Christū ignorabat, Deum quidē credens, dei autē sermonē nondum edoctus. Et quia opera erant bona & admirabilia, placebant enim bonorū remuneratori & amatori deo. Sed qa magnus illę iusticiæ & ueritatis oculus, iustus, inquam, ille iudex, personarum respectum nesciēs, uidit bona quidē opera, sed mortua, eo q fidem non habebant, mittit diuinum angelum operibus ad pmia acquirenda ministrantem, ita ut bñ certando ob fidem coronari possit. Qui dicit ei: Corneli, pces tuæ ascenderūt in memoriam coram deo. Si igitur exaudita est petitio, inquit, & eleemosynæ meæ acceptæ sunt, qd mihi deest ad iusticiam? Mitte igitur in Ioppē dicit, & accerse Simonē qui agnominatur Petrus. Qui ubi uenerit loquetur tibi uerba in qbus saluaberis tu, & tota domus tua. Itaq; non poterant opera saluare. Nam si his quæ Petrus prædicat saluatur & ipse & domus sua, nondum habuit Cornelius ex operibus salutem, donec operibus suis fides ad quærendum pmium offerret.

Fidē necessariam non habuit Cornelius.

Sed malunt aduersarij audire August. quē uulgo iactāt esse suū, pperam sp, & Augustino ipso reclamāte. Lib. 1. de baptismate contra Donatist. ait: Neq; em̄ & Cornelij gētilis hōis orationes non sunt exauditæ, aut eleemosynę nō sunt acceptę, imo & angelū ad se mitti & missum meruit intueri, p quē posset utiq; sine hōis alicuius accessu cūcta necessaria discere. Sed qm̄ quicquid boni in oratiōibus & eleemosynis habebat, prodesse illi nō poterat, nisi p uinculū Christianæ

societatis

societatis & pacis incorporaret Ecclesiæ, iubetur mittere ad Petrū, & per illum discit Christum, per illum etiā baptizatus, Christiano populo, consortio quoq; comunionis adiūgitur, cui sola bonorū operū similitudine iungebatur. Quibus uerbis B. August. clare quæ diximus, cōprehendit. Primo, Corneliū anteq̄ didicisset fidē Christi, habuisse bona opera, deo quodā modo accepta. ubi corruit Buceri doctrina, de peccato cōtritionis & operū, ante fidē & gratiā iustificantē. Secūdo eadē opa nō profuisse Cornelio ad salutē sine fide Christi, & extra corpus Ecclesię. ubi corruit eiusdē de religiosis gentilibus ꝓphana doctrina. Vis ergo nunc audire, cum non ualuerint ad salutē, ad qd extra corpus Christi adhuc cōsistenti, opera illa secundū eundē ꝓfuerint? Cū nostra assertio habeat, eiuscemodi opa ꝑparare & disponere ad gratiā, nihil uero mereri, hic amplius aliquid uidetur promittere, lib. 1. de ꝑdestinatione sanctorum, cap. vij. ubi ait: Solet de uiro bono dici, ideo credere meruit, quia uir bonus erat antequā crederet: quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt Eleemosynæ, & exauditę oratiōes, antequā credidisset in Christū. Ita August. Qd ipsum tamen eius dictum (credere meruit) nolim sensu ꝓprio accipi, quasi deus factus sit Cornelio debitor, ex merito & iusticię debito, anteq̄ fidē Christi uiuā haberet, ut hanc fidem uelut ꝓmerenti dare debuerit. quod a sensu August. plane abhorret: sed ad eū modū quo recentiores Theologi loquuntur de merito cōgrui, quod aiunt non esse uerū meritū, sed dei dignationē: dignatur enim misericors deus homines suis donis, quos scit, etsi (ut fit nonnunquā incognita) ea tñ tota mente desiderare, seq; plus cæteris ipsi præparare, licet sint peccatores & gratia eius reuera indigni. Sic Corneliū affectu & operibus paratū ad credendū ac ꝑficiendum dei uoluntatē, dignabatur munere fidei, ut meruerit fidem, hoc est, dignatiōe dei eam acceperit. Censuit eñ deus, eū qui informi & imperfecta fide, eousq; bonorū operū ꝓfecerat, idoneum seu dignum cui ueritas & salus misericorditer exhiberetur. Quæ sententia cum ꝑcedentibus & sequentibus, in eodē ac alijs libris, ubi hanc materiā B. August. tractat, satis cōcordat. Aduersarij uero, de merito congrui nō aliter fere loquuntur, q̄ si oporteat homines minimum esse paratos, & hoc potissimū curare, ne uideantur retici.

Extra corpus & societatem Ecclesiæ non poterat Cornelius saluari.

An meruit Cornelius si bi a deo fidē.

Quod meritum congruū dicatur Theologis.

Congrui meritum, quod non habent, respuūt hæ

DE VENERATIONE, INTERCESSIONE & INUOCATIONE SANCTORUM.



Equitur nunc in libello Iudicij cẽsura D electorũ, de opibus bonis, & eorũ meritis p gratiã, cui insertus est, casu magis q̃ consilio (ut in opere tumultuario facile poterat cõmitti, præsertim ubi sicut obuia erant colligerentur, conscriberẽtq; multorum iudicia) articulus de inuocatione Sanctorũ: quem grauiter & infestis animis Philippus, Bucerus & Oldendorpius oppugnant, ac sibi iam de eo triumphare uidẽtur: quod non obscure iactant eorũ symmistæ, exitiiq; quidã monachi, stolidi, indocti, & perfrictæ frontis homines, quales reuerendiss. dñs Archiepiscopus Colonień. Elector, & princeps noster clementiss. a Bucero & Philippo, heu male persuasus, aliquot suæ Diœceseos locis, prædicando uerbo Dei præfecit, digniores qui porcos alerent, aut remiges in triremibus traherent, q̃ ut animarũ saluti procurandę admouerentur: cum sint perfidi, uotifragi, & temerarij apostatæ, nulli certæ fidei addicti, sed ad quiduis credendũ, docendũ & aggrediendum semp faciles & expediti. Cuius quidẽ articuli, uideo propterea a pijs qbusdã & catholicę fidei sectatoribus, integrã propugnationẽ uehemẽter desiderari. Ac iam dudũ sperauerãmus illud facturũ doctissimũ uirũ Bartholomeũ Latomũ: qui si uoluisset, hoc utiq; poterat eleganter & copiose pręstare. Verũ ille intentus forte alijs, in eo libro quẽ ante hoc biduũ Colonię impressum aduersus Bucerũ edidit, hoc tantũ agit, ut detectis Buceri fraudibus ac paralogismis, obtineat clarissimorũ orthodoxorũq; patrũ testimonijs, inuocatiõis usum fuisse iam supra annos mille ducentos in Ecclesia receptũ: quod ita agit, ut uix quisquã melius. Et certe debebat ijs qui credũt (aiunt aũt oẽs se credere) interea tpis extitisse ullã uerã Ecclesiã, ꝑsuasum quoq; esse, tam lõgęuũ inuocatiõis usum, nõ potuisse temere (ꝓsertim ætate illa puriori) inuehi in Ecclesiã, aut tot seculis in eadẽ impie retineri: sicut stolide proclamãt aduersarij esse Idolomaniã. Quod si sit, interea nõ fuisse uerã Ecclesiã erit necesse: cũ nõ possit Ecclesia eẽ, cui idololatria

Bartholomeus Latomus de inuocatione sanctorum.

probetur. At

At ut nunc sunt mores, nulla quāuis firma ratione, contentiosis quibusdam potest satisfieri aut persuaderi, ut necesse fit & hoc argumentum explicari latius, & plures ad idem efficiendum rationes adhiberi. Intersectam itaq; hoc articulo censuram illam de operibus bonis & eorum meritis, uisum mihi fuit rursum coniungere, & tollere prius e medio, primumq; tractare articulum illum de ueneratione & inuocatione Sanctorum: ac tum demum integra disputatione & illam quoq; tractare. Sequuntur igitur uerba Iudicij Delectorum, ut erant inserta.

Iudicium.

Dehortatur quoq; ab imploratione sanctorū, ob id quod Christus est summe misericors, aduocatus pro nobis apud patrē, & satisfactio pro peccatis nostris. Neq; tamen idipsum expressis uerbis agit, sed rebus quas ob oculos proponit conatur efficere. Multis em̄ modis atterit implorationem hanc & eleuat, nec multum abest quin uideatur damnare, & ne ipsis quidem Sanctis dicit admodum placere.

Prædicata est & nobis dei misericordia, in quam anchoram spei nostræ defiximus: & scimus ipsum nihilominus esse iustum, atq; adeo nobis thronum gratię eius adeundem esse cum fiducia, ut misericordiam cōsequamur. Ad hoc adhibemus nobiscum sanctos, tam eos qui agunt in terris, q̄ qui uiuunt in cœlis. Hoc em̄ deo placitum est & acceptum, ut per multorum intercessiones honoretur ipse, & nos adiuuemur. Oportet enim orare alterum pro altero, ut salutem consequamur. Hoc modo fecit Apostolus, & orationem pro se postulauit fieri. Theodosius cum sacerdotibus & po-

pulo omnia orationum loca circumibat, & ante martyrum & Apostolorum thecas iacebat humi prostratus, poscens fida sanctorum auxilia. Neque tamen ideo putandi sunt diffidentia aliqua circa misericordiam dei languisse, sed multo magis, ut plurimorum intercessionibus adiuti, recta deum adirent. Ita & nos demeremur nobis sanctos legitima ueneratione, precamurque ut nobiscum orent deum pro nobis. Non desperamus, non diffidimus, non dubitamus etiam, sed deo hanc habemus reuerentiam, ut nō arrogemus nobis supplicandi dignitatem, simulque rea nostra adeoque trepida conscientia, consociatis sibi sanctis Apostolis, martyribus, & deo dilectis confessoribus, meliori cum fiducia thronum gratiæ accedit. Hinc sunt Litaniæ illę, quibus sanctorum agmina inclamamus, quarum usus peruetustus est: Cassiodorus enim Litaniarum meminit Tripartitæ historiæ libro primo, & Nicephorus sub Valentiniano. Somnium est quod quidam putant sub Gregorio primum auditas.

Pauca igitur de inuocatione mortuorum dicam, de qua, ut sæpe alias, opponit nobis antiquitatem, ait Theodosium stratum ad sepulchra mortuorum suas preces dixisse, &c. Melanthon.

Primum igitur de seculo & autoritate scriptorum ueterum ita respondeo: una quaedam est Ecclesiae dei catholicae perpetua & pura doctrina, per Apostolos tradita, quae habet testimonia Ecclesiae etiam sequentium aetatum. Sed alij scriptores alijs puriores sunt, ut totum doctrinae corpus, si quis dextre iudicet, apud Augustinum purius est, quàm apud Origenem. Miscent & singula secula aliquid contagij, ut hominum natura in hac imbecillitate nunquam est sine uitijs. Et natura fauemus patrijs & praesentibus moribus, ideo cū semina superstitionum irrepsissent in Ecclesiam, sancti patres quaedam uel non satis cōsiderabant uel tolerabant, tametsi non probarent. Nota est omnibus Augustini querela de superstitione suae aetatis, cum ait seruitutem Ecclesiae iam duriorum esse Mosaica. Sed ferebat hic quaedam uicia, occupatus alijs difficilioribus certaminibus.

Deinde nondū adeo creuerāt abusus illi de q̄bus nūc disserimus, ut postea barbaricis temporibus & cum accessit quaestus, creuerūt. Erat cōsuetudo facere mētionē mortuorum in publicis precibus. Nondū accesserat opinio applicādam esse ꝑ eis cœnā Domini, nondū erat res quaestuosa. Fortassis aliqui priuatim mortuos inuocabāt. Nondū tamē erāt statuae, nondū distributa erāt munera inter mortuos, nondū Anna dabat opes ut Iuno, nondū Georgius iuuabat equites, ut Castor & Pollux, deniq; semina sparsa erant, q̄ adhuc erant exigua, sed tamen uerā lucem fidei

obscura-

obſcurabāt. Alij igitur alijs ſeuerius obſiſtebāt. Narrat Epiphanius ſua ætate mulieres in Syria ſtatuā Mariæ circūtuliſſe, & ei liba, & neſcio quas res alias obtuliſſe. Hunc morē inter hæreſes recēſet, & oppreſſum eſſe inqt diligentia & authoritate Epiſcoporū, q̄ſi imitatio eſſet ethnici furoris. Nunc magna pietas ducitur inuocare Mariam, & donaria liberaliter cumulare.

Quare cū nobis antiqua exēpla obijcitis, hoc reſpondemus, nos fideliter, ut ſupra dictū eſt, tueri cōſenſum catholicæ Eccleſiæ Chriſti, & adfirmamus nos de ſymbolis nō diſſentire a ꝓbatis ſcriptoribus ueteribus, cōgruere etiam ætatē illam nobiſcū exiſtimamus in cæteris noſtris ſententijs ſi dextre de ea iudicetur. Et ſi.n. ipſi ſcriptores ſæpe neglīgētius loquūtur, & quædā priuata exēpla reperiri poſſunt, q̄ noſtris ritibus aduerſantur, tamē mos Eccleſiæ publicus fere cōuenit nobiſcū. Cœna domini una communis erat, etiāſi fortaſſis reperias exēplū ubi aliquis ſua quadā ſuperſtitione priuatim tanquā ſacrificaturus, conſuetudinē publicā mutauit. Ita & mortuos aliqui inuocabant. Paulatim enim hæ ſuperſticiones irrepſerunt.

Nec ualet argumētum ueſtrum. Hæc facta ſunt ætate patrū. Retineatur igitur mos præſens. Eſt.n. diſſimilis, ut ſi quis dicat, pater tolerat filiū ſæpius conuiuantē, ergo debebit ferre & graſſatorē & inſidiantē alienæ pudiciciæ. Ita uos exemplis ueterum, q̄ adhuc minus mali habent, poſterioris ætatis uicia, q̄ iam ſimilia ſunt Ethnicis ſtabilire conamini. Etiāſi Baſilius hac uoce cōpellat Mar-

tyres ὢ ἀγαθοὶ, κοινωνοὶ φροντίδωρ, λύσιοι· σύνεργοι πρεσβευταὶ δυνατώτατοι. *non tamē retinēdus est mos huius ætatis, cū oīa plena sunt statuarum, & ad eas alligatur, uel Dei, uel mortuorū inuocatio: & ut olim a Neptuno prospera nauigatio, a Cerere fruges petebantur, ita nunc uarij opitulatores inuocantur. Quare cum uetustum morem constet dißimilem eße posterioribus seculis, omittite illa priuata & pauca exempla, ac ad normam uidelicet ad scripta Prophetica & Apostolica redite. Lapis inquit Basilius, ad normam accōmodandus est, non norma ad lapidem inflectenda. Exempla legibus congruant, ut uulgo dici solet.*

Hæc de scriptorum ueterum ætate hoc loco dicta, uolo etiam ualere in reliquis. Nō enim prorsus sine uicio ætas illa fuit: & tamen nec Hieronymus facit mentionem inuocationis, litigans cum Vigilantio de honoribus mortuorum. nec quid fecerit Theodosius clare dicitur. Sed ut fuerit mos dicere: ora pro me Paule, tamen semina errorum, ut in herbis fuerunt, & his seminibus non est recentium temporum furor confirmandus.

Orthodoxus. Hactenus aduersarij toti mūdo contestati sunt, se nihil aliud, q̄ abusus nostrorū temporū, q intra annos ad summū quingētos irrepserunt, insectari: nec aliam ob causam, q̄ quod cupiant restitutos illos & reformatos, ad normam & doctrinā ueteris Ecclesiæ, cū qua nullum dissidiū sed perfectum sibi cōsensum esse, magna uoce iactarūt. Nūc uides Lector cādide, istis cū illis q̄uo conueniat. Hactenus posterioris ętatis scriptores respuerūt, nūc cū pducimus ueteres, nō qui intra annos trecētos aut quingētos scripserūt, sed q ante mille ab hinc

annos

annos, ad tempora usq; apostolorum docuerunt, instituerunt q; Ecclesiam Christi, rursus tergiuersantur, alius hac, alius illa interpretatione: nec tñ (ne suo quidẽ ipsorũ iudicio) lectori rem intelligenti satisfacere possunt. Ad postremũ igitur, necesse erat & ueteres respuere, eosdem etiam, quos solent contra nos, aut male intellectos, aut deprauatos plerunque pro suo sensu citare. Proinde hæreticorum orator Philippus, nouam meditatur illusionem, qua & ueterum illorum patrum authoritatem labefactet, & oculos perstringat eorum quos iam seductos, tenet eadem hæresi sibi obnoxios. Metuit profecto, ne aperiat illis deus oculos, ad cognoscendum suos errores, hæresiarcharumq; istorum nequissimas imposturas. At tu cognosce lector quàm falsè soleant & inepte gloriari de ueterum patrum consensu, quan que sit uana, futilis, & indigna rethorizantium istorum ostentatio ad plebem. Tam non succurrunt enim eis ueteres, quàm nec posteriores, ut simul omnes respuant, & sibi solis permittant de Christianæ religionis dogmatis, pro suo arbitrio definire. Cui cedat enim, aut cui acquiescat pertinax & opinionibus suis uallata superbia? Sed ad Philippum, ut quæ diximus fiant tibi cõpertiora.

Deceptores metuũt suas fraudes aperiri.

Pauca, inquit, *de inuocatione mortuorum dicam.* Quasi nos quoslibet mortuos statim inuocemus, aut soli sancti sint mortui. Vide lector, ut hõ impotens, animi sui uirulẽtiam in sanctos despuat. Beatus Augustinus grauiter & indigne tulit Iulianum Pelagianorũ episcopum pro baptizari dixisse perfundi, & tamen qui baptizãtur, perfunduntur. Verum hic uolebat rem sacram uulgari appellatione, efficere uiliorem. Sic faciũt hæretici, nec res sacras suis nominibus dignantur. Sic & Iulianus apostata Christum Galilæum & fabri filium, Christianos uero Galilæos per contemptum appellauit. Eccle siast. historiæ libro decimo, capite xxxv. Et Tripart. hist. li. vi. cap. xliiij. Iam minor erat iniuria, minorq; cõtemptus, baptismum perfusionẽ, aut Christũ Galilæũ appellare, q̃ sanctos qui cum Christo uiuunt & regnant appellare tantum mortuos. Et tamen non alio eos nomine misellus & ater iste hæreticus foetente suo libello dignatur. Proh, contumelias & impietatem ethnicam. Quid enim contemptibilius potuit homo amens & impotens, in sctõs Dei effutire? An ista

Hostes fidei Christianæ non appellãt res sacras di gnis noibus.

loquendi forma sacris scripturis, & patribus tam frequens est, ut aliter loqui nesciat? Quis ad hãc uesaniam, nisi atheus nõ indignetur? & adhuc queruntur aduersarij, quod male à nobis audiunt. Insipiẽs tu audi quod dicit scriptura, Iustorum animæ in manu dei sunt, & nõ tanget illos tormentum mortis, uisi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, illi autẽ sunt in pace. Audis scripturæ testimonio insipientes esse qui sanctos arbitrantur mortuos? Et Christus numerat Abraham, Isaac & Iacob inter uiuos. Matth. xxij. Non legistis quod dictum est à deo, Ego sum deus Abraham, Isaac, & Iacob? Non est deus mortuorum, sed uiuentium: ubi Melanchtõ eosdem illos cõtendit mortuos, quos Christus asseuerat uiuentes, tam bene obseruat ouis ista uocem Christi. Vere uiuunt, qui corpore mortis huius posito, secundũ animam liberiori uita in deo fruuntur. Quiescit quidem corpus & dormit, quousq; resuscitetur in nouissimo die. At spiritus interim cum domino Iesu, qui suscipit mẽbrorum suorum spiritũ, in æternum regnum patris, ineffabili gaudio exultat. Fortassis credit hæreticus iste extingui cum corpore simul & animam. Si credit enim uiuere animam, quæ potior & nobilior hominis pars est, cur non ab ea potius q̃ à mortali corpore sanctos denominat? Saltem cur non scripturæ consuetudinem retinet, quæ sanctos in Christo decedentes, dicit quiescere & dormire, studiose uitans mortis appellationem? Sic 1. Cor. xv. Ergo qui dormierunt in Christo, perierunt? Sic & 1. Thess. iiij. Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cũ eo. Christus quoq; primitiæ dormientium appellatur, & Stephanus dicitur obdormiuisse in dño. Act. vij. Nisi forte significẽtur nõ uulgariter mortui, ut Apo. xiiij. Beati mortui q in dño moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, ut requiescãt à laboribus suis: ubi non simpliciter mortui, sed in domino dicuntur mortui & beati.

Sapient. 3.
Sancti defuncti in scripturis dicuntur uiuere.
Ioh. 19.
Actuũ 7.
Secundũ corpus dormiũt sancti, cum spiritus eorũ uiuat.

Nunc attende Lector hominis artificiũ, q̃ nititur ueterũ scriptorũ authoritatẽ eleuare. *Vna (inquit) est Ecclesiæ Catholicæ, perpetua & pura doctrina, per apostolos tradita, quæ habet testimonia Ecclesiæ, etiã sequentiũ ætatũ.* Quod fatetur esse unã eandẽq; perpetuã & purã, ac p apostolos traditã doctrinam Ecclesię Catholicę, libenter audiuimus. Inde est firmitas & cer-

titudo doctrinæ nostræ, inde est trophæū quod cōtra aduersarios erigimus. Atq; utinā Philip. quod asserit, prudenter secum expēderet. Si est enim una, cur scindit eam, & diuersam a nostra, quæ catholica est meditatur? Si ppetua, cur nouam quæ nunq̄ fuit patribus audita cōminiscitur? Si pura, cur turbulentam reddit? Quod uero addit, eā habere testimonia sequentiū ętatum, nō facta ueterū mentione, non ē obscurū cur faciat. Seipsum uidelicet, putat in ea classe tenere arcē, & clauum regere, nec ulli ueterum posthabendum, ut sit Ecclesię eius suffragijs ac testimonijs opus, quod si nosse cupis ipsum certo sibi arrogare, tantū lege libellum ipsius de Ecclesiæ authoritate & ueterum scriptis, in q̄ nemo patrū ei satis probatur, cum uix melius de eis constituat temerarius censor, q̄ cæcus de coloribus. Verū nos testimonia sequentium ętatum, putamus cum iudicio discernenda. Vbi enim ueteribus subscribunt, aut tradūt scriptis eorū cōsentanea, nos quoq; fatemur ipsa plurimū ualere. Hęc est eñ traditio p manus accepta, hęc est p̄sentis seculi cum p̄teritis ppetua cōnexio, hæc ē unitatis illud uinculum in spiritu sctō, unicā Ecclesiam semp regente confirmatum. Sicubi uero scriptores recentiores, à ueterum consensu recedunt, ac exorbitant, quod facere consueuerunt, qui suo ingenio plus q̄ oportet cōfisi, noua dogmata cōminiscunt, negamus eos quicq̄ habere cū Ecclesiæ doctrina cōmune. Hæc est regula qua Tacianus (ut habet Euseb. Eccle. hist. lib. iiij. cap. xxix.) quaq; Mōtanus (ut idē habet lib. v. cap. xvi.) hæreseos cōuincebantur, tradebant eñ (ut illic dicit) dogmata diuersa ab his, q̄ ex successiōe maiorū Ecclesię tradita fuerāt, & ingerebatur, unde nā doctrina hęc noua? Vbi sola nouitas patribus ad dānationē sufficiebat. Mōtanus finxit se à deo missū, id q̄d hodie quidā aduersariorū sibi arrogāt. Certus sum (ait Lutherus) doctrinā meā de cœlo esse. Hęc iudicādi de doctrinis norma, ab Irenęo, a Tertul. à Damasc. & patribus sequētibus diligēter obseruata ē, habetq; similitudinē quandā cū lōgęua possessiōe, qua cōtra nouicios impetitores ex iure p̄scribitur. Solet eñ & Ecclesia sui dogmatis uetustate, cōtra hæreticos, & eos, q nouas in Ecclesia inauditasq; traditiōes afferunt præscribere ab exemplo Pauli. Si quis uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia dei.

Momus patrū Melāth.

Ad posteriores pertinet a prioribus nō discedere

Qua norma patres deprehendebāt errores.

Præscriptio doctrinæ Ecclesiasticæ.

Hinc est memorabilis ille & insignis Tertulliani de præscriptionibus aduersus hæreticos liber, sunt & apud alios patres in eandem sententiam multa, quę animus est attingere, ubi peruenerimus ad traditiones. Quod si adhuc in nascente illa Ecclesia, quando primordia illis constabiliebantur, tantum ualuit prçscriptio, quãto nunc potiori iure nouiciis istis recentium dogmatum authoribus, Ecclesiasticæ doctrinæ uetustatem tot seculis comprobatam obtendimus?

Philipus. *Sed alij* (inquit) *scriptores, alijs puriores sunt, & miscent singula secula aliquid contagij, ut hominum natura in hac imbecillitate, nunquam est sine uicijs.* Vbi hic est Dialectica tua, omnium scriptorum Aristarche? quæ est consequentia? Hominum natura non est sine uicijs, ergo permiscent uicia doctrinis, ergo & scripta habent aliquid contagij? Sic inferes, si placet, ex hoc eodem quidlibet. Nos uero diligenter distinguimus contagionem doctrinæ, à morum contagione, neque enim parum retulerit, doctrina, an moribus quis peccet: quæ utraque Melanth. miscet ac confundit. Fieri potest, ut recte & bene quis doceat, & tamen uiuat male. Et contra, fieri potest, ut uiuentes cum laude, doceant peruersa: quales fuerunt olim pœnitentiæ abnegatores, Nouatiani, uitæ sanctimonia admirabiles. Iam ut uerum sit, neminem fuisse unquam Ecclesiasticorum scriptorum, qui peccatis in totum caruerit. Si dixerimus enim quia peccatũ non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Non oportet tamen propterea statim & doctrinam ipsorum reprehendere, non etiam licet uiuant perdite ut in Caypha & Balaam monstratur. Et Christus ait: Super cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi, quæ dicunt uobis facite, opera aũt eorum nolite facere. Sic ad Rom. Apostolus: Qui prędicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegiũ facis. Itidem faciunt si qui sunt doctores istius modi, ac suam ipsorum uitam detestantur & reprehendunt, cum admittunt quod non probant, faciunt quod displicet. Et Ecclesia quoque tolerat interdum ac dissimulat uicia ad tempus aliquod: absit autem ut probet. Proinde non est, ut propter abusus, aut morũ cõ-

Error doctrinæ separandus ab errore uitæ.

Mali homines possunt docere bona.

Iohan. 18.
Num. 23.
Matth. 23.
Roman. 2.

tagionem

tagionem conuellat Philippus ueterum patrũ & Ecclesiæ in docendo authoritatem, frustraq; nobis occinit, quęstum, liba, superstitiones, pallium Annæ, uetularum nęnias, militum uota, aliaque delyramenta. Quãdo enim neglecto deo docuit Ecclesia opes à diua Anna, aut Georgio uires poscere ad præliandum? Vbi distribuit neglecto deo inter diuos ista munera? Quãdo docuit quęstui dare operã? aut quando talia ea qua tu dices forma, comprobauit? aut quando alligauit ad statuas dei uel sanctorum inuocationem? Vos si abusus tantum reprehẽderetis, nemo pius aduersaretur: sed in doctrinæ & ueræ fidei expugnationem progreditur licẽtia uestra. Verũ est & istud ab initio nascentis Ecclesiæ, nunc usq; diuersas hęreses subinde obortas, unaq; extincta, succreuisse alteram. Nõ potuerũt tamẽ illę quantumuis caput horridum extulerint, aduersus Ecclesiam, & perpetuũ illum Ecclesiæ consensum aliquando præualere, sed cum essent temporaneæ & instabiles, adinstar fumi euanuerunt ab Ecclesia explosę, quæ in medio hæreticorum semper perstitit inconcussa, uictrix, ac nunquam de gradu præcipitata. Atq; ita factum est, ut Ecclesia non modo non acceperit ab hæresibus cõtagionem aliquam, uerumetiã purior, defœcatior & gloriosior inde emerserit, ac uelut aurũ igne probatum reluxerit. Vnde non est, ut propter hæreses quæ aliquando extiterunt, labefactet Philippus Ecclesiæ aut patrũ orthodoxorum authoritatem, ijs enim authoribus hæreses sunt extinctæ.

Nullæ hæreses potuerũt Ecclesiæ ppetuũ consensũ dirimere.

Deniq; & istud nõ negamus, probatissimorum scriptorũ q̃dam interdum hallucinatos, & in uno uel altero forsan absq; hæresis ignominia, à communi Ecclesiæ consensu aberrasse, sed in paucis. Nec multos simul tempore eodem, neq; pertinaciter. Quis autem dixerit communem Ecclesię consensum potuisse huius unius cuiuspiam, uel illius priuata ac uariabili opinione labefactari? Constat enim Ecclesiæ consensus ex communi consensu omnium seculorum, eo scilicet quem nulla interrupit cessatio, prioris, mediæ & ultimæ ætatis. Dogmatis cessatio, instabilitatis argumentum est certissimum. Proinde si quid forte excidit alicui ex patribus prioris ętatis, quod non comprobarint ea ætate synchroni reliqui, neque item receperunt, media & ultima ætas, non est Ecclesiasticum dogma.

Nullius facti priuatus error præponendus cõsensui Ecclesiæ communi.

Vnde constat Ecclesiæ consensus.

Similiter si quid uisum fuit alicui mediæ ætatis quod repudiauerit, non agnouerit, neq; receperit ętas prior aut posterior, eadem de causa refutatur. De postremæ uero ætatis scriptoribus, quid amplius dicam, quã quod eorum sit sua dicta consensu authoritate & fide tam prioris quàm mediæ ætatis comprobare, ita saltem ut nihil ab illis diuersum, sed quod sit eis consentaneum doceant, alioqui aliter scripta confutantur, tanquam ab Ecclesię consensu remotissima, fictaque, non tradita uel à maioribus accepta.

Tertulliani monogamia. In prima ætate Tertullianus grauissimus scriptor suasit Monogamiam, Ecclesia temporis illius hoc dogma nõ comprobauit. Media & ultima ætates similiter non receperunt. Proinde hęsit apud Tertullianum sua propria opinio, mansitq; communis Ecclesiæ consensus integer & illabefactatus.

Papiæ, Nepotis & Lactantij Millenarij Eadem illa ætate Papias Iohannis apostoli cum Polycarpo discipulus, in eam prolapsus est opinionem, ut crederet mille annos futuros post resurrectionem, quibus sancti cum Christi corporaliter regnarent, quem postea sequutus est Nepos cantor, & post hunc Lactantius firmianus. Verum neq; qui Papiæ, neq; qui Nepoti aut Lactantio conuixere, sententiam illam receperunt, neq; item mediæ & ultimę ætates. Proinde non abijt in communem consensum, sed mansit illis propria.

Cyprianus gloriosus ille martyr & Carthagineñ. episcopus, existimabat hæreticos & schismaticos nihil agere baptizando, cui subscripserũt pleriq; oẽs Aphricani Numidarum & Mauritanorum episcopi. At reliquus orbis Christianus, neq; subscripsit, neq; cõprobauit, neq; itẽ succedentes ætates istud receperunt, quamobrẽ non habetur opinio illa, pro Ecclesiæ consensu cõmuni, sed mansit illorum, nec est in alios transmissa. Ipse quoque Cyprianus censuit non esse quenquã si diuersum sentiret ea de causa à cõmunione semouendũ, sicut multis in locis B. Augustinus testatur, & ipse quoq; de se Cyprianus in epistola ad Iulianum affirmat.

Diuus Ambros. comprecatur naturam & celerem resurrectionẽ Gratiano & Valẽtiniano imperatoribus, quod uotum, carnali quodam affectu expressum, non genuit falsam in Ecclesia de uniuersali

resur-

resurrectione opinionem aliquam, quia nullus qui male defenderet accessit, & ne ipse quidem Ambrosius dogma nouum intendebat.

Quanta minus considerate (ut fit aliquando) dicta aut retractauit, aut sana interpretatione moderatus est beatus ille, tam ingentium uoluminum scriptor catholicissimus Augustinus. Quod ipsum & alios non paucos ex patribus uerisimile est facere sibi proposuisse, si non mors inopinata propositum auertisset. Possem multo plures mediæ & postremæ ætatis scriptores, quibus similia acciderunt enumerare, si operæ facere precium uiderer. Arbitror autem hæc de magnis illis primæ ętatis scriptoribus demonstrata, sufficere ad coniectandum, quid mediæ aut postremæ ætatis scriptoribus euenerit. Atqui meminerant interim ijdem se esse homines, posse errare, posse humani aliqd pati, nemo se gessit p omniscio, imbecillitatem suam confessi sunt, & Ecclesiæ quam solam sciebant errare non posse, authoritati humiliter ac reuerenter cesserunt. Tales non censuit Ecclesia hæreticos aut peruersorum dogmatum authores, cum nulla contentione aut pertinacia, opiniones suas defenderent, quas simpliciter enunciasse & aliorum, sed præcipue Ecclesiæ iudicio submisisse fuerant contenti. Nulla hinc discrimina sunt orta in Ecclesia, nulla perturbatio, periculum nullum, nemine defendente, urgente, aut sollicitãte, suas inuentiones, nemine etiã pro dogmate recipiente. Proinde ubi nullum fiebat Ecclesiæ negocium, unde nullus oriebatur tumultus, sed uidebatur, iners ac quieta iacere opinio aliqua sine uiribus, non animaduertit, sed prætergit Ecclesia priuatorum hominum, priuatas quisquilias. Neq; tamen ob id leuiter æstimanda est, talium scriptorum authoritas in his quæ cum multo splendore pro fidei Christianę propugnatione, ac diligenti explicatione, non secundum proprium, sed communem Ecclesiæ consensum docuerunt, eum uidelicet, quem credidit, comprobauit & retinuit omnis ætas. Eiuscemodi enim dogmata, illi non tanquam sua, sed tanquam Ecclesiastica constanter asseruerunt, acceptaque ab apostolis & eorum successoribus, ad posteros transmiserunt.

Catholicorũ scriptorũ perpetuũ uotũ.

Ubi dissimulet Ecclesia errorem.

Quare cum citant scriptores siue ueteres, siue posteri, non oportet ab eis in testimonium confirmandi dogmatis assumere ea q̃ sunt uni alicui ipsorum singulariter propria, & ita propria, ut aliorũ temporum consensu careant. Alioqui daretur eiusmodi scriptoribus authoritas, non paulo maior quam sibi Christus dignabatur uendicare. Christus enim suam doctrinam, dignatus est nobis confirmare testimonijs legis & prophetarum. Vnde habet in talibus locum illud Apostoli: Licet nos aut angelus de cœlo euangelizet uobis, preterquam quod euangelizauimus uobis, anathema sit. Sic (ut prædiximus uobis) & nunc iterum dico, si quis uobis euangelizauerit preter id quod accepistis, anathema sit, Galat. pri. Sed illa tantum eorum dicta q̃ nõ modo cæteris scriptoribus eiusdem temporis, uerumetiam aliorum omnium temporum catholicę fidei doctoribus sunt cõsentanea, aut communi consensu omnium Christiani orbis nationum fuerũt olim nũc usq; sine cessatiõe recepta, & cõprobata assumunt.

Quæ scriptorũ dicta ualeant ad probandã doctrinã catholicã.

Quę hactenus disseruimus, proderunt non mõ ad cõfutandũ futiles Philippi cauillos, qbus molitur antiquis scriptoribus detrahere suam authoritatẽ, q̃ liceat ipsi suoq; sodalitio quidlibet in Ecclesia statuere, liberiusq; grassari, uerumetiã, ut cognoscant imperitiores, unde nam scriptura deficiente, aut si qñ forsan scripturę sensus uideatur anceps, uel obscurus, petẽda sint indubitata certaq; doctrinæ & ueritatis testimonia, ac uerus scripturę intellectus. Sic monet & magnus ille apostolorũ discipulus Clemẽs, Recognitionũ lib. x. ubi sic ait: Multa uerba sunt in scripturis diuinis, q̃ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisq; sponte p̃sumpsit, quod fieri non oportet. Non enim sensum quem extrinsecus attuleris alienum & extraneũ debes quęrere, quem scripturarũ authoritate confirmes, sed ex ipsis scripturis sensum capere ueritatis, quem oportet ab eo discere, qui ipsum à maioribus sibi traditum seruat, &c. Habe igitur uel uno uerbo omnium præcedentium dictorum sententiam.

Scripturæ intellectus unde petendus.

Quę scriptoribus sunt propria, non agnoscit Ecclesia Dei, neque assumuntur nobis in testimonium: quæ uero cũ alijs habent communia, hæc ipsa pro suffragijs & indubitatis testimonijs adhibentur, haud secus ac si ex ore DEI sint prolata. Iuxta illud: Spiritu

sancta

sancto inspirati, loquuti sunt sancti dei homines. quod ad eos utique pertinet, quos uno eodemque spiritu consona dixisse compertum habetur. Ille enim est spiritus ueritatis, quae una est: spiritus pacis, quae & ipsa una est: spiritus Ecclesiae, quae non nisi una est. Ergo qui unitatē dirimit, spiritum ueritatis, pacis & Ecclesiae non habet. Non est enim dissentionis deus, sed pacis. 1. Corinth. xiiij.

Progrediamur ad reliqua. Negat olim coenam domini applicatā fuisse pro defunctis: at istud non est huius loci, paulo post ubi de Eucharistia dicetur, de hoc quoque agemus. Opponit nobis questum. nos questui nō patrocinamur, nondum autem diiudicatum est, utra partium, nos an uos o Philippe questui deseruiamus. Verum de hoc alias cum dabitur de Monasteriorum, Collegiorum ac Scholarum reformatione, occasio dicendi.

Addit, *Fortassis aliqui priuatim mortuos inuocabant, nondum tamen erant statuae.* Vide ut contorqueat se. Non potest negare sanctos olim etiam inuocatos, ob id dolent ipsi caput, uenter & ilia. Sed quod adhibet dolori suo remedium? *fortassis* (inquit.) q̄ aegre accedit ad confessionem. Cur fortassis dicis Philippe? Vbi hoc legisti? An dubitas adhuc? aut quod constat certissime factum, quod omnium fere orthodoxorum patrū scripta testātur, adhuc tibi fortassis dicitur? *Priuatim.* Sed nos publicitus in templis, in concionibus, in supplicationibus factum, efficiemus palam. *Mortuos inuocabant.* Hoc faciebant qui Iouem, Martem, Venerem, Mercurium homines mortuos & damnatos pro diis adorabant, talem inuocationem nos non defendimus. Nos unum & solum deum adoramus: sanctos uero qui cum deo uiuunt felicius q̄ nos in terris, praecamur pro nobis uti intercedant, adeoque non mortuos, sed uiuos, modo quodam inuocamus, cuius statim dabimus integram rationem, ut appareat, quàm frustra haeresi suae Philippus medeatur.

Nondum tamen (inquit) *erant statuae.* Homo peruersus & in reprobum sensum datus, quanta laborat phraenesi, ut nullius

sacri reuerentia tangatur, nisi suo appellitet nomine, non sacramenta, non sanctos, non imagines: omnia uero prophanis, uilibus, & contemptis uocibus. Sic Eucharistiæ tremendum & adorandum sacramentum, panem: sacerdotes, sacrificulos: sanctos in cœlo regnantes, mortuos: eorum imagines, statuas uocat: quum sint statuæ ociosæ figuræ, in quibus artificium, non significationem spectamus. At uero sanctorum imagines significandi prothotypi sui causa exhibentur. De cruce Christi, de salutationis angelicæ, aut resurrectionis Christi figura, de imaginibus, in quibus certis quibusdam signis & notis distinguuntur Deipara uirgo Maria, apostoli, martyres, & confessores Christi, tu ne facies nobis statuas Melanthon? Ista non potest esse inscitia: Malicia est igitur aut phrenesis. Agnoscis Lector quo spiritu agitetur? Vt uideo certamen est nobis cum homine plane impio, qui de Sanctis nihil nouit amplius q̃ esse eos mortuos: de imaginibus nihil nisi quod sint statuæ: Eucharistiam aliud nihil nisi panem esse. O uoces prophanas. quas uelut digito demonstrauit Apostolus, quando ad Timotheum suum scripsit, O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas uocum nouitates, & oppositiones, falsi nominis scientiæ: quam quidã promittentes, circa fidem exciderũt.

Sed unde nosti Philippæ non fuisse olim imagines in Ecclesia? Meminisse certe non potes factorum illius temporis, qui nondum sexaginta compleueris annos. Legisti ne alicubi? Profer, edicito apud quem legeris. Fortassis in folijs Sibillinis. Homo blasphemia tumidus, quasi ex Apollinis tripode uaticinetur, quicquid mentiri libet, impudenter euomit. Quando enim non prætulit Ecclesia crucis Christi signum? Quando non extiterunt Christi, Mariæ, & apostolorum celebratissimæ imagines? De postrema & medijs ætatibus Ecclesiæ, tam compertum habetur ut nihil magis. Posset forsan quispiam de priori ætate dubitare, propterea quod defuerunt illis iusta templa & oratoria, quodq; grauissimis persequutionibus oppressi, non potuerũt res istas curare. Et quanq̃ hæc ita se habuerint, statuebantur tamẽ nihilominus imagines passim, quas alicubi diuina uirtus miraculis supra naturę uires illustrauit. Quo uero huius tibi fides fiat, operæpretium erit uerba de hoc Eusebij subijcere. Is Ecclesiast.

bisto-

hist.lib.vij.ita habet: Quia uobis huius (de Cæsarea Philippi loquitur) fecimus mentionem, iustum uidetur commemorare etiam illud in ea quod historia dignum duximus: Mulierem quam sanguinis profluuio laborantem, a Saluatore curatam euangelia tradiderint, huius urbis ciuem constat fuisse, domusq; eius in ea etiam nunc ostenditur. Pro foribus uero domus ipsius basis quædam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris ipsius uelut genibus prouolutę, palmasq; suppliciter tendentis imago ære uidetur expressa. Adstat uero alia, ęre nihilominus fusa statua, habitu uiri, stola comptæ circundati, & dexteram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statuę, e basi herba quędam noua specie nascitur. Quę cum exorta fuerit, excrescere usq; ad stolę illius ærei indumenti fimbriam solet. Quam cum summo uertice crescens herba contigerit, uires inde ad depellendos omnes morbos languoresq; conquirit, ita ut quęcunq; illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino uirium gerens, si anteq̃ ærę fimbrię summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinẽ uultus Iesu formatam tradebant, quę permãsit ad nostra usq; tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et nihil mirum si hi qui ex gentilibus crediderant, pro beneficijs quę a Saluatore fuerant consequuti, huiusmodi uelut munus uidebantur offerre, cum uideamus etiam nunc apostolorum Petri & Pauli, & ipsius Saluatoris imagines designari, tabulasq; depingi. Sed & antiquas ipsorum imagines a quibusdam conseruatas nos uidimus. Ita Eusebius. Audis hic Cęsariensem illum Eusebium, qui uixit persequutionis tempore sub Diocletiano & Maximiano, non recentes modo, sed & antiquas apostolorum & Christi imagines uidisse? Quid potuit autem ętate illa antiquũ uideri usque ad Apostolorum tempora? cum nondum a Diocletiano usque ad Neronem, quando Petrus & Paulus passi sunt intercessérint anni circiter 200, aut paulo plures. Saluatoris illam imaginem postea Iulianus apostata disiecit, cum esset idololatra, & suam in eius locum collocauit, quę cœlesti igne disiecta est, ut habet Cassiodoru., Tripartit. libro sexto, capite quadragesimo primo, autore Socrate.

Mirum uero quod ad Iuliani exemplum uolunt Melanthon &

Bucer Ecclesiam reformatam, & non potius ad priscam illam pietatem miraculorum testimonijs illustrem. An non est hoc manifestum iudicium, eos factos ex professo Christi hostes, qualis erat Iulianus, eodemq; tangi dolore, quo ille, cui dolebat Christum in imagine illa uenerari: quod si non opinabatur, quare hanc deiecit, cui non erant reliquæ inuisæ? Et istis quoq; dolet Christum in imagine coli ac uenerari. Porro si non placent deo imagines, unde hæc tam stupenda miracula? Poteftne aliquis dicere ludibrium fuisse dæmonum, quod Palestini, Phœnices, Cyri, Asiatici & finitimæ gentes tanta ueneratione admiratæ sunt, & puriore illo seculo Christi gloriæ adscripserunt? Sed & Christiani diffractæ per Iulianum imaginis particulas colligẽtes, rursus in Ecclesiam reposuerunt, ubi eas religiose asseruarunt.

Iuliani exemplo persequuntur hæretici sacras imagines.

Extat & magni Athanasij narratio de imagine saluatoris, quam Nicodemus ille qui uenerat ad Iesum nocte, ita ad uiuum Christum formauerat, ut figuram, & lineamenta corporis Christi perfecte exprimeret ac referret, quam & reliquerat Gamalieli, à quo ad Iacobum, Symeonem, & Zachæum episcopos Hierosolymitanos, aliosq; ex ordine Christianos peruenit, quousq; tandem negligentia cuiusdã Berytho transmigrantis, relicta in domo iuxta synagogam eius loci, unde hic emigrauerat, incidit in manus Iudæorum, quam illi contumelijs ijsdem quas Christus passus erat affectam, transfoderunt, unde sanguinis & aquæ riuuli haud secus profluxerunt, atq; ex uiuo corpore. Prolixa est nimium historia, alioqui & ipsam insererem.

Imago Christi per Nicodemum formata.

Constantinus magnus, templum Lateranẽ. in urbe Roma, ornauit præciosis imaginibus, in quibus erat imago saluatoris sedentis in sella ex argento, centum triginta librarum, imagines quoque xij. apostolorum, quorum singulæ appendebant nonaginta libras. Memoriæ item principis apostolorum Petri extruxit templum in Vaticano, quod similiter aureis, argenteisq; imaginibus eleganter & pie illustrauit. Idem fecit Hierosolymis, Capuę, & alibi in diuersis locis, sed nusquã magnificentius q̃ in Bizantio, quod oppidũ ualde auxit, & de suo nomine Constantinopolim nominauit. Narrat Rufinus Ecclesi. historiæ lib. xi. Alexandrinos ciues, dissecto ac in cineres cõminuto Serapi, ingẽti illo idolo per uniuersam urbem eius thoraces,

Imaginibus a Constantino Ecclesia ornata.

Serapis Aegyptiorum deus.

& insignia

& insignia abrasisse, ac pro ijs crucis imaginem in postibus domorum, in ianuis, in fenestris, parietibus & columnis depictam statuisse. Tanta sedulitate uolebant prisci illi Christicolæ triumphum Christi regnantis, non uerbis modo, sed & signis ubique locorum contestari.

Sufficere possunt hæc sola quæ recensuimus ad demonstrãdum quid prior illa Ecclesiæ ætas, de imaginibus senserit. Si quis tamẽ desiderat plura, Extat Concilium Nicænum, alterum illud trecentorũ quinquaginta episcoporum, sub Irene & Constantino filio imperatoribus, quod septimum locum inter magna illa Concilia meruit, uersum in Latinam linguam per Gisebertum Lõgolium medicum. (quem sane dolemus cum aliquot alijs nostris amicis, non indoctis, iusto tamen curiosioribus, primum nobis per aduersarios, deinde mortalibus omnibus, ineuitabili mortis lege ereptum. Resipiscentiã sperassem, & desideratum ad Ecclesiæ sinum eius reditum (id qđ de reliquis superstitibus nostris amicis, nobis pollicemur futurũ) si concessum fuisset illi per dei gratiã uitam aliquousq; adhuc pertrahere, cuius nunc istas tm̃ habemus exuuias reliquas) In hoc, inquã, Concilio, post accuratam & diligentẽ totius causæ examinationem, damnatur infamis illa Iconomachorum hæresis, quam tot annis modo sepultam, Melanthon, hoc est, atra tellus, rursus euomit. Recitantur quoq; in eodem Concilio orthodoxorum patrum, qui ipsum præcesserant, de imaginibus sentẽtiæ, tam copiose, tam pie & Christiane, ut merito debeant oẽs omniũ de imaginibus scrupulos deam putare, radicitusq; extirpare, modo non iniquo animo legantur. Ac tandem post multam deliberationem complexi sunt patres illi sanctissimi, summam Ecclesiasticæ definitionis de imaginibus, paucis quidem, sed grauissimis censuris, quas non inutile iudicaui huic loco addere.

Altera Synodus Nicæna 350. episcoporũ contra Iconomachos

Definitio sanctæ Synodi Nycenæ secundæ.


Ancta Synodus exclamauit, Omnes sic credimus, oẽs idem sapimus, omnes approbãtes subscripsimus. Hæc est fides apostolorum, hæc est fides patrum, hæc est fides orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirma-

uit. Credẽtes in unum deum, in trinitate laudatum, uenerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt, anathemate percelluntor, qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntor. Nos antiquæ ecclesię legislationi insistimus, nos decreta patrum custodimus, nos adijcientes aliquid, aut auferentes Ecclesiæ, Anathematizamus. Nos uenerandas imagines suscipimus, nos q secus faxint, Anathemate pcellimus.

1 Quicunque sententias sacræ scripturę de idolis contra uenerandas imagines adducunt. Anathema.

Anathemata contra iconomachos.

2 Qui uenerandas imagines idola appellant. Anathema.

3 Qui dicunt quod imagines Christiani faciunt, ut eas adorent, Anathema.

4 Qui scientes communicant cum illis qui contra uenerandas imagines sentiunt, aut eas dehonestant, Anathema.

5 Qui præter Christum dominum deum nostrum dixirit alium nos à cultu idolorum liberasse, Anathema.

6 Qui audent dicere Ecclesiam catholicam, idola aliquando suscepisse, Anathema.

Quod est hic anathema quod nõ inciderit Philippus? Et homo tot Anathematis obuinctus, tot notatus execrationibus, adhuc audet obstrepere ueritati? *Nondum,* inquit, *erant statuæ.* Tu nunc iudica Lector de hominis candore, & dilectione erga proximos, quos tam friuolis mẽdacijs, ac imposturis suis seducit atq; dementat. Cum non ignoret enim imagines fuisse, & ea quæ recitauimus, haud dubium legerit, tñ dicit, Nondum erant statuæ. Quãobrem mihi nõ uidetur ab anathematis illis excusari posse, Sed allegat Epiphanium. Quid habet aũt Epiphanius quod Philippo succurat? An negat fuisse imagines? Minime. Sed etiam Philippo teste fatetur eas fuisse. Si circuntulerunt eñ mulieres in Syria Epiphanij ætate imaginem beatæ uirginis Marię, oportuit eam extitisse. Tantum repræhendit improbum cultum, qui neq; nobis probatur. Nihil enim amplius, hoc dicto quod Philippus citat, efficitur. B. Epiphanius scripsit insigne opus contra octoginta hæreses, nullam tamen commemorat

Epiphanius non patrocinatur philippo.

illic

illic hæresim habentium imagines,uel uenerantium:quam si putabat esse hęresim,debuit utiq; ubi ex ꝓfesso contra oẽs hæreses agebatur,& hanc non pręterire intactam. Solum in hæresi Antidicomarianitarum circa finem ista refert, Audiuimus quosdam ita desipere, ut sanctam semper uirginem mariam ꝓ deo introducere studuerint,& adhuc studeant,& furore quodam ac amentia ducantur, narrant enim, quod quædam mulieres illic hanc uanitatem inuexerunt in Arabia, ut in nomen semper uirginis collyridem quandam sacrificent,& synaxim faciant seu simul congregentur,& in nomen sanctæ uirginis ultra modum quid tentent aggredi, nefario ac blasphemo negocio, & in nomen ipsius sacra celebrent per mulieres: quod totum impium est ac nefarium. Et hęresi sequente Collyridianorum ita ait: Quędam mulieres currum quendam siue sellam quadratam ornantes, expasso super ipsum linteo, in die quadam illustri anni, per aliquot dies panem proponunt & offerunt in nomen Mariæ. Omnes autem pane participant,uelut in epistola in Arabiam à me scripta ex parte disseruimus. Hos hæreticos appellat simulachrificos, & patet clare satis hæreticos istos ita uirginem adorasse sicut Christum, ita sacrificasse, ita synaxim instituisse, sicut sacramẽtum habemus cõmunionis corporis & sanguinis Christi. Lege pie lector B. uirum, & nõ reperies aliud quàm hunc prauum morem offerendi,ac sacrificandi taxari ab eodem,non aũt imagines,sicut fingit Philippus. Et quis nostrum est hodie,qui morem eiusce modi si uideret ꝓbaret,& nõ potius uesaniam illam execraretur? Nos enim collyridas,hoc est,liba,& cibos dicimus elargienda pauperibus,non pascendas imagines. Quanquam uero hac satisfactione retundatur impetus Philippi,ut nihil per Epyphanium effecerit,nolim tamen te fugere Lector, extare epistolam quandam nomine Epyphanij scriptam ad Iohãnem Hierosolymitanum, quã dicitur B. Hieronimus fecisse latinam,in qua scribitur,uelum quoddam humana depictum imagine in foribus ecclesiæ appensum lacerasse. Opinor imaginẽ fuisse dei, alioqui adscripsisset nomẽ cuius sancti fuisset imago. Nõ sustinuit eñi b. ille uir deum humana specie depingi ꝓpter hęresim Antropomorphitarũ,q credebãt deũ habere mẽbra sicut cęteri

Mater Christi pro deo culta apud Arabes.

Abusum taxat Epiphanius

Epistola Epiphanij contra imagines ꝓpter antropomorphitas.

homines, & uidebatur hæresis illa, quæ ea tempestate inualuerat, pictis imaginibus confirmari. Verum utcunque senserit uir ille de imaginibus, nunquã fuit hæc opinio Ecclesiæ probata, ut potes uidere Actione vi. Synodi Nycenæ secundę, ubi de B. Epyphanio ista recitantur: Beatus pater Epiphanius temporibus Arcadij & Theodosij floruit, à quo tempore usque ad hæresim Iconomachorũ, fluxerũt anni circiter quadringẽti, & tamẽ libros illos, quos aiũt Epiphanium contra imagines scripsisse, nemo Christianorũ, præter istos nouitatis magistros, recepit. Quod si tanto tempore in Ecclesia nõ sunt recepti, quamobrem nunc à nobis recipi debẽt? Nam quid adferũt quidã epistolã, uelut scriptam a B. Epiphanio Cypriorũ præsule ad Theodosium Imperatorẽ, nos eã in manibus sumentes, & diligenter & minime perfunctorie legẽtes, inuenimus circa finem epistolę eiuscemodi Emphasim: Sæpe cũ fratribus meis de imaginum ablatione egi, sed ab ijs non receptus sum, neque uel in paucis uocem meam audire sustinuerunt. Attendamus autem qui floruerũt per tempora supradicti patris nostri Epiphanij in Ecclesia, quos tanquam gloriosos doctores, & tuta munimenta Ecclesiæ dicere possumus. Profecto Basilius sermone & opere magnus, Gregorius cognomẽto Theologus, Gregorius Nyssensium episcopus, quem oẽs patrum patrẽ uocant, Iohannes item, cuius à lingua fluit uox melle dulcior, quamobrem & Chrysost. appellatiõnẽ meruit. Præter hos etiam Ambrosius, Amphilochius, Cyrillus Hierosolymorũ episcopus. Quod si is qui hanc expositionem dictorũ cõtra uenerãdas imagines ædidit, ait se à sanctis patribus, qui per ea tempora floruerunt nõ fuisse receptũ, quomodo ea quæ sancti patres non probauerũt, nos qui circa fines temporum & seculorũ occurrimus, quique uerbi & cognitiõis usu deficimur, & indigni sumus, ut discipuli illorũ uocemur, recipiemus? præsertim cũ falso cõtra Ecclesiã ædita sint. Apage cum ista impia & intolerabili æditiõe. A ratione deuiarũt, qui illam contra Ecclesiam inferunt. Nos autem Christicolæ, dictum illud Apostoli cogitemus. Traditiones quas accepimus, illas seruemus, & prophanas uaniloquentias recusemus, eaque oĩa falsa & efficta cognoscamus. Libri enim B. patris nostri Epiphanij, præcipue is qui dicit Ancoratus, & reliqui quoque per

Synodus secunda Nicænsis.

Epyphanius cõtra imagines non receptus.

uniuersum terrarũ orbem sunt famigerati, quod sonus eorum ita fit p oẽs Ecclesias paucis etiã temporibus sparsus, at q̃ cõtra sanctas imagines uerbula scripta sunt, eorum uix tres aut quatuor libelli p omnẽ Ecclesiã reperiunt, modo nõ sint nup æditi. Quod si autem essent legitimi in Catholica Ecclesia, quemadmodũ est Ancoratus B. Epiphanij, pfecto p oẽm Ecclesiam essent dispsi. Verũ ut nouicij & alieni falsiq; ab Ecclesia existimati sunt, nec unquam fuere recepti, quam ob causam neq; nunc etiam recipiendi sunt, quo pax dei, & quæ ab initio traditio existit in Ecclesijs conseruetur. Neq; hic linguas suas acuant & exerceant uaniloqui isti accusatores rectè sentientiũ, quasi illi qui antiquam Ecclesię traditionem recipiũt, beato Epiphanio aduersentur. Nequaq̃. Cõmentarium eñi illũ reijcimus: beatũ autem patrem Catholicæ Ecclesiæ doctorem agnoscimus. Nam & diuini patres, qui in quarta uniuersali Synodo fuerũt cõgregati, epistolam quæ nomine Ibæ episcopi Edessæ ad Marin Persam circumferebatur, anathemate damnarũt, quasi Nestorio cõsentientem: codẽ modo qui in sacra quinta synodo conuenerãt. ipsum autẽ Ibam nequaq̃. Non enim demonstrari poterat, quod esset Ibę. Quamobrem in anathematismis non ipsum Ibã deuouerunt, sed Ibæ epistolã. Dicebatur eñi Ibæ, cum tamẽ illius haudquaq̃ esset. Sic igitur ista falsa scripta contra uenerandas imagines, dicuntur quidem à quibusdã Epiphanij, non tamẽ sunt, ut demonstratum est. Nam & illius discipuli templum in Cypro, quod eiusdem patris nomine appellauerũt, ędificarunt, & cum multis alijs picturis, illius quoq; imaginem ibidem collocarunt. Quod si autem is tãtopere uenerandarum imaginum inspectionem fuisset execratus, quomodo in tantã audaciã illius discipuli erupissent, ut illi imaginem collocarent? Hucusq; uerba Concilij. Itaq; si fuit hæc Epiphanij opinio, hæsit apud ipsum solum, nec est in Ecclesiam transmissa. Fit tamen probabile, sicut patres in synodo retulerunt, eius non esse, cum nullam faciat ipsius mentionem in libris ubi argumentum istud tractat.

Synodus opinatur epistolas Epiphanij esse suppositias.

Reijcitur scriptum non scriptor.

Basilica B. Epyphanij in Cypro cum imaginibus.

Postq̃ Philippus sanctorum patrum authoritatẽ frustra infirmare & expugnare adortus est, respõsioni se accingit. *Quare* (inquit)

cum nobis antiqua exempla obijcitis, hoc respondemus, nos fideliter tueri consensum Catholicæ ecclesiæ, &cæt. Egregie uero, iactant se tueri cõsensum Catholicæ ecclesiæ, quem totis uiribus oppugnant: hoc ẽ eis tueri, quod oppugnare. Gloriantur de patribus, & ne unũ quidẽ ex omnibus habẽt, q pro ipsis faciat. Sed quorsum ita nugantur? Nõ pudet te dicere hoc tueri qđ infestas? Fatentur (quanquam ęgre) in prima illa ætate Ecclesiæ, sanctos inuocatos in media & nouissima ætatibus magno omniũ consensu, idem factum inficiari non possunt: ubi est ergo Catholica illa ecclesia quã tuentur? Apud inferos forte. Sed dicent uulgi fuisse errorem, prudẽtiores uero secum sensisse, nec se de hoc dubitare. Hoc uero falsum eẽ nos demonstrauimus. Aut da ullum seculum, quod tecum consentiat: nos damus patres qui sanctos inuocant. Tu da ullum qui prohibeat. Dissentis ab ætate priori, dissentis à media, dissentis & à postrema, quid restat amplius, nisi quod sole clarius est, uos nouas & inauditas sine scripturis, sine patrũ testimonijs cõfingere uobis opiniones, & uestra deliramenta speciosis uenditare titulis, iactare consensum Ecclesię, quem nullũ habetis, gloriari de probatis scriptoribus, cum à uobis omnes dissentiãt? Inniti uero fucato pharizaismo soli sophisticę, & eloquentiæ perniciosę, quas artes eximie calletis; ac uos easdem magna fraude exercere testatur innumerabilis hominũ turba in errorem misere seducta.

Heretici dissentiunt a patribus, quotquot ulla ætate fuerũt

Reliqua istius loci prætereo, aut sunt eñ cõfutata, aut talia q̃ non mereant longã respõsionẽ. Quale est q̃d dicit: Argumẽtũ nõ ualere. *Hæc facta sunt ætate patrũ, retineatur igitur mos præsens.* Hoc argumentum affuit nobis, facile uincit quod sibi componit, nec toto libello nostro tam mutilum reperiet. Est autẽ argumentum nostrũ istiusmodi: hæc facta recepta & pbata sunt ętate patrum, cõseruata p successores, maneant ergo nobis eadẽ integra. De abusu doceatur populus, ut abusus amputetur, non autem eliminetur pietas. At uos quid aliud agitis, q̃ si medicus imperitus & crudeli, hominẽ non incurabilẽ, quia sordidus est, interficiat, ubi & morbũ sanare, & sordes poterat eluere? Veterem de administratione sacramentorum

Heretici pietatis peremptores, non instauratores.

mentorum morem, de uera inuocatione, de sanctorum ueneratione, prorsus exibilatis & tollitis, non restituitis, nec reformatis.

Reuocat insup nos ad normã sicut Basilius ait, Lapis ad normam accõmodandus est, non norma ad lapidẽ inflectenda. Certe nos ex uita & moribus pſentibus nõ cõstituimus uiuendi normam, sed docemus ad normã à maioribus acceptã debere uitã cõponi. Hoc an uos quoq; faciatis, iudicet Lector: qui q̃tidie nouas subinde formas p̃ sensu uestro cuditis, & eas quas à maioribus accepimus, aut inflectitis, aut repudiatis. Normã uocamus non unũ aliquẽ scripturæ locũ, huc illuc flexibilẽ, sed totius scripturę consensum, unde ppetuus ille patrũ quoq; consensus, spiritu suggerente sancto prognatus est, per quem ut olim (ita & nũc) habet Ecclesia suos prophetas, apostolos, doctores & euangelistas, in uno sempſpiritu eadẽ cũ scripturis illis docẽtes. *Vera norma ad quam uita expendenda, quæ sit.*

Cæterum quis legat absq; risu triumphum quẽ agit de uniuersis scriptoribus. Videtur sibi iugulasse patres oẽs, adeoq; nos omnibus exuisse armis & telis. *Hæc* (inq̃t) *de ueterum scriptorum ætate uolo etiam ualere in reliquis &c.* Egregiam uero operã nauasti, non inuidemus tibi hanc laudem, digna est enim censura tua, quæ tantũ ualeat in posterioribus quantum in primis patribus mõstrauimus ualuisse, hoc est nihil. Hieronymum ob id quod acerrime tueatur uenerationem sanctorum, hæreticis inuisum, non citarunt Delecti in suo Iudicio, & cogitur nihilominus male audire. Philippus dicit eum cum Vigilantio de honoribus mortuorum litigasse. Pudẽda res est litigare. Sed cui sancti sunt mortui, cui imagines sunt statuæ, nõ mirũ eidẽ tã inuictũ pugilẽ, fortẽq; hęreticorũ expugnatorẽ, litigatorẽ uideri. Verum quę causa est ut Hieronymũ nobis obĳciat? An q̃a nõ facit mentionẽ inuocatiõis? Quid igit? aut q̃d hoc aduersum nos? An nobis obloquuntur etiã qui tacẽt? an quotq̃t inuocationis nullam faciunt mẽtionẽ eã prohibẽt? Nos expectamus ut eos nobis patres opponat, q uetent inuocare sanctos: quos non dabit, nisi sui ordinis hęreticos. Et tamẽ ne hoc quidem uerum est (quod ait) Hieronymũ nõ facere in ea disputatione inuocatiõis mentionẽ. Cõmemorat eñ sanctus ille pater, irrisiões, quibus Vigilãtius, petulãter *Hieronym. Melanthon dicit litigare contra Vigilantium.*

Rides de reliquijs martyrum, & cum authoribus huius hęreseos, Eunomio & Vigilantio, Ecclesijs Christi calumniam struis, nec tali societate terreris, ut eadem quæ illi contra Ecclesiam, contra nos loquaris.

Sed clamatis, aliquid populi infirmitati, & publicæ tranquillitati condonandum esse. Quantulum mali est dicitis, etiamsi pio errore uulgus inuocat mortuos, petit opem ad certas statuas. Semper uulgus aliquid habet ineptiarum. *Philippus Melan.*

Quis ita clamat Philippe? Artificiosa est, sed scelerata hæc figura, traducere nos, quasi impietati aduersariorum tacite consentiamus, ac dissimulemus ueritatem nobis agnitam propter publicam tranquillitatem, sanctorumq; inuocationem, non ex sententia aut serio probemus, sed existimemus inter reliquas uulgi ineptias tolerandam. Quis hanc noxam ferat? An non est insignis impostura, ita imponere simplicibus? Vestrum est Philippe alia credere, docere alia, populiq; moribus & uicijs in quæ proni delabuntur, sese accommodare, eaq; fouere. Non uero catholicorũ, quos non decet ea perfidia, ut aliud sentiant, aliud doceant. Hoc profecto scelus, clara & & aperta uoce purgandum nobis est, ne sinamus quenquam, ita de nobis opinari, atq; hoc pacto existimationem nostri lędi. Quapropter non pigebit de integro ac bona fide explicare, quid nos de sanctorum ueneratione & inuocatione, & credamus, & doceamus, quo etiam tanto facilius hæreticorum obiectiones dissoluantur, & habeatur inuocationis sanctorum si non præceptum, saltem ratio, quę ostendat multis modis eam utilem esse, alereq; ueram pietatem. *Ortodoxus.* *Heretici aliud credunt, aliud docent.*

Deus adorandus, sancti uero colendi, quanquam & in ipsis adoretur deus.



Olus Deus est, quem oporteat proprie adorare, Deuteronomio v. Exodi xx. Matthæi iiij. Est enim solus omnipotens, æternus, immensus, incompræhensibilis creator & gubernator rerum omnium, habens imperium uitæ & mortis, cui seruiunt cœlum & terra,

& omnia quæ in eis sunt, quod oportet nos cum dilectione & timore toto animi sensu per fidem agnoscere, cõfiteri uerbo, & opere prædicare, spemquè in ipsum oẽm locare, quod est eũ adorare. Verbo quidem, quia ore fit confessio ad salutem. Opere uero, quia sacrificijs & oblationibus tam cordis nostri quam corporis, atque insuper exteriori latria est honorandus. Dixi autem proprie, propterea, quod aliquando inueniuntur in scripturis sancti patres adorasse quosdam, inueniuntur etiam ab alijs adorati. Verum talis adoratio non fuit uera & propria, sed excellens quædam ueneratio, secundum externos gestus adorationi aliquatenus similis. Veram enĩ adorationem neque alijs impenderunt, neque ut sibi impenderetur permiserunt. Hanc enim gloriam suam Deus nemini communicat, Esaiæ quadragesimosecundo: Ego dominus, hoc est, nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudẽ meam sculptilibus, propterea Exodi uigesimo appellatur Zelotes, Deuteronomio quinto æmulator. Hinc angelus recusat adorari, Apocalip. decimonono, & uigesimosecundo. Et cecidi ante pedes eius, ut adorarẽ eum, & dicit mihi, uide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu, deum adora. Sic prohibuit Petrus se adorari, Actuum decimo, ubi Cornelium procidentem ad pedes eius, & uolentem adorare, protinus eleuauit dicens: Surge, & egoipse homo sum. Similiter Paulus & Barnabas sacrificari sibi prohibuerũt, quando gentilium turbę exclamabant, Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos & uocabant Barnabam Iouem, Paulum uero Mercurium, sacerdos quoq; Iouis ad ianuam accurrebat, uolens cum populis sacrificare, ipsisq; diuinis impendere honores, quod non ferentes apostoli conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes: Viri quid hæc facitis, & nos mortales sumus similis uobis homines, annunciantes uobis ab his uanis conuerti ad Deum uiuum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, quæ est uera adorationis species. Proinde neminem neq; angelorum, neq; sanctorũ, neq; aliam quamcunq; creaturam, quamuis sublimem & nobilem adoramus, hoc est, agnoscimus mẽte, aut testamur opere, habere in se numen & diuinitatem, neque ulli sacrificamus alteri, quam soli

Sancti non sunt adorãdi

Deo

Deo. Ita enim natura inditum nobis eſt, ut quem Deum credimus, eidem putemus & ſacrificandum, & cui ſacrificamus eundem teſtamur & Deum eſſe.

Reliquos ſeruitutis noſtræ honores & cultus Deo quidem debemus, cum primis & ſuper omnia, non autem ſoli. Quales ſunt diligere, uenerari, honorare, laudare, prædicare, timere, obedire, & his ſimilia. Talium enim uoluit creaturas quaſdam propter bonitatem ſuam fieri participes, ita tamē ut ipſe ſupremum in eis faſtigium obtineret, ac præcipue ſpectetur. Hinc DEVM diligimus & proximum, ſed non eodem modo. Diligimus enim Deum ſuper omnia propter ſe, proximum uero poſt Deum, & propter eundem, eſt autem diligere cultus quidā. Laudamus & ueneramur cultores dei, ſed propter DEVM, ipſum uero magis. Honoramus parentes, ſed ſecundum Deum, nec aliter eos colimus. Obedimus ſuis quiſque præpoſitis, Deum potius cogitantes quam ipſos, qui præpoſuit illos ſuper capita noſtra. Recipimus Apoſtolos propter illum, qui miſit eos. Qui accipit enim (ait CHRISTVS) ſi quem miſero, me accipit, quæ omnia ſunt cultus quidam. Huius generis eſt & ueneratio ſanctorum. Quod enim colimus, quod tantopere ueneramur ſanctos, in cuius gratiam facimus, ullius ne creaturæ? aut quia per ſeipſos uiſi ſunt nobis hoc honore digni? quieſcimus ne in ſanctis, & ponimus carnem brachium noſtrum? Minime. Et ſi enim uitæ ſanctitate, multiſque alijs uirtutibus beati illi homines fuerint in uita & in morte ſpectabiles, nos tamen profitemur hæc omnia à DEO eſſe profecta, eius dona, & ad ipſum rurſus referenda. Itaque ueneramur in ſanctis, ſanctum illum ſanctorum, in quem omnis honor redundat, ueneramur ſeruum propter dominum, filium propter patrem, dilectum propter diligentem, ſanctum propter eum qui ſanctificat. Propter iſtiuſmodi uenerationem nihil expectantes à ſanctificato, quod reddat nobis de ſuo, quem ſcimus nihil habere quod nō acceperit, ſed dominus eſt, qui hæc libenter aſpicit & remunerat, cuius eſt iſta uoluntas, imo qui procurat in nobis, ut ſuos electos tali honore afficiamus.

Sancti uene ratione colen di.

Deū ueneramur & colimus in ſctis.

Hæc eſt enim exigua quædam pars præmij, quo ipſos deus honorat, ſecundum illud: Qui me honorificauerit, honorificabit eum pater meus, non tantum in cœlis (quanquam ibi præcipue) ſed etiam in terris, ita uidelicet, quia excitat creaturas in laudes ſanctorum, in quibus ipſe refulget, unde tantum concipiunt ſancti uoluptatis & gaudij, quantum deus inde honoratur. Nō amant enim, niſi in ipſo uenerari & coli, quod poſtea latius dicetur. Ille ergo author eſt, nos miniſtri, ille inſpirat, ille dirigit, & promouet noſtras actiones, ille ducit, nos ducentem uolentes ſequimur, ille inuitat per diuinæ potentiæ miracula manifeſtius quàm ſi uoce loquatur, nos obtemperamus, illud animo uerſantes, certe debet honorari, quem rex regum uult eſſe honoratum, ut conſequens ſit, à patre cœleſti diſſentire illum qui ſanctis negauerit ſuam uenerationem. Proinde ſanctos poſtquam ex hac mortali uita ad immortalem illam tranſmigrauerint proſequimur non laude ſola & præconijs, uerumetiam honoribus, agimus memorias, anniuerſarias, oſculamur & colimus ſacroſanctas eorum reliquias, auro, argento, margaritis, & purpura includimus, Baſilicas & martyria, in quibus CHRISTVS adoratur & colitur, eorū nominibus denominamus, imagines quoque, quibus repreſententur ſtatuimus: ab adoratione tamen & ſacrificijs, ut quæ ſoli DEO debeantur, prorſus abſtinemus.

In primitiua Eccleſia ſcti in maxima ueneratione habiti.

Neque hic mos ita nuperus eſt, quin calente adhuc ſanguine martyrum inter medias cædes olim in primitiua Eccleſia, nihil horum Chriſtiana pietas negligebat. Non hic referam quæ ad huius confirmationem conſcripſit ſacer ille Hieronymus, litigans (ut Philippus uult) aduerſus Vigilantium. En tibi Polycarpum illum Iohannis apoſtoli diſcipulum, cuius corpus ne coleretur a noſtris, perſequutores poſt glorioſum martyris agonem, rogo ut in cineres redigeretur impoſuerunt, inuidia honoris in mortuum corpus, contra leges & mores gentium ſæuiciam exercentes. Non tamen neque Iudæorum obſeruatio, neque perſequutorum immanitas noſtros potuit deterrere, quo minus ambuſta oſſa, precioſiſſimis gemmis cariora, & omni auro probatiora per ignem facta, ſibi colligerent: ſicut teſtatur Smyrnæorum Eccleſia, cu-

ius ea de re extat epistola apud Eusebium, Ecclesiasticæ historiæ libro quarto. Diocletianus quoq; Augustus, corpora sanctorum martyrum Dorothæi, Petri, & Gorgonij, cum eius cubicularij fuissent, eaq; de causa humanitate aliqua uiderentur dignandi, effodit tamen & proiecit in mare, uidelicet ne per Christianos colerentur. Dicens (ut est apud Eusebium) ne forte dij efficiantur Christianorum, & illi qui deos nostros adorare nolunt, seruos nostros incipiant adorare. Non potuit Cæsar ille talem de Christianis opinionem ex leui causa concipere, ut uereretur occisos à Christianis adorandos. Ex quo satis apparet, tam immodice, tantoq; studio olim in Ecclesia beatorum martyrum cineres & ossa culta fuisse, ut ambitiosi illi & gloriosi tyranni, uel hinc ad inuidiam cōmouerentur. Meminit Tripartita histo. ornatissimæ basilicæ S. Thomæ in Edessa. meminit item basilicæ sanctorum Apostolorum, quā Byzantij Constantinus edificauit. Extant ad nostram usq; ætatem adhuc plurimorum sanctorum per eundem toto Romano imperio constructæ ecclesiæ. Verum quid hic peregrina cōmemoro? nondum trigesimus annus ab agone Sanctorū Gereonis, Victoris, Cassij, sociorumq; sacratissimę illius Thebęorum legionis martyrū decurrerat, quando eorum memorię Helena Augusta, hic apud Coloniam Agrippinēs. Bonnæ item, & apud Vetera, basilicas regali ambitione cōstruxit, in tanta ueneratione olim habitas, ut cum irrumpentes Barbari Vetera excidissent, soloq; æquassent, à sanctorum basilica, maiestatis & religionis ergo abstinuerint: ubi postea conditū oppidum ab extante templo sanctorum, obtinuit nomen ad Sanctos, quod Batauí sua lingua Tsancten appellant. Quo magis dolendum, quod in Bonnensem basilicam, hac nostra tēpestate, fraudulentus serpens irrepsit, ubi nunc pro Christi laudibus uox personat hæretica, ubi pro pietate, suadetur barbara impietas, ubi in Ecclesia, cōtra Ecclesiam per hæreticos sæuitur, ubi ab Ecclesia alieni & præcisi aduersus ipsam declamant, ubi dęmonium illud meridianum libere grassatur, ac patrum instituta tanquam inutilia pro libidine cōuellit, ubi præsentibus angelis dei, sanctis martyribus inibi conditis, in sua, in propria domo, in spe resurrectionis quiescentibus, à prophanis & impijs hæreticis insultat.

Tam immodice colebantur ut adorari crederentur sancti.

Basilicæ Thebeorum martyrum, Coloniæ. Bonnæ & Sanctis à Helena constructa.

Vnde Vetera mutato nomine uocentur Tsancten

Et hanc tam miserandam deuastationem uocant euãgelij puriorem doctrinam, Non hoc,hoc ualueras Imperatorũ gloriosissime, pijssimeq; Constantine,nõ hoc Helena sperauerat unquam futurum,ut scilicet,non honorarentur,non inuocarentũ Sancti martyres,ubi tam amplum orationis locum construxeras. Sed cesso plorare presentem calamitatem, ex qua fructum meliorem non despero , propter uerbum illud dei. Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti

1. Cor .11. fiant in uobis. Nunc mihi sat erit ueterum pietatem erga Sanctos pauci, ostendisse,quo calumniatores isti Hagiomastiges, maiorũ nostrorum uirtutem uideant,intabescantque uidendo:id quod & Iuliano apostatæ illi usuuenit,qui inuidentia commotus,solebat hæc pietatis studia Christianis per conuicium exprobrare.Quapropter ędi

Veneratio-nem sanctorũ Iulianus ex-pbrauit Christianis.

tis aduersus religionem nostram libris,inter cætera (ut refert Cyrillus)temporis illius Christianos,hisce uerbis incessit & accusat:Quod sanctos colentes , colerent multos homines miseros, usos lege dura quadam & aspera,agrestemq; Barbariem spirante, Quod item colerent,pingerent,adorarent, complecterenturq; & ornarent recens mortuorum sepulchra cõtra præceptum illud Christi,quod discipulo præcanti,Domine permitte mihi ut primum abeam & sepeliam

Matthei.8. patrem meum,dedit(inquiens) sequere me,& sine mortuo sepelire mortuos suos . Rogat quoq; nos Iulianus.Si Iesus uester dicit sepul-

Matth.23. chra esse plena immunditia,quõ uos apud illa consistentes inuocatis deum? Oro te Lector,quantulum distat apostatarum nostri temporis pfidia,à blasphemia Iuliani? aut quid isti dicunt ab illo diuersum?

Porro quos hucusq; recensui sanctorum honores , eos ceu debitum quoddam uel pensum exoluimus, non tam ipsis sanctis, quàm

Deũ adorãt,q sanctos legitime Venerantur.

sancto sanctorũ,neq; tam creaturæ,quàm creatori & artifici potius quàm operi,cuius bonitatẽ,uirtutem, potẽtiam atq; maiestatẽ, cum oporteat in oibus operibus eius laudare & prædicare , illic tamẽ ubi hæc magis elucent , ubi bonitas, uirtus & potentia maior apparet, laus & ueneratio æquum est ut maior reddatur. Apparet enim ille in magnis admirandus & magnus, in maioribus maior, in maximis uero ter maximus ,& incomprehensibiliter gloriosus.

Igitur honores isti non conquiescunt in sanctis, sed pertranseunt ipsos quodammodo, & in deum referuntur, cui debemus gratiarum actionem pro suis beneficijs, quae gratuito sanctis suis, quos uoluit donorum suorum esse uelut sacraria quaedam, impendit, atque in hoc fine quiescit tandem omnis iste honor, qui sanctis uidetur exhiberi. Si recte dijudicamus, quatenus honor contingit sanctos quibus impenditur, ueneratio est eius quem deus amat: quatenus uero refertur in deum, cultus est dei, & quaedam latria, soli deo conueniens, cui cupimus gratificari, obsequiumque nostrum & seruitutem absque ulla cogitatione ulteriori dedicare, ut impleatur illud: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Itaque laudare & praedicare sanctorum uirtutes, pdest ad ea etiã q̃ memorant aduersarij, ad confirmationẽ scilicet fidei, cui perhibent testimonium, & ad imitationis exemplum, quo prouocemur reliqui ad eorum fidem & sanctimoniam imitandam. Valet quoque ad alia non postremo loco habenda, nimirum ut meritis eorum consociemur, & orationibus adiuuemur (quod statim dicturi sumus) sed praecipue ad magnificandum & praedicandũ, sicut iam dictum est, sanctum sanctorum, cui est laus, honor & gloria, ab omni creatura, per infinita secula, Amen.

Quid a Sanctis quos ueneramur sperare liceat.




NVnc ad ea progredimur, quae nobis uicissim a Sanctis impenduntur. Obsecro autem te Lector, cuiuscunque tandem sis fidei, utere paulisper Christiana modestia in hac lectura, & ne uelis statim (qui plerisque mos est) exsufflare quae dicuntur, nisi iusta trutina, & cum timore dei, ea tecum prius expenderis. Quod asserimus enim, hoc semper credidit Ecclesia Dei, docuerunt patres, confirmauit deus infinitis miraculis, persuadet ratio uerbo dei consentanea: nempe Sanctos qui posito mortali corpore, fruũtur Deo in aeterna beatitudine, diligere nos in ipso deo, dilectionisque officia quibus possunt modis apud deũ erga nos exercere. Sunt aũt dilectionis officia, bene pcari, & orare p amicis, ut promoueanẽ in his q̃ ptinẽt ad eoꝶ salutẽ, atque ubi salutis suae neglĩgẽtiores peccauerint, intercedere p eis ad obtinendã ueniã &

misericordiam

misericordiã, patrocinari quoq; eisdem in aduersis, custodire in periculis, ab insidiatoribus, ab hęresi, ab hostibus inuisibilibus potissimum: faciunt hæc utiq; sancti, & quos magis diligunt, pluribus officijs prosequuntur. Non quod hęc suis uiribus præstent ulli, sed quia

Vnde sancti uocentur auxiliatores. hæc ut consequamur, uel impetrant à deo, uel accepta à deo potestate in miseros conferunt: idcirco dicuntur modo quodam nobis ea conferre, & appellantur patroni, opitulatores, custodes, suffragatores, intercessores, & mediatores pro nobis apud deum: quę omnia ex illorum erga nos charitate proficiscuntur. Qua concessa, ponitur quoq; oratio: concessa oratione sequuntur beneficia reliqua. De charitate igitur primum, mox de oratione, & consequentibus eam danda est nobis ratio, & luculenta ex sanctis patribus explicatio. Non enim causam nostram in hoc argumento tuemur, quasi nos ista primũ in Ecclesiam inuexerimus, sed tradita & à maioribus nostris accepta in Ecclesia, fideliter propugnamus.

Quod sancti diligant fideles in terris existentes.



INitio igitur constat, quod quisquis diligit deum, & eos quoq; diligit, quos amat deus, qui sumus nos. Diligunt igitur nos sancti, nisi putas sanctos deum non diligere, uel ab eo dissentire. Rursum, qui diligit deũ mandata eius obseruat, hoc est autem mandatum eius ut diligamus inuicem, sicut ipse dilexit nos. Attẽde sicut ipse, cuius nõ moritur charitas. Nec est quod de præcepto quispiã cauilletur, quasi præcepta pertineant ad hanc uitã non ad futuram: quod in cęteris quidem uerum est, non autem de præcepto charitatis. Illud enim in terris non impletur: sed ubi debet consummari, quod fuerit in terris inchoatum, nempe in cœlo, sicut B. Augustinus testatur.

Iohan. 14.

Charitatis præceptũ in cœlo impletur, fide & spe transeũte.

Hic iussi sunt diligere deum, & proximum propter deum: sed inceperunt, non impleuerunt. In patria igitur diligunt deum perfecte, & proximum quoq; propter eundem deum, qui absq; proximo non diligitur. Roma. xiij. Qui diligit proximum, legem impleuit. Plenitudo ergo legis, est dilectio. Hic data sunt reliqua præcepta, propter

1. Timoth. 1.

charitatem

charitatem: finis enim præcepti est charitas de corde puro & consci entia bona. Obtēta itaq; charitate, euanescunt reliqua præcepta, ipsa uero manet: si manet autem, apud quem manet nisi apud sanctos? & ubi nisi in cœlis? Hęc procedit, ut inquit Apostolus, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes con uersi sunt in uaniloquiū, uolētes esse legis doctores, nō intelligētes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Vbi igitur cor purū fuerit, & conscientia bona, ac fides non ficta, ibi erit & charitas ista, atqui in terris habent hæc sua quædā initia, consummationē uero in cœlo. Consummatur enim illic cor purum & consciētia bona, fides uero in claram uisionem conuertitur, ut non sit amplius in ænigmate, sed facie ad faciem. Proinde consummabitur ibidem & charitas, quæ sine perfectione istorum non habetur perfecta. Si quibus ista non probantur, si quibus desipiunt, sciant se mundi huius sapien tia dementatos & ebrios, non capere ea quæ sunt dei & regni ipsius, audiantque apostolum Paulum dicentem, ab his aberrantes, con uerti in uaniloquium, & non intelligere, neq; quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Non est enim rebus ipsis, sed nec scripturis diuinis consentaneum, sanctos cum corpore simul deponere præstantissimam illam charitatis uirtutem, qua Deum & proximum, qua caput & membra, qua patrem & confratres consueuerunt in terris diligere. Sic enim ait Apostolus: Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur, charitas uero nunquam excidit. Memorabile est dictum illud & notandum (Nunquam excidit). Excideret autē, si per mortem extingueretur. Quæ est enim alia fidei & spei nostræ euacuatio, nisi per mortem? qua fidei succedet uisio, spei appræhensio, ut & credendi, & sperandi nullum sit amplius officium, ubi datur diu speratis frui, & quæ fide cre dita sunt, coram uidere. Charitati uero nihil succedit nisi charitas, quæ officio suo non despoliatur, quin potius quæ fuerat hic inchoata, ibi perficitur. Sed inquies, legem carnis deposuerunt sancti, secundum quam erāt proximi nostri, fratres & mēbra nostra, deniq; longo distant à nobis interuallo, ut non possint transmigrare huc

1. Timot. 1.

Quō diligāt sāti uiuentes

1. Corint. 13

Officium cre dendi & sperādi in cœlis nullū, sed reti net dilectio suū officium.

ad nos, aut nos pertingere ad illos. Verum licet absentes uideantur à nobis, magnoque distare spaciorum interuallo, hoc tamen charitatem non interfecat. Dilectio præsentiam non requirit, cui sufficit oculus cordis. Paulus absens corpore, cum ageret in Epheso, spiritu præsens erat Ecclesiæ Corinthiorum, & tanquam præsens iudicauit tradere magnum illum fornicatorem sathanæ. Præsens erat & in Ecclesia Colossensium, gaudens & uidens ordinem eorum.

Charitas nō requirit præsentiam.
1. Corint. 5
Colossen. 2

Absit autem, ut nos qui censemur & sumus Christiani de carne metiamur fratres, proximos & membra nostra: faciant hoc Iudæi, faciant hæretici & Ethnici. Nos de fide & religionis obseruantia proximos, de patre cœlesti fratres, de capite membra definimus. Ita dominus in Euangelio, Qui sunt fratres mei, aut quæ est mater mea? & circunspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant ait: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit uoluntatem DEI, hic frater meus, soror mea & mater est. Quid est igitur in sanctis & in nobis, quod nos adhuc discriminet? quod religionis uinculo coniunctos, hactenus alienet, ut uideri possint, non esse amplius proximi nostri fratres & membra? Si unum habemus patrem, si matrem unam cœlestem Hierusalem, Cur non simus confratres? Si caput unum, & corpus unum, cur non eiusdem corporis membra? CHRISTVS non habet corpora duo, neque aliud nobis est caput, & aliud sanctis, aut aliud corpus illis, aliud nobis. Dedit enim illum pater esse caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimplet.

Quo sumus proximi, fratres, & membra sctōrum.
Matth. 12.

Sed illi sunt, inquies, in melius commutati, nos hæremus & languemus in terris. Bene prorsus. hoc acceperunt quod quærimus, præcesserunt, nos per eadem uestigia sequimur. An ideo sumus ab illis alieni, & non proximi? non fratres? An quia nos peregrinamur, & ad patriam contendimus, quo illi iam peruenerunt, ideo non sumus illorum conciues? Aut quia currimus, quia certamus, quia nondum coronam accepimus, illi uero præcucurrerunt, uicerunt.

Ephesi. 1.

runt, sunt coronati, idcirco non sumus eiusdem exercitus milites? Si autem (quod est uerissimum) sumus fratres, proximi, & unius corporis membra, sunt utique sancti secundum legem corporis mystici, quàm habet Apostolus, de nobis soliciti. Debent enim membra pro se inuicem esse sollicita. Et quid ni? cum diues epulo damnatus apud inferos, fuerit pro fratribus, quos reliquerat in terris solicitus. An ualidiori dilectione prosequuntur mali malos, quā boni bonos? aut concessum est aliquid malis, quod bonis & sanctis nō conceditur? Et ne parum uideatur uirium huic rei persuadendæ adferre, parabola euangelica (si tamen est parabola). Vide quis hunc affectum attribuat homini damnato. Num homo quispiam, qui possit & uelit nos fallere? Non. Sed CHRISTVS qui non fallit. Siue itaque historia sit, siue parabola illa de Epulone, nihil me moratur, cui sufficit ad doctrinam quod hunc affectum CHRISTVS damnato homini attribuit. Vnde apparet tales affectus, non esse à damnatis alienos, aut insuetos. Christus enim non ex incredibilibus, aut rebus moribus hominum non consentaneis, ac parum congruentibus, sed ex his quæ sibi persuadent homines, ita accidere solere & posse, formauit parabolas, quo tanto commodius sua doctrina ab omnibus exciperetur. Quanquam sanctorum patrum pars melior affirmet nobis historiam esse non parabolam.

Sctī pro nobis soliciti. *1. Corint. 12* *Luce 16.*

Secundum eandem corporis legem compatiuntur sancti infirmitatibus nostris: quod non debet absurdum uideri de sanctis, cum de CHRISTO scriptum sit: Habemus pontificem, qui nouit compati infirmitatibus nostris. Et si bene habet membrum unum, congaudent membra reliqua, & si quid patitur membrum unum, compatiuntur omnia membra. Cur enim hoc absurdum de sanctis uideatur, cum testetur nobis CHRISTVS, angelos in cœlis gaudere super unoquoque peccatore pœnitentiam agente? Si faciunt hoc quorum est conditio à nostra aliena, quid censendum de fratribus?

Sancti cōpatiūtur malis nostris. *Hebræor. 4.* *1. Corint. 12.* *Luce 15.*

Opinetur forsan aliquis, sanctorũ animas propter cœlestium illorum & ineffabilium atq; incomprehensibilium gaudiorum affluentiam, ita totas occupari, immergi & absorberi, ut non supersit cogitationi rerum nostrarum locus eis reliquus, & hoc accidere sanctis quod solet uoluptuarijs, quibus sensus & animus absorbentur, opprimunturq;, ut non admittãt se interpellari, nec sint de alijs soliciti. Sed horum ut est rustica & cœlestium rerum prorsus ignara opinio, ita Mahumeticum quiddam ac Iudaicum sapit. Illa enim gaudia non obliuionem mentis inducunt, sed excitationem: non stuporem, sed acrimoniam: non extinguunt prioris charitatis scintillas, sed inflammãt: uisio dei nõ excæcat, sed illuminat: nõ retrahit cogitationem à proximo, sed compagem totius magni corporis cõsolidat: ut quærant & agant sancti, quo ea gaudia amplietur magis, & fratribus quoq; fiant cõmunia. Cuius exemplum quoddã habemus in angelis bonis, qui dantur nobis in ministerium, quod diligenter quidẽ exequunt, non tamen ob id fraudantur suis interim gaudijs, dicente Christo: Dico uobis, quod angeli eorum (nimirũ paruulorum) in cœlis semp uident faciem patris mei qui in cœlis est. Quod semp fit, nõ habet remissionem. Sed quid de gaudijs dico? ne pœnæ quidem aut cruciatus quos sustinẽt damnati, auferũt cogitationes & curas, de amicis quos habuerunt in terris, durant enĩ in eis amores & odia, ut patet in epulone, magis autem in diabolo, qui cum sit æternis ignibus destinatus, nõ tamẽ cessat hominibus insidiari, persequi eos & infestari. Hoc tamen interest, q̃d damnati in omni affectione & cura perturbantur & affliguntur, beatorum uero sollicitudo, consolationem & gaudium habet, absq; omni perturbatione, quia charitas ẽ dei. Congaudent itaq; beati, & cõpatiuntur nobis: sed quemadmodum Christus, in quem nulla potest incidere perturbatio.

Cura nostri non perturbat sanctos, nec gaudium eorũ minuit.

Matth. 18.

Possem allegare huc sanctorum patrum dicta plurima, sed decreui à superfluis abstinere. Lectori pio erga deum & sanctos bene affecto, de charitate sanctorum in nos persuasum esse non dubitans: impios nihil moror. & tamen si qui confidunt se posse contradicere, nõ grauabor ubi res poposcerit adiuuante gratia dei, pro asserenda ca-

tholicæ fidei ueritate, pluribus & quæ diximus statuere, & aduersariorum refellere impugnationes.

Quomodo sancti in cœlis orent pro nobis.



Oncessa dilectione iam opinor de oratione non restare quæstionem. Quid ē enim diligere beatos, & eiusdē gaudij aut forsan maioris participes, nisi congratulari eis, fœlicitatem quam sunt adepti? Quid diligere laborantes, proximos, peregrinantes, & nunc eo quo ipsi euaserunt anhelantes, nisi præcari talibus optima quæq;, potissimum uero quæ promoueant eorum salutem, quo tanto facilius ad optatum portū perueniāt. Si quid aliud sit diligere peregrinantes & anhelantes ad patriā cœlestem, qui nouit dicat: ego hanc ueram in scripturis & patribus inuenio proximi dilectionem. At istiusmodi diligere, quid ē aliud q̃ orare? Enimuero sancti quibus cognitum est, unde omne bonū defluat, quando bene præcantur cuipiam, non profecto, nō aliunde hoc ut fiat, exoptāt, q̃ à bonorum omnium fonte deo. Nec in alium q̃ in hunc ipsum respiciunt. an non est hoc satis orare? Igitur si diligunt, orant. Si autem non orant, iam neq; diligunt. Si nō diligunt, à deo, à capite Christo, & à spiritu mystici illius corporis dissentiūt, & tam nō sunt sancti, q̃ nec orantes. Necesse est igitur fateri ipsos orare, si fatemur diligere. *Dilectio facit orare pro nobis.*

Age autem, construamus ista, & patrum orthodoxorum fulcris. Noui aduersariorum consueta suffugia: quando nō habent quod respondeant, uociferantur, Sophistę, Sophistę, cum præter sophisticā nihil omnino ipsi exerceant. An & patres insimulabūt sophistice? Quæcūq; enim diximus, à patribus sunt, sicuti hic uidebis. In primā igitur aciem statuimus inuictum illum Agonothetam & gloriosum martyrem Cyprianū: is epistola prima libri prioris ad Cornelium, & ipsum martyrem, Ecclesiæq; Catholicæ supremum episcopum, ita scribit: Memores nostri inuicem simus, concordes atq; unanimes, utrobiq; semper pro nobis oremus, pressuras & angustias, mutua charitate releuemus. Et si q̃s hinc prior nostra diuinæ dignatiōis celeritate præcesserit, perseueret apud deū nostra dilectio, pro *Cyprianus.*

pp iij *fratribus*

fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris, non cesset oratio. O dignam pontifice sanctissimam uocem, & diligere, & oratione tueri gregem pollicetur, post completum agonem, atq; idem alter ut facere uelit hortatur. Credit quod diximus morte non extingui curas, quas charitas imponit, tam feruens erat eius dilectio, uiuus præsumit quod facere post mortem disponat, & exigit quod optet ut faciat alter.

Potamiena. Non minori fiducia, sancta uirgo & martyr Potamiena rapta ad martyrium, pollicita est Carnifici cum ipsam ab iniuria lenonum, & irrumpentium adolescentulorum defendisset (uidelicet ne careret humanitatis officium præmio) oratione sua apud deum tantum beneficium cōpensare. Memorabilis est historia, & digna quam multi legant, idcirco ex Eusebio, q̃ de ea Ecclesiast. hist. lib. vi. ille cōmemorat interseram. In nostram usq; memoriam (inquit) ab incolis Alexandriæ perennis uirtutum Potamienæ fama celebratur, quod im- *Promissio Potamienæ.* mensos & innumeros agones, primo pro uirginitate & pudicitia desudauerit. Deinde etiam pro martyrio exquisita atq; inaudita tormenta pertulerit, atque ad ultimum una cū uenerabili matre Marcella ignis supplicijs consummata est. Cum Basilides (hoc erat carnifici nomen) susceptam eam duceret ad supplicium, ac multitudo impudicorum pariter & impiorum, Potamienæ conaretur illudere, Basilides abigere impudentius irruentes, ac deturbare cœpit, humanitatis & miserationis obtentu. At illa religiosum uiri uotum erga se, & propositū humanitatis amplexa: Certus esto (inquit) quod cum abiero ad dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Post hæc autem promissa, constanter suscepit statuta supplicia picis calidæ paulatim per artus ac membra diffusę, & hoc modo beata uirgo é terris migrauit ad cœlum. Non multis autē post diebus Basilides cum inter collegas suos ob causam quandam iuramentum posceretur, ait, Sibi non licere per Deos iurare, eo quod Christianus esset: ioco æstimatus est primo dicere, tum deinde cum constantius affirmaret, pertrahitur ad tribunal, ubi cum perseue-

rasset in confessione, uinculis traditur: uisitantibus autem eum nostris, & causam subitæ permutationis inquirentibus, respondit, quomodo Potamiena post diem tertium martyrij sui, noctu assistens, coronam capiti suo imposuerit, dicens, deprecatam se pro ipso dominum, & impetrasse ut mercedem martyris consequatur &c.

Prudentius quoque in agone Romani martyris commemorat nobis scitu dignam historiam. Cum enim Romanus multa de uero deo aduersus tyrannum disseruisset, & ad iudicem incorruptum prouocasset, nec tyrannus detrectaret, euocauit statim tyrannus e turba, qui tum aderat innocentem paruulum, quem credebat de Christianis pueriliter sentire, atque hinc iubet Romanum sciscitari. Quiduis rogat

Inquit, sequamur quod probarit pusio.
Romanus ardens experiri innoxiam
Lactantis oris indolem, filiole ait
Dic quid uidetur esse uerum, & congruens,
Vnum ne Christum colere, & in Christo patrem,
An comprecari mille formarum deos?
Arrisit infans nec moratus retulit:
Est quicquid illud quod ferunt homines deum
Vnum esse oportet, quod uni est unicum:
Quum Christus hoc sit, Christus est uerus deus,
Genera deorum multa nec pueri putant.
Stupuit tyrannus sub pudore fluctuans,
Quis author (inquit) uocis est huius tibi?
Respondit ille, mater, & matri Deus.
Puerum poposcit carnifex, mater dedit.
Nec immorata est fletibus, tantum osculum
Impressit unum, uale ait, dulcissime.
Et cum beatus regna Christi intraueris
Memento matris, iam patrone ex filio

Matris petitio ad filium martyrem.

Iam & Origenem audiamus, qui inter martyres natus & educatus (patrem enim habuit Leonydam martyrem) doceat nos *Origenes.*

etinis rubricatis differens, ita ait: Significātur his etiam martyres sancti, quorum orationibus propitiatur deus peccatis populi sui. In expositione quoq; euangelij secundum Iohannem tracta. lxxxiiij. dicit: Ideo ad mensam domini non sic martyres commemoramus quēadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiā pro eis oremus, sed magis, ut orent ipsi pro nobis, ut eorum uestigijs adhæreamus, quia impleuerunt ipsi charitatem, qua dominus dixit, Non posse esse maiorem.

Tales tantiq; Ecclesiæ doctores ac martyres illi, qui pro Christo in hac fide sanguinem suum fuderunt, satis demonstrant, nunquam fuisse in Ecclesia de hoc quod modo asseruimus dubitatum. Semper enim crediderūt fideles Christiani manere in sanctis dilectionē post mortem, eosq; orare pro nostra salute apud deū, nobis etiam ignorantibus uel dormientibus. Proinde non dubitarunt ipsis attribuere defensionem & custodiam nostri, patrocinium quoq; & intercessionem ac mediationem pro nobis, sanctosq; ipsos appellare patronos, defensores, tutores, custodes, legatos, intercessores, aduocatos, ac mediatores nostros: quę nomina etiam sanctis ueteris Ecclesiæ patribus sunt usitata. Non ita quidem quasi per se ipsos & suapte uirtute quicquam talium præter deum sancti ualeāt efficere, sed quia sciebant sanctorum præces & uota apud Deum nunquam esse irrita, & quicqd nobis pręcari uoluerint, hoc statim eos impetrare. Sciebant etiam posse deum dare sanctis suis gratiam curationis, qua homines ad dei gloriam iuuarēt. Est enim gratia curationum singulare quoddam dei donum, quo nō omnes, sed quos uoluerit facit de-us illustres. Hinc Apostolus pri. Corinth. xij. Nunquid omnes gratiam habent curationum? Quis autem concludat dei potestatē sub mensura, ut nequeat gratiam hanc quam uiuentibus in seculo impertit, cōcedere etiam defunctis ac secum regnantibus? Proinde appellationibus istis, nihil deo uolebant derogatum, in cuius solius potestate sciebant utiq; nostram defensionem custodiamq; sitam. sicut & intercessionem, ac mediationem Christo in primis competere: sanctis uero longe infra Christum, & aliter multo. Dei enim est dare, sanctorum impetrare. Christi est expiare & sanctificare, quod

Christo non derogat mediationis officium qui inuocat sanctos.

sancti non possunt, possunt aūt oratione intercedere, ac proinde quicquid sancti haberent totū deberi deo. Quęso aūt qd hic deo derogetur? Porro ubi in hoīe Christiano semel hęc fides firmiter & cū iudicio recto fuerit cōstituta, manet in habitu q̄dam perpetua, ut non sit q̄ in huiuscemodi appellationibus quisq̄ uereaſ offensionē dei, aut putet necessariū esse, quoties sanctos honoramus, discriminationē hāc singulari cogitatione repetere, aut disertis uerbis qd cui tribuatur explicare. Neq; enim sophisticaſ deus, ut captiosos laqueos hinc nobis construat: nec est in uotis nostris (calūnientur ea licet hæretici) perfidia, quæ simpliciter & pro deuotionis nostræ fide accipiuntur. Intentionem enim & perpetuam illam nostram de deo & sanctis fidem, scrutator ille cordium deus, & nouit & discernit.

Non obscurari mediatoris officium sanctorum inuocatione.


Duersarij solent nobis obijcere eos, q appellant sctōs, patronos & mediatores, cōmittere plane idololatriā, q̄d diuinam potentiam tribuant creaturis, & propriū dei honorē mortuis cōferant, transferantq; oia diuina in hūana, & humana in diuina. Scilicet, arbitrantur aduersarij catholicos tā nullius esse sensus, ut nesciāt qd distet creator à creatura, aut dn̄s à seruo: se uero putant solos hoc discernere, & p̄terea neminē. Catholicos confundere inuocationes, religiōes miscere, propriū mediatoris officiū obscurare. Proinde oēs tanq̄ cæcos, surdos, insensatos, & plane fungos atq; idololatras miseranſ. Verū quid sibi arrogant hoīes temerarij? An putant catholicos oēs sensu & ratione carere? Quasi de excelso q̄dam solio iudicant, pronunciantq; in oēs, cum nihil minus norint q̄ de aliorū sensu discernere. Quibus ego respōdeo, neminē Christianorū, nisi mente captū, tam rudem, tamq; indocilē esse, ut ignoret quantum distet à sanctis suis deus, qui putet patrociniū sctōrum æquandum dei patricinio, aut sctm̄ aliquē Christo redēptori nostro esse parē. Sunt enim oēs Christiani Theodidacti. Atq; ut ab exemplo unius de reliquis q in Ecclesia catholica instituti & educati sunt, sumaſ iudiciū. Ego à puero qn̄ cœpi primū res intelligere & discernere, ac cognitionē dei habere, discreui utiq;

quantum

quantum illi ętatulę sufficiebat, deũ à sanctis, imagines à rebus. B. uirginem Mariã aiebam esse in cœlo, hic autẽ imaginẽ. Accedente deinde ætate, accessit & maior cognitio, incipiebam latum facere discrimen inter deum & sctõs, quod deus posset omĩa, sancti uero hoc tantũ quod à deo haberent. Sctõs inuocabam, non ut remitterent mihi pctã, sed ut orarent pro me. Angelorum poscebam custodiã, nõ aduersus deũ, sed aduersus diabolũ & pericula. Et ut in summa dicã: Angelos & sctõs ex deo pẽdere censebã, per quẽ possent quicquid possent, & à quo acciperẽt quicquid bñficiorum transiret p eos ad hoĩes. Quod fuit in hac fide periculũ? & qs catholicorũ nõ ita instituit? qs tã stupidus est, ut crediderit unquã imagines uiuere, aut sctõs esse deos? Hãc fidẽ puellus didici in Ecclesia, quã à maioribus acceptam, usque in hãc ætatem seruaui, inuenioque ipsam uerbo dei per omnia consentaneam, à sanctis patribus traditam & defensam, & in tota Ecclesia catholica omnibus seculis probatam & receptam, neminem uero nisi forte hęreticos ab Ecclesia & patribus dãnatos, contradixisse. Legi quoque (ut sumus plerique curiosi) aduersariorum scripta, nec uisa fuit adhuc in eis aliqua ratio digna, propter quam à fide illa discedendum mihi uideretur, quin magis inflammatur & acuitur in me fides uera, cum uideam aduersarios sophistica, imposturis, adulteratione uerbi dei & patrum, fraude & artibus agere sua, ut taceam de inconstantia dogmatum & dissidijs, quibus inter se confligantur: cum sit & fuerit inter catholicos, perpetua & constantia dogmatum & concordia. Iam qua conscientia, quo animo potero dubitare de fide tot mihi modis probata? Proinde certissima cõstantissimaque fide credo & asseuero eam fidem quam habet de sanctis Ecclesia, si nõ ubique extaret, si uspiam non esset, erigi tamen illic deberi & introduci. Ita luculenter spiritus sanctus perhibet eidem in scripturis & sanctis patribus testimonium, tantum abest, ut putem in quæstionem aut dubitationem uocandam.

Nec uero metuo mihi ne ratiõe probabili, aut uerbo dei ista Ecclesiæ fides per aduersarios abrogetur: qđ enim calumniant, honorẽ diuinũ tribui creaturis, & esse cognominationes istas patronorum, & aduocatorum periculosas, falsum est, quin magis laudatur Deus,

qui ꝑ eximia bonitate sua hoibus indignis, ꝑ intercessionẽ sanctorum suorum, tã prompte opitulatur, ac potentiam suam ꝑ sanctos exercet. Quod uero metuunt isthinc homines mali periculum? An hoc ne credantur creaturæ creatores? Deponant si sapiunt has curas. hoc enim neq; fecit in ecclesia quispiam institutus, neq; facturus est unquam. Ego meam fidem exposui, quod mihi accidit, arbitror probatis omnibus, hoc est, ijs qui modo constantes in fide perseuerant, cõmune. Oportet eñ hæreses esse ut qui probati sunt manifesti fiant in nobis, per hoc quod tempore tentationis non recedunt, nec uacillant. Vt libet sciscitentur & interrogent aduersarij unumquemlibet secundum catholicam fidem institutum, senes, iuuenes, mares, feminas, pauperes, diuites, an quisquam secus aliquando crediderit? Triũphũ de nobis canite aduersarij, si inter ecclesię alumnos, discipulos, ecclesiasticæq; doctrinæ auscultatores, offenderitis, q crediderint unquam quod uos omnibus affingitis. Te ipsum hæretice appello, qui nunc ecclesiæ fidem arrodis & conuellis, fatere uel semel tandem quod uerum est, fuisti ne unquam, cum adhuc in Ecclesia nobiscum esses, in ea quam oĩbus nobis affingis opinione? Non arbitror hoc te uere dicturum. Idcirco si qui forsan fateantur, hac in re se errauisse, lapides, ligna, aurum, ꝑ uiuis rebus coluisse, sanctos deo, & creaturam æquasse creatori, hos dicam aut fuisse mente captos, aut nobiscum neq; uersatos, neq; institutos, ut nescierint quid doceat Ecclesia dei. Tales ut ab Idololatria reuocetis licebit, tales instruite & docete. Cur populum institutum bene, qui credit & sentit de deo & sanctis, sicut oportet sentire, fatigatis uestris clamoribus, perturbatis & corrumpitis? Illic ubi causa poscit, conuenit zelare pro deo, non autem tumultuari, & turbas citare, ubi pacata & tranquilla sunt omnia. Magna uerba crepant, quando detonant in nos idololatria, idololatria, sed fulgura sunt e pelui, & nugę bullatæ. Quid autem dico nugas? sunt intollerãdæ iniurię. Sunt blasphemiæ à diabolo subornatæ: non enim colimus idola. Idola sunt dæmoniorũ, sicut scriptum est: Oẽs dij gentium dæmonia. sed deum illum q fecit cœlum & terram: post quem sanctos & electos eius dęmoniorum expulsores, & idolorum demolitores, debitis honoribus persequimur propter eundẽ illum

Cur suam ipsorũ mentem affingũt hæretici catholicis idololatriam.

deum, qui non cessat per illos sua nobis beneficia conferre, semper creatorem à creaturis fideliter distinguentes, magnoq; discrimine, deum præ sanctis agnoscentes.

Odit diabolus hanc nostram pietatem, dolet se profligatum olim à sanctis, idcirco ministros suos subornat, qui se de sanctis ulciscantur, idq; sub eodem pietatis nomine, quo est ipse expulsus & profligatus. Qua in re uide astutum & prodigiosum diaboli consilium. Decipiebat olim homines miseros uanis illusionibus, patrocinari credebatur eis quos opprimebat: quos perdebat sanare & iuuare putabatur. quas ipsius fraudes sancti uiri detexerunt, & per gratiam dei quæ in ipsis erat, hominibus patrocinati sunt, opemq; aduersus diaboli p̃stigias tulerunt, idola destruxerunt, populumq; palabundum reduxerunt ad uerum saluatorem, Christum dominum. Itaq; quod olim falso dicebantur dęmones patroni & auxiliatores hominum, hoc sancti uere præstiterunt, q nos suis orationibus adiuuare non desistunt, ut ex merito appellentur patroni & opitulatores, quemadmodum & propter ueritatis doctrinam magistri & doctores uere uocantur. Inuidiosum hoc, & odiosum diabolo: quamobrem cum lędere sanctos non possit, non potest tamen quiescere. Meminit se cum patronus & opitulator uocaretur, deturbatum regno, q̃d hæ appellationes ad deum pertinerent. Meminit sanctos studio pietatis in Christum contra se præualuisse, & nunc ab eisdem cognominationibus illis falsis se exutum. Fingit ergo & ipse pietatis studiũ in eundẽ Christum, ut ijsdem quibus ipse expugnatus est machinis, sanctos impugnet. Et primum filijs diffidentiæ, in quibus potens est, incutit appellationum istarum dolorem quendam & inuidentiam, deinde suggerit Christum solum esse aduocatum, mediatorẽ & patronum hominum: ut uideantur pro Christo, pro ueritate & pietate pugnare, cũ interim Chr̃m ipsum in suis mẽbris impugnẽt, atq; hoc falso pietatis zelo personatos concitat in sanctos. An non est hic speciosus pietatis prætextus? Sic nouit ille suos trãsfigurare in angelos lucis. Sic solent impij interdum pro deo superstitiose zelare, cum uim pietatis nullã habeant. Quod in Ioram illo rege Israel apparet, ad quẽ cũ dedisset rex Syrorũ literas & munera, supplicãs pro curatione Naamã

Diabolus sub specie pietatis impietatem machinatur.

2. Cor. 11.

4. Reg. 5.

principis militiæ, leprosi, scidit ille uestimenta sua, & ait: Nunquid deus ego sum, ut occidere possim & uiuificare? quia iste misit ad me ut curem hominē a lepra sua. Certe impius erat Ioram, natus ex impijssima Iezabel: qui simulato dolore pro iniuria dei, scidit uestimenta sua: cum postulatio regis Sireorū candide intellecta, nihil iniuriarū in deū contineret. Non enim uolebat Syrus ut diuinā sibi potestatē Ioram usurparet, quod uel ex Naaman uerbis sit manifestū. Quando enim ab Helisæo iussus erat se lauare in Iordane, ait: Putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen domini dei sui &c. Quæ hic committitur in deum iniuria? Quid hic quod fas non erat, tribuitur homini? Verum tam zelosi, tamq; solliciti sunt pro deo impij, ut credant potestatē dei collapsuram, nisi ipsi succurrant. uidelicet sint custodes dei, & nihil non habent suspectū. At non ita Helisæus, quem adeo non offendit postulatio illa, ut ad Ioram miserit, quid diceret, quare scidisti uestimenta tua? An nō est deus aut propheta in
Math.26. Israel, qui possit leprā curare? Veniat ad me, & sciat prophetā esse in Israel. Candidus accepit candide, sanctus sancte: quod malus male, impius impie acceperat. Sic & Caiphas scidit uestimenta sua dicens, Blasphemauit, cum nō posset uocē ueritatis ferre. Ad eundē omnino modū rumpuntur hæretici, & clamant, Idololatria, quādo sanctos uocamus mediatores, patronos & aduocatos, qa ueritatē audire nolunt. In Actis apostol. ait Petrus ad claudū illum, qui iacebat ante portam templi, q̄ appellabat speciosa, mēdicās ab introeūtibus eleemo-
Act.3. synā, Argentū & aurū non ē mihi, q̄d aūt habeo hoc tibi do. Quero qd hic sentiant de Petro aduersarij. Dicit Petrus, Qd' aūt habeo hoc tibi do. Vbi duo sibi uendicat, nimirū habere potentiā, & dare sanitatem, cum sit utrunq; diuinū. Quid enī habet Petrus quod non accepit? Quid igitur gloriatur quasi non acceperit? Hic respōdebit nobis Petrus pro omnibus sanctis, Non gloriamur quasi non acceperimus, sed quia accepimus, ideo habemus: quia uero habemus, ideo cōferimus & damus. Ergo gloriatio nostra in deo est, per quē sumus id quod sumus, per quē & possumus quodcūq; possumus. Ergo cōcurrente populo, Quid admiramini, ait Petrus, aut quid nos intuemini, quasi nostra uirtute fecerimus hunc ambulare? Qui antea dixerat,
Quod

Quod aũt habeo, hoc tibi do, modo negat sua uirtute hominẽ sanatum. Ita & nos de sctis dicimus, patrocinant nobis, dant quod habẽt. Quod à deo acceperũt, hoc dant, & succurrũt, nõ sua uirtute, sed eius unde habẽt: medentur, sed uirtute Christi, qui dedit gratiã curationũ. Si inculpata est uox Petri, quare nos reprehendimur ab aduersarijs? quid nos sanctis tribuimus q̃d sibi Petrus nõ uendicauit? Propterea sancti patres religiose docti, & docte religiosi, nulla superstitione, nulloque errore, sed ea fide quam supra exposuimus, dixerũt, sanctos facere, concedere, dare, largiri beneficia, petitiones, miracula, quæ suis modo præcibus nobis obtinuerunt, aut uirtute à deo accepta, contulerunt. Hinc sunt illæ quas recensuimus appellationes, quod uocẽtur patroni, defensores, custodes, rectores, medici, opitulatores &c.

Restat ne uideamur tot rationes frustra cõgessisse, ut patrũ quorum sæpe meminimus testimonia quoq; pferamus, quo uideat Lector, cognominationes istas, non esse nouitias, sed & in prima illa Ecclesia, & ubiq; locorum maxime usitatas. Basilius ille magnus quem patres non sunt ueriti appellare lucem mundĩ, in oratiõe quadam de sanctis quadraginta martyribus ita ait: Hi sunt qui nostram administrant regionem, & uelut turres quædam cohærentes, securitatẽ ab hostiũ incursu exhibent. & paulo post exclamat: O chorus sanctus, o sacer ordo, o constipatum & infractum agmen, o communes generis humani custodes, boni curarum socij, orationis cooperatores, legati potentissimi, stellæ terrarum orbis. Tanta sunt in uno Basilio testimonia. Quantis encomijs Chrysostomus ille sanctos prosequatur passim in libris suis omnibus opinor notum esse, nam & inter alia ait sanctos esse Ecclesiarum columnas & thesaurum. *Basilius.*

Ambrosius in natali sanctorum martyrum Octauij, Aduenticij & Solutoris, ait: Cuncti martyres deuotissime colendi sunt, sed specialiter ij uenerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim, nos orationibus adiuuant, Isti etiam passione. Cum his nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos uiuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic, ne peccatorum nos labes assumat, ibi ne inferni horror inuadat. Et subdit: Ideo fratres uenerremur *Ambrosius.*

eos in seculo, quos defensores habere possumus in futuro. Cui non dissimile est, quod pronunciauit ad populum in inuentione beatorũ martyrum, Geruasij & Prothasij, cuius epilogum scripsit ad Marcellinam sororem in hæc uerba: Cognoscant omnes quales ego propugnatores requirã, qui propugnare possint, impugnare non soleãt, hos ego acquisiui tibi gens sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defensores, tales milites habeo, quorum quo maiora, eo tutiora patrocinia sunt. Et post aliqua: Euasimus fratres non mediocrem pudoris sarcinã, patronos habebamus & nesciebamus. Audet insuper uir ille in alio sermone affirmare, eos

Iohan. 14. non credere Christo, qui non credunt à martyribus posse aliquos uisitari: cuius hanc addit rationem, quod dixerit Christus, Et maiora facietis.

Prudentius. Prudentius sæpe patronos appellat, ut in hymno sanctorum Hemyterij & Chelidonij. In hymno item D. Laurentij. Item de sanctis Fructuoso, Augurio & Eulogio, & multis alijs in locis.

Iohan. Damascenus. Syrorum quoq; decus Iohannes Damascenus, non dubitat de sanctis ita definire: Eos qui in spe resurrectionis, & fide quæ est in dño, obdormierunt, mortuos nequaquam appellandos. Mortuum enim corpus (inquit) miracula quomodo potest operari? Quomodo igitur per eos dæmones abiguntur? infirmi curantur? cæci uident? leprosi mundantur? tentationes & tristitiæ soluuntur? Omne donum bonũ à patre luminum, per eos, ijs qui inhæsitabili fide petunt, descendit. Quantum sane laborares, ut inuenires adiutorem qui ad mortalem regem te adduceret, & pro te ad ipsum sermones faceret? Adiutores ergo totius generis, deo pro nobis supplicationes porrigentes, honorandi sunt &c.

Augustinus. Notior est Augustinus q̃ ut opus sit recitare, quanta ille sanctorũ miracula describat. Non audet tamen definire, utrum sola oratione impetrent nobis beneficia quæ accipimus, an cooperentur Deo, & sint omnibus ijs præsentes a quibus inuocantur. Vtrunque enim fieri posse non negat. Sed & patronos appellat sanctos in libro de

Seuerus. cura pro mortuis agenda, & in alijs plerisque locis.

Sulpitius Seuerus in obitu B. Martini, Patronum (inquit) præmisi, sed

sed

fi, sed solatium uitæ præsentis amisi. Tot calculis, non uulgarium aut nouitiorum, sed præcipuorum ueteris Ecclesiæ doctorum, conuincitur aduersariorum impietas, qui non auferunt modo à sanctis, uerum etiam damnant, haud secus atque idololatriam, appellatiões, quas illis semper detulit Ecclesia, quas doctores illi, per quos fidei ueritas semper defensa est, eis tam magnifice asscribūt, quas denique & deus ipse gloriosa miraculorum operatione, multis modis fecit eis ratas. Et uidentur aduersarij plane, aut non capere uirtutem dei, potentis dona sua communicare alijs, aut si capiunt, expuunt utique in cœlum: qui gloriam illam dei quæ in sanctis illustris apparet obscurare, ac pro uiribus contaminare satagunt. Ad hæc & sacrilegium committunt, quippe qui sanctis honorem detrahunt, quo eos dignatus est Deus.

De inuocatione sanctorum.



VT sensim progrederemur ad altiora, uiā fecimus ad explicandam inuocationem sanctorum, quam nondū attigimus, quam aduersarij angue peius oderūt & hydra. Dictum nobis est de ea ueneratiõe quam sanctis impendimus, dictum est item de dilectione, qua illi uicissim nos prosequuntur ac beneficijs quibus iuuant, quæ si coniungas simul, haud procul ab inuocatione aberis. Quid est enim inuocatio? nisi desideriū, ambitio & expectatio beneficij quod accipias ab aliquo. Iam si ueneramur sanctos, & in sanctis Christum, si credimus itē sanctos diligere nos, & libenter procurare nostram salutē, esse patronos & intercessores, quomodo non cupimus? quomodo non desideramus? quomodo non speramus nobis aliquid p eos impetrari & impendi? qūo non optamus, ut faciant quod alioqui faciunt? Sic B. August. in libro quem scripsit de cura pro mortuis agenda. Cum fidelis, inquit, mater filij sui corpus desiderauit in basilicam martyris poni, siquidē credidit eius animam meritis martyris adiuuari, hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit. Neque enim putandum est supplicationem solis peragi uerbis, ut dicatur expressius, Ora pro nobis sancte Petre, ut hoc consequamur uel illud, sed quemadmodum uulgo dicitur *Inuocatio qd*

in diuinis uero rebus, plane cæcutientium & palpitantium, procedunt. Magnifice iactant argumentum de uera inuocatione dei: utinam autem homines sensu & mente corrupti, de uera inuocatione nossent recte iudicare, rectaque docerent. Sed uidebis in progressu lector nos istud manifestis argumētis demōstrare. Prius aūt paucis mihi præfandum est de communiōe corporis Christi, quod est Ecclesia, quam uidentur aduersarij non satis attendisse.

Scire debet omnis Christianus quod sit una Ecclesia Dei, indiuisa & simplex, quæ est corpus CHRISTI, continens non eos modo qui in carne adhuc uiuunt, uerum & illos qui carne deposita securius & felicius cum Christo agunt in cœlis. Non oportet imaginari in Christo corpora duo, ut sit unum uiuentium in carne, alterum secundum carnem mortuorum. Mortuus est enim CHRISTVS & resurrexit, ut uiuentium dominaretur & mortuorum. Et pater constituit eum super omnem Ecclesiam, quam non facit caro & sanguis, sed Petri illa confessio, Tu es Christus filius DEI uiui. In hac sunt omnes quotquot manent in Christo. Itaque audito corporis illius Christi nomine, cogitare oportet simul & eos qui sunt cum CHRISTO in gloria, & qui modo adnituntur, ut eo perueniant. Quos una spes, una fides, una sacramenta, unus pater cœlestis, unus Christus, & spiritus unus, in unam societatem copularunt, quorum habitatio quoque est una, nimirum cœlestis illa Hierusalem, cuius sunt domestici & ciues, quidam in re, alij uero in spe: quorum omnium non est nisi una uita in uno Christi spiritu, in quo uiuunt tam beati illi, qui in cœlis, quàm fideles qui adhuc in carne ista (nisi forte sint membra mortua) morantur. Hinc est illa Pauli confessio: Viuo autem non iam ego, uiuit uero in me Christus. Qui cum peteret dissolui ab hac carne, & à corpore mortis huius, num & a Christi corpore petebat dissolui? Num ut Christi uita in ipso extingueretur petebat? Nequaquam. Propterea ait: Cupio dissolui & esse cū Christo. An igitur non erat in Christo? Imo erat, q dicebat: Nostra aūt cōuersatio in cœlis ē, cupiebat esse amplius & pfectius in ipso. Ideo alibi ait: Mihi uiuere Christus ē, & mori lucrū, ut com-

Ecclesiæ nōie quæ est corpꝰ Christi, comprehendūtur tam uiui quā defuncti in Christo.

Roman. 14.
Ephesi. 1.
Matth. 16
Galat. 2
Philip. 1.
Philip. 3
Philip. 1

ut comprehendam eum in quo & comprehensus sum, credimus enim quia simul uiuemus cũ illo, quoniam non posuit nos deus in iram, sed in acquisitionem salutis per dominum nostrum Iesum Christum, ut siue uigilemus siue dormiamus, in illo uiuamus. Et hæc est Christi pollicitatio. Ioh. xiiij. Quia ego uiuo & uos uiuetis. Omnes autem beatos uiuere Christus semper aperta uoce nobis testatus est. Cum dixisset enim de Abraham, Isaac, & Iacob, quia uiuerent, ne putarentur illi tãtum uiuere, à quibus apppellationem acceperat, ut uocaretur deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob, statim subiunxit: Omnes enim uiuunt ei. Hoc si credis, intellige unam societatem uiuentium in carne & dormientium secundum carnem in uno corpore, intellige nos ciues esse sanctorum & domesticos dei, etiamsi sanctos ipsos nostros conciues, non uideamus carnalibus istis oculis. Sat est quod uideantur in spiritu, nam corporis istius mystici uita, uita est spiritus, & oculos habet spiritales.

1. Thess. 5. *Luce 20.*

Iam de inuocatione. Vbi primum oportet de significatione uocis cõstare. Dicitur enim inuocatio uarie. B. Augustinus talem facit huius uocis etymologiam, ut sit inuocare, quod in se uocare, uerba eius in Psalmo xxx. sunt. Inuocas deum, quando in te uocas deum. Hoc est enim illum inuocare, illum in te uocare, quodammodo eum in domum cordis tui inuitare. Qua significatione frequenter in libris suis utitur, quando fit inuocationis dei mentio. Extra controuersiam est, secundum hanc significationem, solum deum inuocari, qui solus potest esse noster inhabitator ad salutem. Sed & aliter plerunq; dicimus. Inuocare hoc esse, quod in auxilium uocare, secũdum quem modum inuocamus & deum & creaturas, hoc est, in auxiliũ uocamus. Sed aliter deum, aliter res creatas.

Inuocatio multipliciter dicitur.

Deum super omnia, cui dicimus. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram, quem etiam fatemur omnis boni authorem, & unicam spei nostræ anchoram. Quicquid enim habent, aut possunt res creatæ, ab ipso habent & per ipsum possunt, quoniã ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.

Aliter deum, aliter res creatæ inuocantur. *Psalm. 120.* *Roman. 11.*

Hæc inuocatio, adoratio quædam est, & tam grande dicimus esse piaculum, inuocare alium, quàm alium adorare, sumus enim filij

Enos

Enos, qui docuit inuocare nomen domini, & scimus, quia omnis qui inuocat nomen domini, saluus erit. Contra uero, maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à domino recedit cor eius. Hic prima quæstio nascitur, An oporteat nos deum inuocare tantummodo per nosipsos, an liceat ad hæc etiam adhibere alios. Genes. 4. Iohel. 2. Hier. 17.

Aliter inuocamus creaturas tanquã subsidiarias nobis à deo in auxilium temporale collatas. Sic infirmus inuocat auxilium medici: Reus, aduocati auxilium: qui opprimitur à fortiore, principem inuocat. Breuiter, temporale auxilium, undecunq; petitur, modo nõ ab aduersaria potestate, non licet enim diaboli auxilijs uti. Hic iam altera nascitur quæstio, An liceat sanctos secundum hunc modum inuocare. Ergo quæstio de inuocatione sanctorum, hęc duo potissimũ quærit. Primum, an liceat ipsis uti intercessoribus apud deum. Secundo, an generali inuocationis modo possint inuocari, ut succurrant & auxilientur nobis, siue intercedendo apud deum, siue conferendo in nos beneficia, quorum habent à deo potestatem. Vbi hoc primum uidendum, Vtrum possit Deus inuocari per intercessores. Quam quęstionem nimis infeliciter, aduersariorum quidam aliquãdo tractarunt. Et propter uerbum illud Christi, Venite ad me omnes, qui laboratis &c. Item illud: Inuocabis me, & ego exaudiam. Et plurima, quæ in eandem sententiam habet scriptura, uoluerunt, non licere deum inuocare per intercessores, ubi non expenderunt secum, & orantem & intercedentem ad eundem deum contendere, sed deum & intercessores tanquam duo cõtraria, alterum alteri opposuerunt, ut qui intercessorem quæreret, uideretur à deo recedere, cum tamen per intercessores deus non nisi adeatur. Aditur ergo seu inuocatur duobus modis, per intercessores medios, & absque ullo intercessore medio. Cum dicitur: Non loquatur nobis deus, ne forte moriamur, tu loquere nobis & audiemus, statuitur inter deum & nos, mediator, qui dei uoluntatem ad nos referat. Cum uero dicitur: Doce me iustificationes tuas, nullus mediator intercedit. Paulum apostolum docuit deus omnem ueritatem absq; ullis mediatoribus.

Deus per intercessores an possit inuocari.

Exod. 20.

Psalm. 18.

1 Corint. 11. Ego enim accepi à domino (inquit) quod tradidi uobis. Sic ad Gal. pri. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationē Iesu Christi. Potuit eodem modo deus docere Cornelium Centurionem, sed noluit. Iussit autem ut accerseret Petrū, qui diceret & omnia quę oporteret eum facere. Latroni in cruce dimissa sunt omnia peccata absque ullis medijs: non erat qui catechizaret, qui baptizaret, qui à peccatis absolueret, qui communionem sacram porrigeret, potest & nos deus eodem saluare modo, sed placuit ipsi ut per ministros suos hæc nobis exhiberet, atque ut per mediatores, doctrinam, fidem, sacramenta, & ipsius dona acciperemus. Fit igitur manifestum deum erga nos uti mediatoribus, ubi & quando ipsi uisum fuerit. Ad eundem modum, nos uicissim exhibemus nos Deo, duobus modis, per mediatores, & sine mediatoribus. Cum dicitur: Libera me domine à persequentibus me, nullus interponitur mediator. Cum dicitur autem: Orate pro me fratres, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, mediatores statuuntur. Vtramq; inuocationem exaudit deus, & mediatam & immediatam. In utraq; ipse unicus respicitur, spectatur, inuocatur, & solus nouit deus, qui arbiter est animorum nostrorum, quęnam inter has duas sit acceptior, & maiorem referat fructum. Respicit enim in orationem humilium, & pauperes suos non despicit, ut illa sit deo acceptior in qua fuerit humilitas maior: & nisi mediata illa uim magnam haberet, non uteretur ea tam frequenter apostolus Christi. Vtrumque ergo dicimus, Dimitte nobis peccata nostra, sine intercessore. &, orate pro me peccatore uos intercessores. Cum autem intercessorem statuimus, quem inuocamus? intercessorem ne ipsum, an deum? Arbitror tam stupidum neminem esse, ut putet hic intercessorem inuocari, sed ipsum deum tantummodo. Ergo cum dicimus, Sancta Maria ora pro nobis, solus utique inuocatur Deus proprie, ad quem intercessor mittitur, Maria autem quæ mittitur, interpellatur, & generali tantum acceptione inuocatur.

Actuum. 10.

Luca 23.

Deus inuocatur per intercessores & sine eis.

Hoc est igitur quod de uera inuocatione sentimus, cum qui præ-

fidet

fidei uniuersæ Ecclesiæ, ab omnibus Ecclesiæ membris pariter inuocandum & adorandum: nec ullum hic excluditur membrum, cum debeant omnia pro se inuicem esse sollicita. Nec oportet eos qui debeant inuocare esse hic in humanis constitutos, & habere corpus: ueri enim adoratores in spiritu adorant & ueritate. Et adorant eū omnes angeli Dei, qui certe carnem non habent. Sic in Apocal. Spiritus & animæ in perfectorum, inuocant eum. Atque hinc supplicamus uiuis confratribus nostris, ut orent pro nobis, & ijs quoq; qui dormiunt in CHRISTO similiter supplicamus, ut orent pro nobis, utrique enim sunt nostri confratres. *Supplicamus uiuis & defunctis in Christo.*

Cum deus sit omnipotens, ut dare possit quæcunque petuntur, & optimus, ut dare uelit, Cur non sepositis intercessoribus omnibus, ipsi per nos adimus eum solum? Licet sane, licet adire absque intercessoribus, si ita ferat spiritus tuus, si tanta est fiducia, si conscientia tam intrepida, si puritas animi tanta, si putas tua solius plus quàm aliorum intercessione promouere. Licet etiam si obruat te conscientia malorum, si trepides coram tanta Dei maiestate, modo adsit fiducia: quæ inter hæc rara consistit: Oportet enim inuocare ea fide, quæ nihil hęsitet. Sed & intercessores licet comparare, cum quibus simul & tu ores, etiam si reliqua omnia sint tibi integra, & mens, & conscientia, & fides, & quicquid tandem illud est, quod orantem promouere queat.

Quid impediunt enim intercessores comparati & adhibiti? an obstant, aut remorantur conatus tuos? aut tibi fiduciam diminuūt? aut sunt conscientiæ tuæ graues & intollerabiles? Non opinor. Verum aduersarij imaginantur, sanctos qui ad intercedendum implorantur, esse opacum & crassum quoddam interstitium, quod impediat aspectum nostrum, quo minus possit deus clare uideri, & cogitari, esse uiscum quendam, in quo hæreat concepta fiducia, ut non queat ad Deum usque transuolare. Nos contra dicimus, sanctos esse lucem quandam, quæ reddat nobis Deum perspectiorem, quæ tenebras nostras ex parte iuuet ut cognoscatur DEVS, *Intercessoribus non impedimur a uera inuocatione.*

ſicut oportet. Quibus hebet oculorum acies, quid faciunt? Nonne adhibent ſibi conſpicilia? Chriſtallus oculis obiecta, rei uiſibilis ſpeciem exceptam, tranſfundit in cæcutientem. Nos itaq; multo uerisimilius quàm aduerſarij dixerimus, inuiſibilem illum deũ, quodammodo in ſanctis nobis apparere, in quibus cernimus eius dona, magnificentam, liberalitatem. Nec periculum eſt, ne nos ſuſpenſos in ſe remorantur, cum nihil habeant ſuum quod non ad deum nos dirigat, Proinde puto quo ſanctiores fuerint interceſſores quos adhibemus, hoc magis fiduciam noſtrã creſcere, ut etiam male nobis conſcij, audeamus interceſſoribus inſtructi melius ſperare & confidere, quod certe in nobis ipſis ita ſe habere quotidie experimur.

Rurſus imaginantur aduerſarij ſe fieri deo propinquiores, ubi abſque interceſſoribus ipſum adierint, quaſi iſtud adire, aut propinquum deo fieri, ſit localis auditus corporis & non ſpiritualis ipſius mentis, quæ obſtaculum nullum patitur: nimirum ita exiſtimabat Phariſæus ille in Euangelio, ſe deo facilius congreſſurum, ſi non ſtaret procul cum publicano. Sed deus publicanum corpore remotum, animo proximũ, exaudiuit præ ſuperbo ac glorioſo Phariſæo. Nemo ignorat quanto præcelluerit apoſtolus Paulus illis, quos fidem Chriſti docuerat, & tamen hunc tantum ac talem uirum, ac deo ſemper mente proximum adiuuarunt etiã interceſſores, & putat aliquis per hoc Apoſtolum ſe elongaſſe à deo? aut qbus ſupplicabat ut pro ſe intercederent, fuiſſe deo propiores quàm erat ipſe? Nec puduit ipſum ſupplicare illis qui erant ipſi longe poſteriores, & nos pudebit nos ſanctis ſubſternere, per quos utique poſſumus propiores fieri? cum ſint ſancti omnes in deo & deus in ipſis. Quoties adhæc habet Apoſtolus, orate pro me fratres. Vbi iubet Theophilactus duo adnotare, Primo inſignem Pauli humilitatem in orando, quodq; imprimis conueniat oranti humilitatis exercitium: deinde quod Paulus cum tantus eſſet, indiguit tamen ope ſupplicantum. Quod ſi is indiguit interceſſoribus, quid de nobis æſtimandum? Valet igitur Pauli exemplum ad hæc duo, ut diſcamus nos humiliare & indigentiam noſtram conſiderare: quãto enim humiliamur profundius, tanto facilius exaudiemur & impetrabimus. Nunc autem ex ipſo Apo-

stolo apparet humilitatis quandam speciem esse, quod queritur intercessor. Verum hoc multo apertius cernitur in Centurione illo, qui cum se iudicasset indignum qui Christum adiret, subornauerat intercessores primos Iudæorum, & uenienti domino misit in occursum, qui dicerent: Domine non sum dignus ut interes in domum meam, propter q̃d & meipsum non sum dignum arbitratus qui uenirem ad te, tantum dic uerbo & sanabitur puer meus. Cui præbuit Christus tale testimonium: Non inueni fidem tantam in Israel. Sed quorsum hæc? Nempe, ut ostendamus eos qui se indignos arbitrantur quos deus exaudiat, non male comparare & querere sibi intercessores, atq; hanc talem animi sui deiectionem, adeo non improbari deo, ut sit ei multo acceptissima. Verum istud pulchre satis in libro Delectorum explicatur.

Imaginantur præterea, eos diffidere deo, qui implorant sanctos, ut quid enim dicunt adeunt sanctos, si deo satis confidunt? Quibus nos, Ergo ne apostolus Paulus diffidit deo? Ergo ne posuit ille carnem brachium suum, quãdo sibi comparauit intercessores? Si autem ille deo non diffidit, quomodo nos diffidentiæ conuincetis? Proinde nos non magis diffidimus deo quàm Paulus, non magis quàm Centurio ille, sed fiduciæ nostræ iungimus nostri humiliationẽ, per quam fiducia in deum iunctis intercessoribus amplius atq; amplius crescat. Falsæ sunt igitur imaginationes uestræ, nec ulla ex parte uel scripturis, uel rationi consentaneæ.

Sed obijcunt nobis, Non extare uspiam mandatum dei de comparandis intercessoribus. Nec scit homo (inquit Melant.) an uelit deus sic inuocari. Fingamus nõ extare mandatum dei, nihil ne licet, nisi sit expressum in scripturis? nihil ne pium, nisi quod mandato extorquetur? Vbi uero mandatum de Eunuchis propter regnum cœlorum? Ergo ne non licet se castrare propter regnum cœlorum, quia nullum extat mãdatum? Id quidem uos uestris in grauem uestram & uestrorum dãnationem persuadetis, & nobis illud frequenter occinitis, frustra me colunt mãdatis hominum, prorsus extra causam. Verum de hoc in posterioribus, ubi Philippo respondendum erit, latius dicemus. Neq; tamen ita destituti sumus omni scriptura, ut

330

submittendorũ intercessorum nullam habeamus imaginẽ. Est enim in scripturis consiliũ, est & exẽplum. Luc. xvi. ait Christus: Facite uobis amicos de mãmona iniquitatis, ut cũ defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula. Arbitror consiliũ hoc esse, nõ pceptum. Quæro aũt, an possit quisq̃ bñfactorem suũ aliter, q̃ pcibus suis intercedẽdo recipere in æterna tabernacula? An habet aliquis in hoc regnum maius imperium? Rursus q̃ro, Vtri pauperum nos recipere suis orationibus in æterna tabernacula certius & melius possint, uiuentes ne in carne, q de seipsis nondũ sunt securi, & multis forsan sceleribus obnoxij, an illi potius, qui accepta bñficia ptulerunt in cœlum, qui cũ Lazaro in sinu Abrahã atq; inter beatos spũs modo uersant & orãt pro nobis? Vtrũlibet autẽ censeas, mihi sat est q ostenderim nos de intercessore submittendo habere consilium Christi. Quod si nõ haberetur, extant tñ, q̃ nemo queat improbare tam in ueteri q̃ noua lege exẽpla plurima. Filij Israel uenerunt ad Moysen atq; dixerunt: Peccauimus quia loquuti sumus contra dñm & te, ora ut tollat a nobis serpentes. Iidẽ cum uidissent se Philistæis hostibus suis impares, magna trepidatione dixerunt ad Samuelẽ: Ne cesses clamare p nobis ad dñm deum nostrum, ut saluet nos de manu Philistinorũ. Apostolus Paulus uinctus propter euangeliũ interpellat Colossen. Orationi, inquit, instate, uigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostiũ sermonis, ad loquendum mysterium Christi. Idem pcatur ut faciãt Thessalonicẽ. Orate, inquit, pro me fratres. Et in epistola ij. cap. iij. his uerbis: De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo dei currat & clarificetur sicut & apud uos, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Idem instanter poscit Hebræorum orationes: Orate, ait, pro nobis, amplius autem deprecor uos hoc facere quo celerius restituar uobis. Romanos obsecrat per dominum Iesum Christum, & per charitatem spiritussancti ut se adiuuent in orationibus. Ex quibus omnibus uides pie & Christiane lector, Deum inuocari etiam per mediatores seu intercessores. Ad hæc non posse superflua esse aut contemnenda subsidia orationum, quæ tantopere beatus ille Apostolus pro se fieri flagitabat.

Consilium de intercessoribus.

Num. 21.

1. Reg. 7.

1. Thessal. 5.

Quod

Quod si Apostolus ille cõfratres suos, nullis ei meritis pares, tam sedulo interpellauit, indignum est, ut nos sanctos pro meritis suis in cœlo coronatos ad orandum pro nobis imploremus? Si permittitur nobis miseros peccatores, in carne uiuentes, destinare intercessores ad deum: non licebit interpellare & comparare nobis intercessores beatos illos qui iam cum CHRISTO regnant? Vulgata est aduersariorum tergiuersatio, sed uana. Dicunt exempla ista ad uiuos solummodo pertinere, neque se reprehendere, quod inuocantur uiui, sed q̃d mortui inuocantur. Datis ergo nobis quod liceat submittere intercessores uiuos. Hic corruunt tam multa argumenta uestra. Non ergo, quod nobis obijcere soletis, intercessores obscurant gloriam mediatoris. Non auocant à uera inuocatione, non desperant de Deo, nec diffidunt, non etiam fugiunt Deum, aut ponunt fiduciam in homine, qui precatores ad deum pro se subornant. Quod ergo habetis amplius argumentum, quo inualidetis inuocationem sanctorum? An hoc unum quod hi sunt mortui, illi uiui? Ita scilicet plus ualebunt uiui uestri, quàm uiui Dei. Quæso autem uos, si est defunctis in Christo una nobiscum societas, si corpus unum, si sumus alter alterius membra & fratres, si diligunt nos, si nõ sunt pro se, sed pro nobis solliciti, si orant alioqui pro nobis, si uiuunt & regnant cum Chirsto in patria, ad quam nos contendimus, (quæ omnia arbitramur uos nõ negare, aut si negatis, scriptura conuinci & probari possunt) cur non licet & illos interpellare, & comparare nobis intercessores? Cum liceat intercessores submittere, cur solos uiuos, & non illos? Quid habẽt uiui præ sanctis defunctis? Imo quid non habent sancti cũ Christo regnantes quo adhuc quotquot uiuunt sunt destituti? Carnem scilicet habent uiui, quam defuncti non habent, cum habeant alia multa orandi facultatem promouentia, quæ in uiuis desiderãtur: nisi uos forte putatis carnem orationem promouere, & iam non amplius dicendum esse, Veri adoratores adorabunt in spiritu, sed ita: Veri adoratores adorabunt in carne. hoc enim uos uultis, nec uideo quid obtendatis aliud.

A carne expediti ad orandũ quoq; sunt expeditiores.

Scimus esse quidem secundum corpus defunctos sanctos, &

corpus ipſum dormire ac quieſcere, ego autem non poſco ut manibus, pedibus aut corporis ſui ſeruitio mihi ſuccurrāt, ſed dona & ſuffragia exigo, quæ ſine corpore dantur, per illum cui uiuunt, cui non dormiunt. Nam quod dicit Apoſtolus, non eſt in Chriſto maſculus & fœmina, non eſt Iudæus neq; Grecus, nō eſt ſeruus neq; liber, omnes enim ſunt unum in Chriſto Ieſu, huic auſim ego propter Chriſti uocem addere, non eſt mortuus neq; uiuus, omnes etenim uiuunt ei, & ſunt unum omnes in Chriſto Ieſu. Cur uos corpus Chriſti in his quæ ad deum pertinent diuiditis? An non eſt ille deus, diues in omnes qui inuocant illum? aut uiuorum tantum deus? An bicorporem facitis Chriſtum, ſicut Ethnici Ianum bifrontem, & Geryonem tricorporem?

Hic Lectori pio duxi concedēdum, ut paucis reſpondeam ad hoc quod ſolent iactare, In ſcripturis nulla extare de inuocatione defunctorum exempla, quanquā parum dialecticè argumententur, Nō eſt ſcriptū, ergo non eſt factum. ut hac ratione nihil poſſint aduerſum nos efficere. Tamē ut donemus eis, nō fuiſſe in Veteri lege morem inuocandi ſanctos, non oportet hinc concludere nobis nunc non licere. alia eſt huius temporis, alia illius ratio. Primum enim, populus ille ueteris legis rudis fuit & intractabilis, atq; ad idololatriam ualde inclinatus, à q̄ tot terroribus uix abſtrahi poterat, ut patet in libris Moyſi, Iudicum, Regum, & prophetarum. Proinde non mirum, ſi de beatorum ſpirituum interpellatione non ſit eis facta traditio clara. Non enim expediebat, procliuis illis uiam ad idololatriæ crimē facere, quod per implorationem ſanctorum populus ille poterat incidere, potiſſimū regnante adhuc diabolo, qui totum mūdum idolatria ſibi habebat deuinctum. Adhæc nondum inclaruerat fides reſurrectionis. Nondum uulgo credebantur q defuncti erant in beatitudine uiuere, quod tempore legis nouæ primum reuelatum eſt. Nondum etiam Chriſtus reſurrexerat, qui captiuam duceret captiuitatem. Iam quomodo implorarent eos quos neſciebant uiuere? Neq; tamen nulla eſt in ueteri lege inuocatiōum iſtarum obumbratio: quod non eſt difficile oſtendere, ſi permittatur nobis ad exemplum Chriſti, quādo dixit, Non eſt deus mortuorum, ſed uiuētium.

Quare in lege ueteri nō fuit uſus inuocandi ſanctos.

ex hoc:

ex hoc uerbo legis, Deus Abraham &c. nobis quoq; literam legis tractare,& figuras eius explicare. Sũt & alia in lege inuocationi sanctorum tam proxima,ut nihil propius. Qualia sunt: Memẽto Abraham,Isaac & Iacob. Item,Memento domine Dauid,& omnis mansuetudinis eius. Item quæ in libris Machabeorum de Onia & Hieremia leguntur. An putamus Iudæos illos quibus non erat incredibile Hieremiam orare ꝓ populo & ciuitate,hoc non optasse quoque ut fieret? Et cui non uideatur uerisimile quod de Hieremia illic refertur, olim etiam ante ea tempora creditum fuisse,beatos patres orare pro uiuentibus, præsertim apud eos quibus animarum immortalitas,& fides resurrectionis erat persuasa? Sed non est hoc scriptum dicent. Quid tum? Esto ut neq; factum sit.non de hoc multum anxie contendo. Vt non habuerimus exempla synagogę,habemus tamen exempla Ecclesiæ:non quidem conscripta nobis in euangelijs,quæ sunt de solo Christo:scripta sunt tamen per patres quibus indubitata fides in Ecclesia habetur. Præter unum Paulum reliqui Apostoli,aut parum aut nihil scripserunt,tradiderunt aũt plurima quæ in Ecclesijs retenta sunt,& ab eorum successoribus fideliter conscripta,in quibus(ut opinor)est & ipse modus inuocandi sanctos cum Christo regnantes. Tam uetus est enim hæc Ecclesiæ consuetudo, ut quotquot inuocationis meminerunt,non referant primam eius originem,sed de ea tanquam antiqua,olim tradita,usitata atq; recepta loquũtur. Quod ut manifestum tibi fiat,subijciam hic aliquos insignes,& quorum semper fuit in Ecclesia celebris authoritas patres & doctores,quorum quidam etiam sanguinis sui effusione,fidem catholicã roborarunt. Vnde cognosces lector hũc supplicandi sanctis usum non tam recenter quàm garriunt hæretici in Ecclesiam introductum,sed tum etiã fuisse quando sæuiebant tyranni, quando ad carnificinas pro confessione fidei trahebãtur fideles. *2. Machab. ulti.*

In primis erit eius nobis idoneus testis magnus ille Origenes, patre Leonida martyre natus, & ipse quoque confessionis gloria clarus. Is libro secundo in Iob,ad finem ita ait: Mors apud Iob mortua est,cum omnibus efficientijs suis: iusticia uero quæ in uiuente pridem uigebat, magis ac magis in illo defuncto diuinis uisioni- *Origenes.*

bus, atq; diuino colloquio reuixit. O beate Iob uiuens in perpetuum apud deum, Ora pro nobis miseris, ut etiam nos terribilis dei misericordia protegat in oibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppressionibus maligni & cõnumeret nos cum iustis &c. Idem probat nobis inuocationem sanctorum in cõmentarijs quos scripsit in Cantica. In lamento quoq; suo inuocat, Patriarchas & Apostolos omnesq; Christi martyres.

Magnus quoq; Basilius in homili. quam habuit in sanctos quadraginta martyres, dat clarum inuocationi, testimonium. Qui tribulatur (inquit) ad quadraginta confugit, qui lętatur ad ipsos decurrit: ille ut molestiarum solutionẽ reperiat, hic ut res secundæ ipsi conseruentur. Hic mulier pia pro liberis orans deprehenditur, itemq; peregrinanti marito reditum, ac infirmo salutem petens.

Gregorius Nazianzenus ille cognomento Theologus, frequenter in declamationibus seu orationibus suis sanctos inuocat. In oratione quam habuit de S. Athanasio, ita ait: Tu autem e supernis propitius nos respice, & populum hunc sanctum dirige, trinitatis sanctę adoratorem, & nos in pace quidem foue & compasce, in certamine autẽ dirige & suscipe, & cum teipso statue, & ijs qui tales sunt ut tu, etiam si magna sit petitio &c. Vides Lector non esse hic prosopopœiam ullam, ut uolũt aduersarij, nec temere ei hęc uerba elapsa, quin addit (etiam si magna sit petitio). Idem facit in oratione habita post octauum annũ à morte Magni Basilij. In oratione quoq; de S. Cypriano, ubi ita ait: Tu nos ab alto ꝓpitius respice, nostrumq; sermonem ac uitam dirige, & sanctum hoc ouile pasce, aut una rege, ac reliqua (quantum possibile est) ad meliora dispone, molestosq; lupos, syllabarum & uerborum uenatores illos abige &c. Meminit in eadem oratione uirginis periclitantis, quæ beatam uirginem Mariam ut opem sibi ferret implorauit.

Gregorius Nazianzenus.

Chrysostomus ille alter Paulus, in sermone de Sanctis martyribus Iuuentino & Maximo: Sępe (inquit) sanctos martyres inuisamus, tumulos adornemus, magnaq; fide reliqas eorum cõtingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites uulnera quæ in prælijs sibi inflicta regi mõstrantes fidenter loquuntur, ita

Chrysost.

tur ita & illi, in manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæcunq; uoluerint, apud regem cœlorum impetrare poſſunt. Proinde magna fide promptitudineq; huc ueniamus &c. Idem Hom. xliiij. in geneſ. Id ſcientes dilecti, confugiamus ad ſanctorum præces, & oremus, ut pro nobis intercedant. Idem Hom. lxvi. ad populum Antiochenum, ubi comparat gloriam ſanctorum martyrum, regum & tyrannorum tryumphis: quæ oſtendit omnia perijſſe, ſanctos uero in ſumma ueneratione haberi, dæmones torquere, à peregrinis etiā inuocari. ubi inter cętera ait: Ipſe q purpurā indutus eſt, accedit illa cōplexurus ſepulchra, & faſtu depoſito, ſtat ſanctis ſupplicaturus, ut pſe apud deum intercedant, & ſcænarum fabrum, & piſcatorem ut protectores orat qui diademate redimitus incedit. *Hieronymus.*

Hieronymum defendere Inuocatiōnē ſanctorum aduerſus Eunomium & Vigilantium, iam ſupra oſtendimus. In Epitaphio quoque Paulæ ad Euſtochium, hæc ſunt eius uerba: Vale Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus iuua, fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius quod poſtulas impetrabis. *Ambroſius.*

Beatus Ambroſius quem perperam aduerſum nos citant hæretici, uti poſtea uidebis lector, frequēter meminit inuocationis ſanctorum. Prætereo quæ in Antididagmate & alijs ſcriptoribus citata ſunt. In libro de uiduis ita ait: Et tu habes proximos qui pro te ſupplicent. habes Apoſtolos proximos, & habes martyres proximos, ſi martyribus deuotionis ſocietate miſericordiæ quoque muneribus appropinques. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, ut pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ, uerbo dei pulſę. Petrus & Andreas frater eius, tunc (loquitur de ſocru Petri per Chriſtum febribus liberata) pro affinitate poterant, nūc iam poſſunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Videtis enim quod magno peccato obnoxia minus idonea ſit q̄ pro ſe præcetur, certe quæ pro ſe impetret, adhibeat igitur ad medicum alios præcatores. Et paulo poſt: Obſecrandi ſunt angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt, martyres obſecrandi, quorum uidemur nobis quoddam corporis pignore patrocinium uendicare.

Poſſunt

possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiā si qua habuerunt peccata lauerunt. Isti ergo sunt dei martyres, nostri præsules, speculatores uitæ, actuumq; nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatē corporis etiam cum uincerent cognouerunt. In oratione funebri de obitu fratris sui Satyri, testatur hunc Satyrum suis uotis apud sanctum martyrem Laurentium impetrasse comeatum, Atq; utinam (inquit) non solum comeatum, sed etiam prolixum uitæ tempus rogasses. Potuisti annos plurimos impetrare uiuendi, qui potuisti comeatum impetrare ueniendi.

Prudentius in libro Peristephanon, in hymno beatæ Agnetis martyris sic orat:

Prudentius.

O uirgo felix, o noua gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola.
Intende nostris colluuionibus,
Vultum gemello cum diademate,
Cui posse soli cunctipotens dedit
Castum uel ipsum reddere fornicem,
Purgabor oris propitiabilis,
Fulgore, nostrum si iecur impleas.

In hymno quoq; martyrum Hemiterij & Chelidonij.

1 Confrequentant obsecrantes
Voce, uotis, munere,
Exter nec non & orbis
Huc colonus aduenit.

2 Nemo puras hic rogando
Frustra congessit preces,
Lætus hinc tersis reuertit
Supplicator fletibus.

3 Omne quod iustum poposcit
Impetratum sentiens
Tanta pro nostris periclis
Cura suffragantium est.

4 Non sinant inane ut ullus
Voce murmur fuderit,
Audiunt, statimq; ad aurem
Regis æterni ferunt.

5 Inde larga fonte ab ipso
Dona terris influunt.
Supplicum causas petitis
Quæ medelis irrigant.

6 Nil suis bonus negauit
Christus unq̄ testibus,
Testibus quos nec cathenæ
Dira nec mors terruit.

Augustinum aduersarij uel inuitum nobis eripere conantur.

Quem

Quem egregie defendit Bartholomeus Latomus, ut nõ sperent am plius aduersarij, tale aliquid frustra tentare. Clara & manifesta est Au gustini inuocatio ad sanctos, in libro de spiritu & anima: clara item in lib. meditationũ cap. xxiiij. Meminit quoq; & in alijs libris sępius patrociniorũ, q̃ homines suis inuocationibus à sanctis impetrauere. In libro de cura pro mortuis agenda dicit: Viuos orationibus com mendare patrocinio S. martyrum suos amicos, quorum corpora in eorum basilica sepeliunt, capite quarto.

Damascenus ille Iohannes, desectam manum fusis ad beatam uir ginem Mariam pręcibus, rursum recuperauit, sicut in uita ipsius te statur Iohannes patriarcha Hierosolymitanus. Sed & ipse lib. quar to, capite uigesimoprimo, & alijs plerisque locis uenerationem & in uocationem sanctorum defendit.

Habes ex istis Christiane lector, pro demonstranda ueteris & pu rioris Ecclesiæ pietate, q̃ sancte uidelicet ac religiose coluerint, inuo cauerintq; olim fideles beatorũ martyrũ spũs. Protuli autẽ ex diuer sis Christiani orbis prouincijs, paucos quidem, celebratissimos tñ Ecclesiæ doctores, atq; etiã satis multos, si tecum expendas, q̃ raros habuerit ætas illa scriptores, & q̃ multa eorũ scripta interea tẽporis interciderint. Habes ex Asia & Oriente, Basil. Mag. & Gregorium Nazianzenum, Ioannẽ Damascenũ ex Palestina, ex Aegypto Origi nem, Augustinũ ex Aphrica, Prudẽtium Hispanum, Ioannẽ Chry sostomũ Gręcum, Ambrosiũ & Hiero. Latinos, ita ubiq; locorum erat omnium una fides, & consensus unus. Nec dubitabatur de hoc, utrum liceret sanctos implorare. Puto autẽ quod de media & poste riori ætate, nemo documenta ulla requirat, q̃rum tanta extant ubiq; locorum indicia, ut sint omnia eorũ plena & plus q̃ referta. Confer autem mihi tam præclaros uiros pietate simul & doctrina insignes, ac toto orbe per tot terrarũ spacia diuisos, nec uno simul omẽs tem pore, sed hos illis antiquiores, in eadem nihilominus fide consentien tes, cum obscuris istis paternarum institutionum desertoribus, apo statis ac hæreticis. Nulla re alia nisi sacrilegijs, monasteriorum dire ptionibus, prophanatione templorum, stupris uirginum deo conse cratarum, blasphemijs, seditionibus, & infinitis alijs supra omẽs om

nium temporum hæreticos facinoribus nobilitatos, ac tum demū expende, delibera & diiudica, si habes ullam salutis tuæ rationem, cui fidem tuam credere debeas, præsertim cum neque uerbum dei, neque traditiones apostolicę, neque communis omnium temporum & locorum consensus, neque patres orthodoxi aut aliud quippiam cui fides haberi debeat, eis suffragetur. Id quod iam partim luce clarius ostendimus, partim in sequentibus, ut & ipse palpare queas, sumus ostensuri. Quod enim iactant uerbum dei, uanum est, quod antiquitatem suorum dogmatum, similiter uanum est: tametsi ementiantur nonnunquam res quasdam, quę possint alicui uideri antiquę, si tamen conferantur cum scriptoribus illorū seculorum, mera esse figmenta, fallendis & seducendis hominibus composita, luce clarius apparebit. Ita solent impij fingere nonnunquam cæremonias, ueris Ecclesiæ cæremonijs similes, ut hac specie incautos decipiant, uerasq; Ecclesiæ cæremonias extrudant. Sic Iulianus impius ille apostata, & astutissimus Ecclesiæ persecutor, commentus est ritus quosdam gentilium processionum, quibus Christianorum processiones aboleret, instituitq; deorum suorum cultoribus cæremonias nostris similes, sperans falsa ista optimæ religionis imitatione, cultum deorum propagare. Cuius consilium & hic imitati hæretici, cum nuper processionum cęremonias damnarent, nunc eas student imitari, suæq; aptare perfidiæ. Notæ sunt litaniæ Ecclesiæ, in quibus militans ista Ecclesia, triumphantem, omnes uidelicet sanctos inuocat, ad orandum communem deum pro nobis. At interim seruant & aduersarij processiones, dicunt nobiscum Kyrieleeyson, sanctissimā nobiscum Trinitatem inuocant, omissis autem angelis, apostolis, martyribus, confessoribus, uirginibus, prosiliunt ad finem, ubi dicitur: Peccatores, te rogamus audi nos. cum his quæ deinde sequūtur, quæ sicut nos pronunciant. Pręclare scilicet, fingent nobis quoties Litaniarum fit mētio apud ueteres, nouitias istas intelligi, easq; ueras esse, nostras falsas Litanias populo persuadebunt, quo sanctorum catalogum, ab orationibus nostris excludant. At si hoc uolunt, demonstrent suas alicubi apud ueteres. Quod si non possunt, necesse est nouas imposturas esse. Non improbamus quidem quod supplicant S. trinitati. Quin hoc ipsum

Tripart. hist. lib. 6.

ipsum sanctum, iustum & bonum est. At quod sanctos excludunt præter totius Ecclesiæ omnium seculorum consuetudinem, cui probetur? Constat iam multis seculis inuocatos sanctos in Litanijs, cuius originem referunt quidam ad Gregorium magnum, qui sub Mauritio imperatore uixit, circiter annum domini 580. sed tamen multo antiquiorem fuisse constat ex Victore Vitensiū episcopo, qui sub Zenone uixit, & memorat nobis sua ætate sub Arrianorum persecutione, ita fuisse supplicatum: Adestote angeli dei, deprecemini patriarchæ, orate sancti prophetæ, estote Apostoli suffragatores, præcipue tu Petre beate, tu sancte Paule gentium magister &c. Vnde satis apparet, quomodo & persecutionis tempore sanctis omnibus supplicauerint, & hunc ritum à maioribus (qui non poterāt nisi primitiui esse) acceperint: quis credat enim illos primum absq; ullo maiorum exemplo (persecutionis potissimum tempore) nouum commentum uoluisse de supplicandis sanctis confingere, & non potius inhærere fidei ueterum, pro qua sanguinem suum fundebant? *Vetustas Litaniarum.*

Tandem fingunt aduersarij, sanctos auersari nostras inuocationes, nec gratum habere cultum alium prēterquā imitationis, & prædicationē suarum uirtutum. Sed unde hoc nobis affirmabunt? Forte in Concilio aliquando sanctorum fuerunt rapti in tertium cœlū, ubi facti sunt de eorum uoluntate & sententia certiores. Nos autem legimus, quod uiuentes adhuc in carne inuocatores admiserunt, & quid putamus facere modo in regno patris apud Christum? Acto. iij. Petrus & Iohannes dixerunt ad mendicum illum claudum ex utero matris suæ: Respice in nos. quod tantundem ualet, ac si dicatur: Si uis sanari, pete opem nostram, presto sumus qui & possumus, & uolumus, sed ut petas, ut speres, ut mendices à nobis oportet, hoc est, respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se pecunias ab eis accepturum. cui respondit Petrus: Noli in nos respicere propter aurum uel argentum, quæ non habemus. si quod habemus flagitas? En damus. In nomine IESV CHRISTI Nazareni surge & ambula. *Sancti amāt inuocari ad succurrendū nobis.*

Vides hic ut non ferant tantum sibi supplicari, sed inuitent etiam.

Respice (inquit) Petrus in nos. Ecce & alias supplicationes. Act. v. Augebatur credentium in domino multitudo uirorũ ac mulierũ, ita ut in plateas eijcerent infirmos, & ponerẽt in lectulis ac grabatis, ut ueniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quenq̃ illorũ, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Cõcurrebat aũt & multitudo uicinarũ ciuitatũ Hierusalem, afferentes ægros & uexatos à spiritibus immũdis, qui curabantur oẽs. Si nihil poscebant isti, si non supplicabant Petro, ad quid ægrotos afferebant? Et hi quidem ad umbram Petri, fide & uotis suos optabant curari: nos idem non faciemus ad B. apostoli ossa & cineres? An potior est ossium umbra ipsis ossibus? Et quid si nos quoq; umbræ ossiũ assideamus? nõ est umbra, umbra? Hæc tunc passus est circa se fieri Petrus, nec repulit eos qui sub umbra corporis sui poscebant ab ipso sanitatẽ: & nos repulsurus est, qui ad ossa sancta, aut expressius eius simulachrum q̃ sit umbra, idem facimus? Nos enim ad imagines non aliter sedemus, q̃ si ad umbram sedeamus, ipsum sanctum ac magnũ dei ministrum, cuius est umbra ista, spectantes in cœlo, atq; ibi pro nobis ut intercedat supplicãtes. Sic Act. cap. ix. Mortua Thabita, audientes discipuli q̃d Petrus esset Liddæ, miserunt duos uiros ad eum rogantes, Ne pigriteris uenire ad nos. Exurgens aũt Petrus uenit cũ illis. Et cũ aduenisset, duxerũt illum in cœnaculũ ubi iacebat. Et circumsteterũt illũ omnes uiduæ flentes, & ostendentes tunicas quas faciebat illis Dorcas. Miserũt rogãtes ut festinus adesset. Ad quid? ut uideret mortuã? aut ut tunicas uideret? Sed hoc indignum. Ergo memores mortuorũ quos Christus resuscitauerat, tale aliquid à Petro fieri efflagitabãt, quẽ ille uicarium suum reliquerat in terris, quiq; iam uirtute domini, & magistri sui, miracula non pauca perpetrauerat. Fuit autem supplicatio illa ualida. Circumstabant omnes uiduæ flentes, & ostendentes tunicas, quas illa non esset factura amplius, nisi à morte suscitaretur: hoc poscebant lachrimæ illæ, hoc tunicæ ostensæ. Non erat hoc satis inuocare? Quid autem inter hęc Petrus? Num repulit à se importunos? Num scidit uestimenta sua, quemadmodũ Ioram ille, dicens: Nunq̃d deus ego sum ut occidere possim & uiuificare? Non sane: sed eiectis omnibus foras, ponens genua orauit. Sic Petrus inuocatus, orat, in-

tercedit.

tercedit, impetrat Thabitæ uitam. Vt imploraretur admisit: exhorruit adorari, procidentē ad genua sua Cornelium ut ipsum adoraret, exporrecta manu protinus retraxit, dicēs: Surge, & ego homo sum, deum adora. Cum Lystrij Paulum Mercurium, & Barnabam Iouem esse crederent, & sacerdos adductis hostijs uellet sacrificare, Apostoli conscissis tunicis suis e uestigio exilierunt in turbas, clamantes & dicentes: Viri quid hęc facitis? Et nos mortales sumus similes uobis homines. Quando autem tale aliquid egerunt in auxilium implorati? Adorātes & sacrificātes à se reiecerūt, & gloriā dabāt cui debebat, Deo. Nunqd in subsidiū inuocati quenq̄ repulerūt aut dixerūt, Quid petis à nobis sanari? quid petis intercessores? Tu ipse deū adi, nō est tibi intercessoribus ullis opus. Hoc discrimine cum adhuc uiuerent, docuerunt, ꝙ aliter deū, aliter sanctos inuocare oporteret. Fingūt aūt aduersarij ꝙ nolint ea etiā imploratione, qua uiuentes inuocati sunt, modo implorari: idq; sine ulla graui ac digna ratione, aut scripturarū authoritate, cum res ipsæ nimium ipsos aberrare, palam testentur. Si nolunt enim implorari, neque uiui ut fieret debuerunt admittere. Nunc autem & uiui admiserunt, & à carne soluti, exaudiunt supplicantes. Quare exaudiunt, qui tam acriter sacrificantibus restiterunt, si nolunt inuocari? Quare non abigunt temerarios? non reddunt maleficia, quando beneficia poscuntur, si tanquā idololatriam execrantur? Si nolunt autem maleficium, propter bonitatem suam irrogare, saltem cur non à beneficio, si inuocari nolunt, abstinent? Quare alunt beneficijs suis, nostram (ut uos uultis) impietatem? An & sancti illi beatorum spiritus ludificant nos, & imponunt hominibus qualiter olim spiritus nequam & mali faciebant? Si fingitis sanctos ista fieri latere, sed geri hæc per spiritus malos hominum seductores, num & deum possunt fugere? Quare ille permittit tot seculis in Ecclesia durare errorem istum? Qui si est error, iam Ecclesia non est Ecclesia, cum sit Ecclesia columna & firmamentum ueritatis. Et ubinam per annos mille quadringentos & amplius fuit Ecclesia, si Catholica, quæ ita errauit non fuit Ecclesia? aut ubi promissio illa dei fuit, Portę inferi nō pualebunt aduersus eā? Et, Ego uobiscū sum omnibus diebus ad cōsummationē seculi. Cū sit aūt deus

uerax,& homo mendax,propter promiſſionē dei infallibilē, ſtat & manet Eccleſia,ſtat quoq; & manet Eccleſiæ fides incōcuſſa,nec uētis,nec pluuijs cedens,nec fluminibus. Cōtra uero q̄d ſuper arenam aduerſarij ſtruxerunt,quāto eleuatur amplius,hoc grauius ſua ipſius mole corruit.Fieri enī non pōt,ut impune in cœlū os ſuū qs tulerit.

Habes itaq; lector pie & Chriſtiane,clarā,apertā, ac minime fucatam expoſitionē,eius fidei,quā de ſanctorū interceſſione ac inuocatione in Eccleſia Catholica , ut ſemper,ita modo atq; etiānum & retinemus & docemus,cum remotione quorundam ſcrupulorū, quales fortaſſis incautū offendere poterant.Ad quā nos Philippus falſa illa, maligna & nequam traductione fidei noſtræ,coegit.Nimirū,qua nō ueretur de nobis ſcribere,tibiq; & orbi reliquo pſuadere,nos de ſanctorū inuocatione aliud ſentire,aliud docere,cenſere eā ob publicam tranquillitatē tolerandā,non probare,atq; hunc quantulus eſt error (ut ipſe ait)infirmitati populi donandū:cæterū priuatim & clam ſentire cum ipſis. Sentiat cū eis,qui uolet Chriſti & Eccleſiæ deſertor eſſe,qui fidē habet quauis ſtipula leuiorē,cui perinde eſt, hoc credat an illud:Nos alios habemus quibus conſentiamus. Ciuitatem dei uiuētis,Hieruſalē cœleſtē,& multorū miliū angelorū frequentiā,& Eccleſiā primitiuorū,qui cōſcripti ſunt in cœlis,& iudicē omniū deū,& ſpiritus iuſtorū pfectorū,& teſtamenti noui mediatorē,Ieſum , & ſanguinis aſperſionē melius loquentē q̄ Abel,quē uidete ne recuſetis loquentē. Loquitur aūt nobis per ſanctos patres,quos illo ſuo ſpiritu impleuit,de quo pollicitus eſt nobis:Cum uenerit ille ſpiritus ueritatis,quē ego mittam uobis a patre,ille uos docebit omnem ueritatē. Loquitur item uniuerſalis fidei concordia,quæ catholica eſt,quæ debet nobis indubitati teſtimonij loco haberi : ac demum atteſtatione nobis loquitur,tot tantorūq; beneficiorū , q̄ per inuocationē ſctōrū ſuorū,pijs quibusq; miſericors,liberalis & uerax impertit. Hæ ſunt uoces quæ ſemp loquuntur & ſuſurrant in auribus fideliū , propter quas dictū eſt oībus:Hodie ſi uocē eius audieritis,donec hodie cognominatur hoc ē,donec Chriſti regnū durat,nolite obdurare corda ueſtra,quemadmodū in illa exacerbatione eorū , quorū cadauera proſtrata ſunt in deſerto.

Diluta ſuſpitione in quā nos Philippus cōijcere nitebatur,ſtrataq;

ad occurrendũ aduersarijs uia, restat nunc ut argumenta, sophismata & tendiculas, quibus Bucerus, Philippus, Oldendorpius, & quotquot sunt aduersarij, hanc ueritatis doctrinã oppugnãt, disijciamus: ubi dabitur etiã occasio explicandi plurima, quæ hic uoluimus cõsulto ꝑtermittere, quo aduersariorũ calumnijs in loco postea obiecta, melius eadẽ perciperentur. Qualia sunt: An ꝑcipiũt sancti nostras preces, & quomodo credatur hoc fieri. De diuersa curationũ uirtute, qua ui demus hunc sanctũ, illa: alium alia gratia a deo præditũ. De meritis sanctorũ, quo illa nobis modo suffragentur. De reliquijs sctõrũ, & miraculis apud eorũ, siue sepulchra, siue imagines. De peregrinationibus, & uotis piorũ in sancti alicuius honorẽ susceptis. Quæ omnia ego quidẽ parauerã cõtinuo progressu absoluere, licet irrideãt ea ꝓphani & hæretici homines. Cæterũ cõuenit me typographus, quærens librũ preter suã opinionẽ turgescentẽ, non posse modo finiri, ac iam adesse nundinas, e quibus laboris sui præmium aliquod expectaret, eaq; de causa petebat, ut sibi permitterem librũ hoc loco secare, ut qui alioqui etiã præ sui in hac forma magnitudine necessario secandus uideretur. Quod cũ & ipse ita se habere cernerem, ꝓmisi: sed præcipue ob id ne diu Lector Christianus hac nostra qualicũq; opella fraudaretur, quã cupiebam pro fidei nostræ Catholicæ assertione, omnibus fieri cõmunem. Propediem igitur Lector beneuole & hęc ipsa quæ desunt huic operi, & cæterorũ quę in Iudicio illo Colonieñ. asseruntur integrã defensionẽ, propitio, adiuuãteq; nos deo, tibi dandam alio Volumine, expecta. Hoc tantũ posco, ut pios nostros conatus apud Christũ dñm & saluatorẽ nostrũ tuis interim ꝑcibus iuues.



Errata in transcursu deprehensa. In qbus prior numerus foliũ, secũdus lineã demonstrat. Folio 3. linea 14. traditiões, canonet. 4. 30. quęq;. 11. 1. appellitãt, uoluerint. 12. 19. possunt. 13. 2. sycophãtiarũ. lin. 8. puersi. lin. 34. agnoscere. 14. 80 ꝑdatũ. lin. 29. tradẽdæ. 16. 25. religiosorũq;. 26, 5 tolle, q̃rant. 27. 15. totã. lin. 22. supinducta. 29. 26. & pctõ. 32. 8. qdã. 33. 16. ꝓnũciare. 35. 19. ꝑstrinxerit. 64. 5. rectoris. lin. 6. gubernãt. 69. 18. sui. 75. 5. q̃d de aiarũ. 80 27. modo. 82, 28. opponit. 88, 12. futura. 89, 2. tolle, aũt. lin. 33. tolle, ad alterã rõnẽ. 97. 7. capessendo 104. 11. Siccine. 29. potẽs. 105. 24. diuersũ. lin. 30. diurnas. 109, 27. resideat. 122, 30. Gignit. 124. 15. ĩpuret. 1; 7. 29. veterẽnoua. 143. 32. huic. 146, 13, vt. 147. 24. quã. 148. 34. reuelãda. 150. 19. coit. 152. 11. baptizãtes. 153 28. vera. 156. 26. inte. 166. 11. collato. 178. 15. tãq;. 188. 30. habitũ. 209. 5. nõ. 225. lin. vlt. cognitionẽ. 228. lin. 2. & 3. natũ. 231. 30. sandalia. 232. 4. cõmẽtario. 236. in marg. lin. 3. illi. 245. 3. clamãtis. lin. 8. exanimabũt. 251. 25. q̃uis. 252. lin. vlt. plura. 257. 20. suã. lin. 25. q̃. 281. 7. conscriberẽtq;. lin. 16. remos. 296. 4. cos. 298. 26. diuinos. lin. 28. similes. 302. volucras. 303. 14. ꝓuocẽt. 320. Syrorũ. lin. 14. q diceret. 325. 1. ꝓcedãt. 328. 5. diceret ci. 330. 7. remorẽt. lin. 14. aditus. lin 26. ꝓpinquatur.

